DE FRISIA, ET FRISIORUM REPUBLICA. DEQUE CIVITATIBUS, ...

Ubbo Emmius




BIBLIOTECA NAZIONALE
VITTORIO EMANUELE
6
20 B
23

VBBONIS EMMII

DE

FRISIORVM

REPVBLICA.

INTER FLEVVM AC LAVICAM FL.

Commentarius.

DE FRISIA, ET FRISIORVM REPVBLICA.

DEQVE
CIVITATIBVS, FORIS, ET VICIS
inter Flevum & Visurgim flumina.

LIBRI ALIQVOT,

Auctore

VBBONE EMMIO, Frisio.







EMBDÆ,

Expensis *Ioannis Petri* Biblio-polæ, Anno 1619.

Illustri & vere generoso Domino

D. GVILHELMO

LVDOVICO, COMITI IN NASSAU, Catzenellenbogen, Vianden, Dietz, Domino in Bielstein, Gubernatori Frisiæ inter Flevum & Lavicam, item civitatis Groningæ & Agri circumvicini, ac Drentiæ, &c.

Domino suo clementissio:

Nobilissimis, amplissimis, præstantissimis ac prudentissimis IX-viris Reip. gerendæ in Frisia inter Flevum & Lavicam Deputatis, Ordinumque ejus Provinciae vicem gerentibus,

Dominis suis plurimum colendis,





ILlustris ac generose Comes; Nobilissimi, Amplissimi, præstantissimi ac prudentissimi Domini: Multi doctrinâ & dignitate eximij viri proximo hoc sæculo in eo studium suum posuère, ut Respublicas illustres, quæ exemplo esse alijs possunt, præsertim eas, quæ ipsis patriæ fuère, describerent, ac calamo suo tanquam penicillo delineatas quasi in tabulâ lectoribus cognoscendi cupidis spectandas proponerent. Et sane

gratiam hoc ipſo ſtudio ac operâ apud totam nationem eruditorum, & eorum, qui peregrina accuratiùs noſſe deſiderant, haud parvam ſibi paraverunt. Nam quemadmodum utilitatem nõ vulgarem proponendis eximiis huiuſmodi exemplis, quæ inſtructioni eſſe legumlatoribus ac rerumpubl. rectoribus poſſunt, attulerunt, ita ſingulari quadam voluptate legentium animos perfuderunt. In his excellit planè eruditiſſimus & maximus vir, patriæ ſuæ illuſtris illuſtre ſidus, Caſpar Contarenus Venetus, qui Venetam Remp. ſicut liberrimam, & potentiſſimam, ſic optimis legibus & inſtitutis formatam ac firmatam, ut exemplar eſſe penè ſine vitio videri queat, ita quinque libris depinxit, ut lectorem iudicio præditum non ſolúm magnis de rebus cognitione magnorum virorum dignis doceat, ſed etiam mirifice afficiat. Qua eadem in materiâ poſt hunc verſatus Gianottus Donatus Florentinus, quanquã diversâ methodo, & ſermone patrio, parem penè cum hoc ipſo laudem invenit. Idem præſtitit de Helvetiorum Rep. doctiſſimus & pientiſſimus vir Ioſias Simlerus Tigurinus, Theologus eximius, triaq; pariter cum laude aſſecutus eſt: ſcilicet, honori ac dignitati patriæ conſuluit, rem gratiſſimam eruditis rerum cognoſcendarum cupidis fecit, multos mortales alia

omnia

omnia de Helvetiis ſentientes erroribus liberavit. Conradus Protucius Celtes, poëta celebris, Maximiliano Imperatori imprimis carus, parvo huius generis libro de urbe ac Rep. Noribergenſi quæ inter Germanicas omnes ſine dubio excellit, haud parvam gratiam inijt, optiméq; de clariſſimâ civitate ſimul, & de natione eruditorum meruit. Æneas Sylvius Senenſis, cùm in aulâ degeret Imperatoris Friderici III, cui erat à ſecretis, poſt Cardinalis & Pontifex Romanus factus aſſumpto nomine Pij II. de civitate Viennēſi ſimiliter ſcripſit in epiſtolâ prolixiuſculâ, quæ libelli inſtar eſt. Et poſt VVolfgangus Lazius multò plenius hoc idem executus eſt peculiari commentario, in quo maxima minima de urbe, agro, Rep. ſacris, enarravit. Carolus Sigonius reip. Bononienſis typum quendam expreſſit, ſed velut aliud agens, in Hiſtoriâ regni Italiæ ſub Henricis Imperatoribus III, IIII, V. Multaq; his ſimilia complexus fuit Iohannes Bodinus Gallus in volumine de Rep. quo benè meritus eſt de universâ doctrina politica. Hugo Grotius Batavus maximi ingenij, & ſummæ eruditionis vir, qui hiſtoriam Belgarum proximorum temporum ſub manibus habet, paucis pagellis ſub finem libri de antiquitatibus & Rep. Batavorum ſuccinctè, ſed eleganter & eruditè politiam hodiernam

Bataviæ, quã nunc Hollandiã dicimus, delineavit. Quid dicam de ijs, qui totorum regnorũ status, & formas & regendi ordinẽ ac modum exposuere accuratè, & res patrias huius generis etiã peregrinis ea regna nunquam ingressis notissimas fecere? de Martino Gramèro Polono, qui Poloniã suã quasi ad vivũ depictã duobus libres nobis repræsentavit? de Claudio Bisellio, Vincentio Lupano, Ioannes Tillio, & alijs, qui ordinem & formam regiminis Galliæ exposuere? de Thoma Smito Iurisconsultò, Equite aurato, Anglo, reginæ Elisabethæ à secretis, qui politiam totam Anglorum memoriæ prodidit exactissimè? de Guilhelmo Cambdeno, viro doctissimo, qui cum antiquitatibus utriusque insulæ Britannicæ, etiam ea, quæ ad gubernationis modum ac rationem pertinent, cum applausu suorum & exterorum in lucem emisit? de ijs denique, qui Moschovitica & reliqua Sarmatica & Tartarica congessere, & posteris tradidere? Vt autores recentes præteream, qui parentum & nostro tempore, illustres Resp. veteres è caligine, qua obrutæ iacebant, magno & difficili labore evolutas luci restituere; Sigonium, qui Romanã, Atticam, Iudaicam; Nicolaũ Cragium Danũ, qui Laconicam; alios, qui alias. Denique ut ipsos scriptores antiquos, Xenophontem, qui eandem Atticam, Laconicamq;

camq; peculiari libello; Polybium qui eandem Romanam satis diffuse, alias aliquot strictim; Strabonem qui Massiliensem licet παρέργως in historia ac geographia literis mandarunt. Quorum exemplis excitatus absolvissem historiarum libros, quos de rebus pace belloq; gestis à gente nostra ad id tempus usque, quo Belgium totum Hispaniarū regi parēs commoveri cœpit, conscripsi, quem ego terminum scriptionis istius iam inde ab initio mihi constitueram, cogitare cœpi de eiusdem gentis nostræ Rep. præsertim diligentiùs describenda, eaque descriptione, in separatos ab opere Historico commentarios conferenda. Existimavi enim, hoc si facerem, nec alienum ab honore & gloria gentis, nec ingratum tùm hominibus nostris, tùm exteris qui nostra cognoscere desiderant, tùm præsentibus, tùm posteris me esse facturum, & simul Historiæ ipsi iam à me editæ, & nunc exituræ, lucem aliquam affusurum. Faciliusq; in hoc consilium discendi, quod de parte Frisiæ, quæ inter Amasum & Lavicam est, quæque mihi domicilij sedem in urbe Groningana per multos annos præbuit, huiusmodi Commentarium confectum, & dudum typis excusum, nec tamen multis adhuc lectum haberem, de quo cognoscendo, & rursum in lucem emittendo, velut facula rerum huius,

quam

quam dixi, provinciæ cogitationes cōceperam. Ac calcar etiam hoc mihi adidit in eam rem, quod literis publicis istinc ad me missis intelligerem huiusmodi laborem vobis quoque nobilissimi, amplissimi, præstantissimi Domini, Reipub. gerendæ delegati, acceptissimum esse futurum: & quod in eum finem civitatis præcipuæ istius provinciæ vestræ, & numero plurimæ, sylvam quandam rerum suarum publice ad me darent, ut me certius instruerent, quarum voluntates & studia hac in re defugienda mihi non putavi. Nec ratus sum morari eorum hominum judicia & mussitationes me oportere, qui dictitare feruntur, hæc talia libris in publicum prodere, idem esse ac Reip. arcana hostibus prodere: quo mihi nihil absurdius, nihil in viros maximos & optimos, patriæq; suæ amantissimos, quos anté memoravi, iniuriosius dici posse videtur. Itaque & incepi rem libenter, & in ea progressus sum, quantum per valetudinem & negotia alia successivis horis licuit, ac nunc paucos ante dies ad finem eam perduxi. In cursu autem scribendi non solùm Civilia, sed Sacra quoque & Ecclesiastica, complexus sum, quæ ad statum publicum non minus quàm Civilia illa pertinere putavi. Et præmisi his omnibus Dissertationē succinctam, sed solidā modestamq; contra

eos,

eos, qui minus recte ac dextre de vetusta Frisiorum libertate sentiunt, aut sentire se videri volunt. Hoc vero qualecunque opusculum meum vestro nomini, Illustriss. & generosiss. Comes, & Nobilissimi, ampliss. præstantiss. Domini, regendæ patriæ præfecti, inscribendum & dedicandum, vestræq; tutelæ tradendum arbiratus sum: quia vos ei Reip. quam heic descripsi, rectores præsidetis, & Ecclesiæ huius nutricij ac patroni estis. Oro modeste & obnixé, ut dedicatum vobis accipere clementer ac benevole, & in patrocinium vestrum recipere non dedignemini. Sic clementiam tuam ter inclyte Comes, & A. A. V. V. summus cœlorum rector clementer protegat & diu incolumes conservet: Amen.

Groningæ, postrid. Calend. Ianuarij, anno æræ Christianæ M. D. C. XVI.

CLEM. T. & A. A. V. V.
deditiss. & observantiss.

VBBO EMMIVS.

FRISIO-

FRISIORVM LAVS

Ex Pio II. Pontif. Rom.

Æ*NEAS SILVIVS, PIVS II.* Pontifex Rom. qui diu in Germaniâ versatus est, & Friderico III Imp. à secretis fuit, obiitque anno Christi 1464, in libro, cui titulus est, Historia de Europa, Cap. 35. de Frisiis sic scribit:

PHrisones ad Oceanum siti ab Oriente Saxoniam contingunt, ad Meridiem Westphalos, ad Occidentem Traiectensium terræ subiunguntur: quamquam & ipsos Traiectenses pleriq; Phrisones esse volunt. inter quos Othonem invenio Frisingensis ecclesiæ præsulem, qui res Germanicas haud imperitè conscripsit. Et Paulò pòst: *Gens eadem ferox, & armis exercitata, robusti & proceri corporis, securi atque intrepidi animi, liberam se esse gloriatur: quamvis Philippus Burgundiæ Princeps, eius terræ se dominum vocet.* Revera libera Phrisia est, suis vtens moribus: exteris nec parere sustinet, neque dominari cupit. Haud invitus Phriso pro libertate mortem oppetit. *Dignitas in hac gente militaris invisa. Sublimem virum, qui se cæteris efferat, non ferunt. Magistratus annuos eligunt, qui*

remp,

remp. æquo iure disponunt. Fœminarum impudicitiam severiùs puniunt. Sacerdotes, ne aliena cubilia polluant, sine coniuge non facile admittunt: Vix enim continere hominem posse, & super naturam arbitrantur. In pecoribus omnis eorum substantia est: ager planus & palustris, multo gramine fæcundus, ligno caret, Bituminoso cespite, & sicco stercore boum ignes fovent. Ex hac gente tradit Cornelius Tacitus imperante Nerone, duos legatos Romam venisse, Veritum ac Malorigem, qui Pompey theatrum intrantes, cùm vidissem quosdam cultu externo inter senatores sedere, & intellexissent id honoris earum gentium legatis dare, quæ virtute & amicitia Romana præcellerent, Nullos mortalium aut armis, aut Fide ante Germanos esse *exclamaverunt: ac digredientes, inter patres consedere. ob quam rem ambos Nero civitate donavit,* Hæc ille.

LIBER



LIBER PRIMVS
DE FRISIA INTER FLEVVM
& Lavicam hæc complectitur capita.

1. *De Frisia, & Frisiorum libertate ac Republica in genere.*

2. *De Frisia inter Flevum & Lavicam flumina, & de Frisiorum, qui eam regionem colunt, Republ. ante tempora Principum, & sub Principibus.*


3. *De Frisiorum eorundem inter Flevum & Lavicam colentium Republ. post resumptam maiorum libertatem, deq́; statu Religionis ibidem.*

4. *De civitatibus Fresiæ inter Flevum & Lavicam flumina, & earum politia, & regimine ecclesiastico.*

5. *De foris & vicis maioribus in eadem Frisiæ parte, & De aggerum curatione, ac De ordine militari.*

VBBONIS

VBBONIS EMMII
DE FRISIA ET FRISIORVM LIBERTATE AC REPVBLICA Generatim.



E *Frisiæ regionibus dixi in principio Historiæ rerum Frisicarum, & exposui sententiam meam. Ea hic repetere, foret & dispendium quærere temporis mei, & lectorũ otio malè abuti. Hoc tantùm monere rursum libet, olim multò angustiùs acceptum* Frisiorum *vocabulum, quàm media ætate, & nunc. Nam temporibus suis intra Rheni ostium Batauorum insulam à septentrione claudens, & Amasum Chaucorum terminum Occidentalem, in orâ Oceani, Tacitus & Ptolemæus hoc nomine dictos constringunt. Plinius verò etiam ante hos, qui primus omnium scriptorũ Latinorum Frisios nominat, iuxta Batauos eos collocat, & cum ijs Canenifates Chaucos Frisiabones, Sturios, Marsatios simul coniungit: sed terminum occidentalem nõ designat. At ætate mediâ, labente iam Romanâ potentiâ, temporibusq; sequentibus multò latiùs Frisiorum nomen patuit secundùm Oceani Germanici litus, non solùm ad Orientem Solem, sed etiam ad Occidentem. Nam in ortum non tantùm trans Amasum continuo tractu porrigere se*

De regionibus & terminis Frisiæ.

[Frisiæ vocabulum latè olim acceptum.]

cœpit, sed & trans Visurgim, & Albim, ac Eidoram in Daniam vsq; . Versus Occidentẽ verò vsq; in Mosam, extincto sensim Batauico nomine, & gẽte bellorũ casibus exhaustâ, colonis nouis aliis post alios istuc influentibus, idẽ Frisiorum nomen inualuit, vt ex optimis autoribus liquet. Ac non desunt hodie, & proximo sæculo vixerunt, qui ad Scaldim etiam fluuium, vbi nunc Selandicæ insulæ sunt, hanc ipsam appellationem in vsu fuisse, atq; adeò Scaldim transcendisse cõtendant: quod & in Historiâ dudum ostendi. Sed citius inualescente Francorum potentiâ, Frisiorum nomẽ ad Occidentem Mosæ obliteratum est. Inter Mosam autẽ & medium Rheni alueũ, vbi vetus Batauia fuit, hæsit multò diutiùs, & durauit ad tempora Imperatoris Henrici IV. qui ab anno Christi M. LVII. ad annũ M.C.VIII. Imperio præfuit. Eo enim imperãte cùm scriberet optimus historiæ suorũ temporũ conditor Lambertus Scafnaburgensis, Fladirtingam in ripâ Mosæ infra Roterodamum sitã, & Rinesburgum in solo veteris Batauiæ oppidũ, munitissimas Frisiæ vrbes vocauit. De Vltraiecto addere vix ad rem facit, quã eiusdem ferè æui scriptor doctissimus Hermannus Contractus, Comes Veriensis, in rebus Henrici III. Imperatoris, qui priori pater fuit, ad annum M. XLVII. Frisiæ vrbem nuncupauit. Nam hanc in solo priscæ Frisiæ, quam Tacitus & Ptolemæus nobis designarunt, aut in ipso Batauiæ & Frisiæ termino positam esse, in confesso est. Et primos huius vrbis Episcopos, Frisiorum Episcopos pastoresque vulgò dictos esse, & plerosq;

resq́; sanguinis Frisici fuisse, & in Frisiâ potißimum docuisse, nemo credo negauerit ob probos rei testes, scriptores veteres recentesq́;. Hollandici *autem nominis vsus ad significandam regionem Batauorum veterum, titulo* Comitatus, *serò admodum istic receptus est, nec nisi post tempora scriptorum, quos paulò antè nominaui, Hermanni Contracti & Lamberti Scafnaburgensis. Nec quando omninò cœperit, ipsi etiam doctißimi Hollandi, quanquam curis huc versis, hactenus certum dicere potuerunt. Ego quidem primùm hoc vocabulum vsurpatum inuenio in tabulis Henrici IV. Imperatoris Episcopo Vltraiectino Guilhelmo datis, anno æræ Christianæ M. LXIV. Imperij ipsius anno 9. Indictione 2. 6. Non. Maij: quanquam & hîc ita vsurpatum, vt non totã regionem, quæ nunc sic dicitur, sed particulam tantùm eius, licet Comitatus titulo insignitam, significare videatur. Deinde post aliquot annos scriptum idem reperio in diplomate, quod Theodoricus IV. Comes, Florentij filius, in gratiam Stephani abbatis Egmondani eodem imperante Henrico IV. signauit Fladertingæ: in quo ipse hic Theodoricus se* Comitem Hollandensium *nuncupat. Sed video exemplar diplomatis, quod edidit Guilhelmus Heda, scriptor alioqui diligentißimus, & ex Hedâ exscriptum annalibus suis inseruit nobilissimus atq; eruditißimus* I A N V S D O V S A, *tam vitiosè notatos ac secum pugnantes habere annos æræ Christianæ, Indictionis, imperij Henrici IV. Cæsaris, Conradi II. Episcopi Vltraiectini, vix vt intelligam,*

[*De vocabulo* Hollandiæ.]

quomodo id poßit explicari. Inclinat modò animus, vt ſcribendum putem annum Chriſti 1083. Indict. 11. Henrici Imp. 27. Conradi Epiſcopi 8. *Hæc inquam antiquiſsima monumēta, ſunt huius rei, mihi viſa. Loquor de iis, quæ proba ſunt, minimeq́ ſuſpecta: quorum in numero libellum Marcellini de vitâ Suidberti, qualis iam manuſcriptus circumfertur, in quo bis terve Hollandiæ nomen, vt & Selandiæ & Brabandiæ, vocabula tum nondum genita, ſed poſt cognita multa demum ſæcula nata, quod eſt extra controuerſiam, ab inepto ſcilicet interpolatore recentiore infartum lego, & ſi qui eius ſimiles, non habeo. Alij an in antiquioribus monumentis nomen idem repererint, ignoro.* De *fortunâ autem, & rebus regionis huius, quæ & nunc Hollandia propriè dicitur, & à proximis aliquot ſæculis dicta fuit, ob virtutem ac maximas opes maritimas toto terrarum Orbe celeberrima, & de initio Comitatus amplioris ac perpetui iſtic conſtituti, libenter ſentio, quantum licet, cum viris maximis, qui hac ætate res eius gentis è tenebris errorum euoluere, & reiectis fabulis ineptis veritati reſtituere feliciter conati ſunt. Quorum ſumma ferè hæc eſt: regionem iſtam, vt & Friſiam, & vicinas alias, diuiſam fuiſſe olim, deſtructo Friſiorum regno, imperantibus Francis & Saxonibus, ex more tum recepto in Comitatus minores complures:* Comitatus *autem illos fuiſſe regionum maiorum partes, ſeu territoria certa, quos* pagos *etiam interdū ea ætas nominauit, cuiuſmodi* Egmonda, Texela, Kinhemum, Mo-

ſilandia

ſilandia *in ſolo hodiernæ Hollandiæ*; Oſtergoa, Weſtergoa, Hunſgoa, Fivelgoa, Emiſgoa *in Friſiâ*; Drentia & Tuentia *in viciniâ recenſentur: horum rectores, plures ſub vno duce,* Comites *eſſe dictos, datos ab Imperatoribus aut Regibus, & ab horum arbitrio ferè pendentes, niſi quos ſpeciali beneficio de poteſtate & iure ad hæredes tranſmittendo ijdẽ affeciſſent: Comitum officium fuiſſe, ius dicere, Imperatores Regiſve vicem gerere, contra hoſtes, maximè contra Danos ac Normannos, qui tum totam maritimam oram, & multas quoq; prouincias mediterraneas quotannis ferè affligebant, regiones ſibi commiſſas tueri: horum in numero Gerolfum & Gardolfum Friſonum Comites à Reginone bono ſcriptore nuncupatos, anno 885. à Godoferdo Normanniæ rege, cui Carolus Craſſus Imperator pacis redimendæ gratiâ Friſiam attribuerat, ad eundem Imperatorem legatos eſſe miſſos: Gerolfo huic vero ſimili ratione patrem aſſignari poſſe Theodoricum Comitem illum, cui anno 863. indictione 12. Eidibus Aprilis. Ludouicus Germaniæ rex, Hemmæ maritus hac ipsâ coniuge ſuâ intercedente,* Waſdam *ſyluam (*Waſiam, *Flandriæ partem, cui Imperialis nomen, quidam; alij* Walachriam *interpretantur) cum omnibus eius partibus, pratis, agris, aquis, vijs, ſitam in Comitatu eiuſdem, habendam dedit optimo & perpetuo iure, tranſituro etiam ad hæredes poſteroſq;: Et Gerolfum hunc non alium eſſe quàm eum, de quo diploma vetus loquitur, ſignatum ab Arnulfo Imperatore, Caroli*

Craßi in Imperio successore, anno 889. prid. Non. Aprilis, quo diplomate Imperator eum vocat fidelem & venerabilem Comitem suum, *& donat hobis & mansis, id est, prædijs aliquot in Comitatu ipsius in* Rhenum fluuium, *&* Suithardeshagam *cum ædificijs, syluis, campis, pascuis, aquis, aquarumq́; decursibus molendinis, & deniq; omni connexo iure; transferens in eum verum locorum istorũ dominium: genuisse autem filios duos; atq; ex his alterum VValgarium Frisionem esse, qui anno 893. vt Regino narrat, Eberhardum ducem Meginardi filium venandi causâ egredientem per insidias interemit, quique, vt annales Hollandici fabulis pleni sine teste fide digno commemorant, Comes Tristerbandiæ demum sit declaratus: alterum Theodoricum aui nomen referentem, primum in serie eorum Comitum, qui in solo veteris Batauiæ Comitatum illum magnum tenuêre, quem Hollandiæ nomine sequentia sæcula censuerunt, conditoremq́; Comitatus istius, & clarißimæ familiæ: hunc à Carolo Francorum rege, non Caluo, vt hactenus malè creditum, anno 863. sed Simplice anno 913. præter ea, quæ iam à parente Gerolfo haberet in Frisiæ solo, donatum insuper esse, procurante Haganone Comite*, Ecclesiâ Egmondanâ cum omnibus ad eam iure pertinentibus à Suithardeshaga vsque ad Fortrappam & Kenhemum; *(verba hæc ipsarum tabularum sunt,) & quidem donatum hoc modo, vt regionem eam omnem cum mancipijs, quæsitis, acquirendis, pratis, pascuis, aquis, aqua-*

rumve

rumve decursibus teneret haud aliter ac reliquas possessiones ex hæreditate acceptas, essetq́; ei & posteris eius potestas de ijs disponendi pro arbitrio suo, impediente nemine: His verò tabulis ditionem istam Theodorici à Carolo Rege donatam secundum quatuor cæli regiones definiri, ab Oriente Suitberdeshaga, à meridie Fortrappâ, ab Occidente Oceano, septentrione Kinhemo: terminorum autem horum Fortrappam fortasse prope Cadsandam in Flandriæ orâ, & Suithershagam aut Sudervvoldam prope Monachodamum in orâ sinus Austrini, aut Hilligommerbecam duobus ab Harlemo milliaribus distantem locum viâ Leidensi fuisse: (nihil enim hîc certi ne ipsis quidẽ ista coniectantibus. Nomina enim vetusta cum rebus pleraq; periêre.) Post hæc Theodorico I. vitâ functo successisse Theodoricum II. eum ob affinitatem (filium enim eius Arnulfum, futurum opum paternarum hæredem, in matrimonio habuisse aiunt Lutgardiñ Theophaniæ, quæ Ottonis III. Imperatoris mater fuit, sororem) ab Imperatore hoc Ottone III. cum alijs beneficijs affectum, tum feudi vinculo, quo obligatus hactenus Imperio Germaniæ fuerat, esse exemptum, & planè sui iuris cum posteris factum: & datas ei hac de re tabulas Nouiomagi anno tertio imperij Ottonis, Christi verò 985. die 8. Calendas Septembres annitentibus Theophaniâ Imperatoris matre, Egberto Archiepiscopo Treuirensi, Theodorici huius filio, Imperatori percaro, Henrico Bauarorum Duce Imperatoris eiusdem agnato.

Alia, quæ de origine & initijs Comitatus eiusce, & horum Comitum memorantur ab ijs, qua annales Hollandiæ condiderunt, scriptores hi eruditißimi, ac viri summi, veritatis genuinæ studiosi in commentis vanorum hominum, qui fabellis delectantur, ac historiam poësi similem faciunt, habent. Agnoscunt caput annalium patriorum fabulosum esse, incunabula noui Comitatus recẽtiora esse quàm tempora Caroli Calui, nec Carolum hunc Caluum, si maximè tempora quadrarent, dare nouo Comiti potuisse, quod ipse nec iure, nec facto teneret, nec primis donationum tabulis aut Caroli aut Ludouici comprehensos fuisse Frisios inter Fleuum & Lauicam colentes. De ijs verò Frisiis, qui ad Occidentem Fleui & sinus Austrini sunt, opinantur quidem, libenterq; Carolinis tabulis eos includunt, sed præter opiniones & cõiecturas infirmas quod in medium hîc adferant, aut sequantur, (liceat mihi pace virorum eruditißimorum ac clarißimorum in diuersam abire sententiam) videntur habere nihil. Incerta enim oppidò res est de Suithardeshaga, quam terminum esse Comitatus ad Orientem, Frisiam versus tabulæ vnanimi consensu adfirmant. Et sanè religio nobis sit, tanti ponderis ac maiestatis res lubricâ ac fallaci coniecturâ definire, cùm præsertim multa ex parte aduersâ repugnent. Quæ cuiusmodi sint, infrà à nobis fusè commemorabitur. Succedaneus autem sum ac maximè faueo eorum sententiæ, quâ dicitur Theodoricum primum non Aquitanum, sed indigenam fuisse. Verùm, Frisiusne origine fuerit, ac

Gerolfi

Gerolfi Comitis illius apud Reginonem filius, an secus, hic hærere me fateor. Character enim nominis à nominibus Frisiorum vetustis haud parum abhorret: quod de VValgero, qui frater ei, adsignatur dici non potest. Nam forma ista vocabuli & Frisiis & alijs quadrat. Gerolfus autem & Gerdolfus, & Geroldus sine dubio in Frisiâ nata nomina sunt, quanquam exteris quoq; ciuitatibus donata. Gerolfum etiam in Frisiâ liberâ, quæ post Alcmariam & Harlemum ad Orientem iacet, imperium aliquod hæreditarium isto sæculo possedisse, mihi verosimile non fit. Et mirum sanè est, tempora tam vitiosè vtrisq; in tabulis annotata esse, vti ea, quæ typis vulgata exemplaria etiam optima sunt, habent. Indictiones enim adscriptæ, quæ certitudinis maioris gratiâ solent adscribi, cũ annis æræ Christianæ haudquaquam conueniunt. Nam si Carolinæ tabulæ non Caluo, sed Simplici tribuantur, si rectéq; referantur ad Christi annum 913. non potuit in ijsdem rectè adscribi Indictio II. *vti exscripsisse se ex archiuis Egmondanis ait Petrus Bockenbergius, sed oportuit annotari Indictionẽ I. vt de anno Caroli regnantis 30. nihil dicam. Nec dispar hallucinatio est in tabulis alteris. Quæ nescio quid suspicionis inijcere lectoribus queunt. Sed hæc forsan leuiora. Illud momenti maioris est, quomodo Carolus Simplex facere potuerit, si is tabularũ Carolinarum autor, quod Caluum facere non potuisse, viri summi fatentur? Loquor de donatâ regione, quam Caluus nec iure nec facto tenebat. Latiusne patuit Simplicis regnum ad Orientem quàm*

Calui? Rhenumve etiam transiit? Frisiam complexum fuit? qui Simplex afflictas & diminutas res Galliæ accepit, qui contemptui & penè ludibrio tum suis tum hostibus fuit, qui paulò ante id tempus, quo tabulæ hæ scriptæ putantur, bonam regni sui partem tribuere Normannis necessum habuerat. Quomodò id doceri poterit? Mihi quidem idonea ratio nulla hactenus occurrit. Nec mihi voluntas nunc est discutere hoc prolixiùs: aliis, quibus facultas huius maior, discutiendum libens relinquo. De origine & antiquitatibus Frisiorum scripsi dudum in libello quem Suffridi Petri & Bernardi Furmerij fabulis & calumnijs hominum in me iniquissimorum & maledicentissimorum opposui. Ad hunc, & ad tertium librum Historiæ à me editæ, in quo multa etiam huc pertinentia sum complexus; atq; adeò ad reliqua Decadis primæ lectorem noscendi cupidum remitto. Nam eadem heic reponere nec animus meus, nec tempus sinunt. Mea semper sententia fuit, qui altiùs scribendo & commentando repetunt res alicuius gentis, quàm monumenta literarum vetusta & fide digna patiuntur, eos, si seriò agant, impostores esse, & qui ijs applaudunt, aut fidem habent, & commentis talibus delectantur, fatuitate laborare, ac re ipsâ ostendere, nugas se magis quàm res serias amare. Et de rebus gentis nostræ dico, quicquid earum fuit ante tempora primorum Cæsarum Romanorum, id nobis prorsùs ignotum esse. Quæ verò ad Cæsarum tempora pertinẽt usq; ad Arcadium & Honorium filios Theodosij magni, de ijs nihil nobis consta-

De origine & antiquitatibus Frisiorum.

constare affirmo, nisi quod Romani scriptores literis suis complexi sunt. Et quæ has etiam secuta sunt in annum vsq; 690. æræ Christianæ, quo VVilibrordus cum socijs suis docendi Euangelij causâ ex Angliâ in Frisiam venit, non aliunde quàm ex Romanorum, aut Francorum, aut Anglorum, eorumve, qui ex Angliâ in has regiones commigrarunt, cognosci posse aio. Posteriores quoq; aliquot sæculorum, paucis exceptis, exteris potius quàm nostratibus scriptoribus nos debere extra controuersiam pono. Serò enim res actas posterorum memoriæ prodere, id est, annales condere, maiores nostri cœperunt. Nam Cappidi, Sulcones, Scarlenses, & similes scriptores qui memorantur, aut nulli fuêre vnquam, aut fabulatores nugiuendi fuêre. Itaq; cùm Furmerius ante quinquennium ex his concinnatum volumen, magnoq; studio elaboratum per multos annos, in lucem tandem protrusisset, eiq; titulum præfixisset hunc, Annalium Phrisicorum libri tres, quorum primus de Principibus, alter de Ducibus, tertius de Regibus tractat, *risum tenere non potui, & titulo isto inducto, alium operi conuenientiorem in exemplari, quod primum ad manus meas peruenit, reposui, huius scilicet sententiæ:* Systema inanium fabularum, de veteribus Frisiorum rebus, quæ nunquam fuêre, in crebro vanorum & otiosorum hominum proximo sæculo natarum, ac nunc diligentiùs recoctarum, distributum in partes tres, &c. *Sed risum indignatio secuta est.*

Dole-

Dolebam quippè nouâ hac atq; iteratâ fabularum editione denuò labem carißimæ patriæ adspergi. Sic enim sentiebam, Furmerium, qui se autoritate publicâ constitutum historiographum Frisiorum ordinarium ferret, & sua illa vanitatis manifesta rectoribus Reip. patriæ inscriberet, commentisq; inanißimis historiæ nomen imponeret, vanitatis aliquam notam nostratibus inurere, atq; ea etiam, quæ verißima sunt in maiorum nostrorum rebus, falsi suspicione grauare. An malè id senserim, prudentum iudicium esto. Nec refert, quod bono studio Furmerius post Suffridum hæc talia scripsisse dicatur. Plerumq; enim accidit, vt inepti prodesse dum student, maximè noceant. Et erat quidem mihi tunc animus, statim fabulis illis scripto publico occurrere, ac veritatem tueri: sed paulò post sententiam mutaui, monentibus amicis ne cum laruis pugnando temporis iacturam facerem: contentusq; fui notis ad marginem exemplaris mei adscriptis, quibus vanitas autoris & operis aperitur Nec pœnituit me hactenus consilij eius, quanquam post edito tomo altero, quam triadem secundam vocauit, Furmerius silentium meum, vt fatui solent, in triumphum suum verterit, & ἐπινίκιον cecinerit. Sed missum facio hominem, & ingenio eum suo relinquo: qui tam insigniter ineptit, vt fabulas has à se recoctas protrusurus in lucem, velut maximam & periculosißimam rem moliens, cum C. Cæsare bellum ciuile ineunte rectè dicere sibi licere scribat, Eamus, quo deorum ostenta & inimicorum iniquitas vocant: iacta

iacta est alea. *Scilicet totius reip. fortuna in eo vertebatur, aut de maximo imperio parando perdendove agebatur. Atq; hoc,* iacta est alea, *ter vnâ in præfatione breui, tanquam summum periculum in re difficillimâ occupans, repetit. Tum certitudinis fundamentum præcipuum ac firmißimum collocat ad tuendam fabularum fidem, quòd temporum, locorum, personarum circumstantijs vestitas eas producat in scenam, imprimisq; tempora earum temporibus veræ historiæ accommodet.* Et *in hoc sibi ipse placet mirificè. Quasi verò in quouis commento fabuloso idem fieri non poßit, aut quasi fabula fabula non maneat, etiamsi accuratißima ei chronologia aptetur, loca signentur, rerum personarumq; confictarum series quædam exponatur.* Cætera *quoq; sunt similia, totum drama commentitium de* Fresone, *siue* Indo, *siue* Persâ, *deq; liberis & posteris eius, de ijs, qui eum ex Asiâ secuti sunt, de legibus, institutis, libris scriptis, de bellis, de* Druidibus *Frisicis, de colonijs conditis, & quæ eius generis sunt, non plus veritatis habet, quàm* Homeri *batrachomyomachia, aut poëtarum aliorum gigantomachia. Quæ si quibus placent, gaudeant sanè iudicio suo: Licet ijs hoc per me. Sino libens sordescere, qui sordescere cupiunt, & his se delicijs aut delirijs oblectare, ac maioribus istis gaudere, quos* Sol *nunquam vidit, terra non aluit.* Mihi *animus adhuc est, vti ab initio fuit, veris insistere, & ea, quemadmodum in historiâ feci, ita in hac quoq; parte, de gētis nostræ rep. è tenebris in lucem proferre, & hodierna,*

quæ

quæ nostratibus nota domi sunt, exterorum etiam notitiæ aperire. Cæterum de formâ reip. vniuersæ, aut in singulis partibus apud maiores nostros priscis temporibus quæ fuerit, accuratè & minutim dicere posse hodie, aut proximis sæculis potuisse, arbitror neminem. Tacentibus enim vetustis monumentis fide dignis, vnde hauriri eius notitia potest? Coniecturis quippè hic agere, lubricum nimis, & incertum, nec historiæ genuinæ congruum: comminisci autem siue aptè siue ineptè, absurdum, ac in historiographo nullo modo ferendum. Hoc verò solùm affirmare licet, quod in vestigijs antiquitatum priscarum conspicuum est, post reges suæ gentis in ordinem redactos, regiumq; dominatum abolitum sub imperio quidem Francorum aliorumq́; Germanorum Frisios fuisse, comiterq́; imperij eius maiestatem agnouisse & coluisse, attamen libertatem quandam suam, eamq́; raram & inusitatam alijs in populis tenuisse. Etenim licet aliorum quoq; populorum vicinorum, imprimis istorum, qui Belgij finibus comprehendebantur, fortuna cum seruitute nihil habebat commune, propterea quòd ij, qui eos regebant, legum septis erant circumscripti, quæ ius commodumq́; parentium muniebant, tamen conditio horum cum conditione Frisiorum conferri haudquaquam poterat. Nam hi florentibus Francorum rebus primùm pro arbitrio Imperatorum aut Regum præfectos accipiebant, penes quos & regimen & iurisdictio erat, manebantq́; quamdiu ijs, à quibus dabantur, placebat. Dein mutato more imposi-

De forma reip. veterum Frisiorum.

Libertas Frisiorum veterum.

tos

tos ab ijſdem Imperatoribus aut Regibus Rectores perpetuos, *iure ac honore hæreditario ad liberos aut ſanguine proximos tranſeunte, ornatos, diuerſisq́; dignitatum titulis decoratos Imperij Regnive clientes, quos* vaſallos *aut* valuaſores, *aut* ligios *vocant, ferebant. His verò ſtudium plerumq; erat, inſitum ingenijs dominantium, quantum res ſinebat, ſuam hæredumq́; poteſtatem ac ius ſenſim augere, populorum ius & libertatem accidere atq; arctare. Et horum tota erat iuriſdictio: hi præfectos inferiores, & cæteros reip. conſulentes, aut múnera alia gerentes, genijs ac deſiderijs ſuos congruos dabant, vectigalia capiebant, ſæpè etiam tributa petebant, & impetrabant, nec rarò bella ſuadente libidine mouebant, populosq́; deliria ſua quo iure, quâ arte luere cogebant: denique ipſo ſplendore ſuo ac luxu reip. onerierant. Poſtremò ſi quid immunitatis, ſi quid, quod ſecundùm libertatem eſſet, ciuitatibus, aut nobilitati, aut alijs concedebant, vendebantve, id acceptum gratiæ ſuæ ferri volebant. At Friſij maiores noſtri, præter Imperatores aut Reges, principes dominoſvę alios eius generis nullos agnoſcebant: rectorem totius gentis, quem* POTESTATEM *vocabant, è ſui medio ipſi eligebant: magiſtratus cæteros & iudices omnes ex ſe edebant annuos vt plurimum, aut biennes trienneſve, aut vt ipſis placebat: idq́; faciebant diſtincti in populos varios ſecundùm partes regionis diuerſas, & diuerſa territoria, prout ipſorum vſus, aut mos,*

aut

aut ratio poscebat, aut voluntas ferebat. Nec enim vna & eadem in his ratio erat vbique, nec immota, & constans omni tempore. Ipsi enim legum & consuetudinum suarum, rerumq́ue talium domini erant. Quòd si quando Imperator aut Rex, quod factitatum etiam olim, cum creandæ POTESTATIS *mos obsoleuisset,* Comitem *aut* Sculthesium *iuri dicundo in Frisiam mitteret, id tamen libertati non officiebat. Quippè præsides hi tantùm erant iudiciorum superiorum tum autoritatis tum concordiæ seruandæ causâ, & munus solummodò gerebant momentaneum, quod rarò bimestre aut trimestre excedebat; iudices autem, quibus dicendarum sententiarum ius erat, ipsi ex medio sui, vt iam dixi, Frisij deligebant. Ad hæc ijdem maiores nostri comitia libera habebant vel toti genti communia, quæ* Vpstallesbomica *ex loco, in quo conueniebatur, in agro Auricano ad Orientem fluminis Amasi, vocabantur, vel singulorum pluriumve populorum: in quibus leges ferebant abrogabantve, reip. vitia corrigebant, de rebus maximis consultabant, fœdera aut noua sanciebant, aut vetera confirmabant, de bello & pace, de mutuis auxilijs, & similibus statuebant: magistratus liberis suffragijs quondam etiam designabant: sæpè quoque lites maiores reip. periculosas cognoscebant & finiebant, deq́ue priuilegijs decreta interponebant. Ab his comitijs distincti erant conuentus iuridici, qui statis temporibus in diuersis populis diuersi habebantur, ad quos coibant iudices territoriorum omnes, & ij, qui sedendi illic, aut*

ferendæ

ferendæ sententiæ iure erant præditi, ad recognoscendas sententias inferiorum tribunalium instituti: in quibus quod ferebatur, aut definiebatur, id fixum habebatur, vt ab eo appellatio vlterior non pateret, ne ipsius quidem Cæsaris aut Regis. Tota gens ignara quondam tributi, nisi quod honoris causâ valde tenue Cæsari quotannis pendebat: nescia quoq; clientelæ, aut iuris feudorum: in quâ quod quisq; tenebat, hoc iure optimo, vti proprium ac verè suum, non beneficio cuiusquam alterius tenebat. Nec extra Frisiæ regiones cuiquam militare necessum erat, quanquam belli studiis multum dedita, & in armis parata: vnde sæpè sponte suâ Cæsaris signa sequi, ac longinquam militiam inire, & pro Cæsare, aut nomine Christiano fortiter pugnare. Domi autem impendijs, laboribus, periculis perpetuis premebatur ab Oceano & tempestatibus, atq; hoc quasi bello quodam anniuersario exercebatur. Verùm quemadmodum ob dissensiones & factionum studia, malum familiare populari libertati, summi magistratus toti genti communis, quem POTESTATEM *vocatum dixi, creandi mos paulatim exspirauit, sic generalium comitiorum Vpstallesbomicorum vsus etiam sensim est antiquatus. Inualueratq́; iam consuetudo, aut seorsim sibi partes maiores consulerent, & solutâ rep. communi in resp. diuersas scinderentur. Quin etiam pars ea, quæ ad Occidentem Fleui iacens in Hollandiam porrigitur, armis Hollandicis fracta, ac à socijs deserta dimissâ libertate alienum imperium iamdudum subierat.*

Idemq; acciderat alijs quoq; non paucis ad meridiem ac Orientem sitis, quos recensebo paulò pòst. Qui verò reliqui erant, quibus LIBERORVM FRISIORVM nomen tribuebatur, ab ostio Visurgis vsq; in Fleuum & Austrinuum sinum habitantes, regionibus tribus secundùm litus boreum longâ inuicem intercapedine disclusis distinguebantur: quarum regionum prima Orientem respiciens Visurgi & Amaso, media Amaso & Lauicâ, tertia Occidentem spectans Lauicâ & Fleuo fluminibus terminabantur. Et hi tres populi maiores his finibus discreti tres separatas societates aut resp. generales conficiebant, quas prouincias ex more loquendi hodierno appellare liceat. Populi verò isti maiores singuli in plures minores, regionesq; in regiones aut agros angustiores subdiuidebantur, & legibus quoq; ab statutis & consuetudinibus inter se ferè discrepabant. Linguâ omnes vtebantur Germanicâ vetere, sed dialecto adeò differente à reliquâ, cuius vsus in Belgio, Saxoniâ, vel VVestphaliâ erat, vt propè alia lingua sui cuiusdam peculiaris generis esse videretur, & ab ipsis illis vicinis non benè intelligeretur. Et hæc quamquam ad nos vsq; plurimis in locis, potissimùm autem inter Fleuum & Lauicam, interq; Amasum & Visurgim perennauit, varijs idiotismis secundùm varias regionis partes distincta, tamen à formâ illâ vetustâ intra annos 400. aut 350. plurimùm deflexit: adeò sanè, vt qui hodiè quanquam patrij sermonis peritissimi vetera talia legunt, in ijs intelligendis nisi multum in isto studio antè ver-

[Lingua Frisiorũ.]

sati

sati laborent. Sed de linguâ, de institutis ac moribus gentis, deq́; regionis vniuersæ partitione ac situ, & similibus, scripsi prolixiùs Historiæ nostratis libro primo & secundo: vnde peti ista possunt: quædam etiam paulò pòst hoc eodem libello denuò dicenda existimo. Ad libertatem popularem, à quâ breuiter digressus sum, me nunc refero. Ea armis sæpè petita & oppugnata à vicinis pariter & longinquis, sæpè etiam insidijs & astu tentata, & cuniculis suffossa, varijsq́; procellis quassata ac nutans stetit tamen per multa sæcula, aut strata propemodum resurrexit, dolentibus & frementibus inimicis: donec tandem domesticis factionibus labefacta in Oriente ab Vlrico Grethano arte diminuta dissolutaq́;, in Occidente ab Alberto Saxone arte simul & Marte oppressa sensim succubuit. Quæ quomodò sint acta, in Historiâ exposui. Sed sunt, qui eleuant ac sugillant hæc, quæ de libertate maiorum perhibemus. Et sunt in his viri sanè magni, summâq́; doctrinâ & dignitate præditi, & nobis quoq; priuatim singulares amici: sunt etiam homines nauci vaniq́;. Quibus si respondero breuiter hoc loco, nō alienum à proposito, atq; ab officio meo facturum me arbitror, quemadmodū nec in reprehensionē iustam æquorum lectorum, aut in offensionem aliquam amicorum propterea me incursurū spero. Primus, qui hoc proximis annis publicè facere cœpit Hermannus Hamelmannus fuit in volumine rerū Oldenburgicarum, & ei succēturiatus QVIDAM, homo verè ineptus, doctrina & cerebri sani expers, Hamelmanni, vt aiunt, gener,

Veritatis defensio, contra dissentientes, & libertatem Frisiorum impugnantes.

cum pica alienis se plumis ornans, & tamen præter maledicta perpetua nihil ad causam adferens. Hamelmanno *ad vrbem vsq; Groningam fingendi audaciâ imperium vetus Oldenburgiorum proferenti, & Frisios omnes à Visurgi ad dictum limitem his subijcienti respondi dudum in Epistolâ lectori inscriptâ, præfixâ Decadi tertiæ Historiæ in editione priori, quæ in calce voluminis huius rursum excudetur. Nec libet heîc cum laruis istis pugnare prolixiùs. Succenturiatum ne responso quidem dignum & tum putaui, & nunc puto. Ad eos me verto, quos meritò ob virtutem, doctrinam, dignitatem, natales illustres veneror, viros verè magnos, quorum tanta apud me autoritas est, vt nisi clarißimus veritatis splendor oculis illucens meis obstet, frangere eâ me, & in partes trahere suas posse videantur. Prima his ratio ducitur ab ineptâ, quæ vulgò circumfertur, & quam tuendam quidam susceperunt homines belli, historiographorum nostræ gentis nomine sibi placentes, Carolini diplomatis formulâ. Verè enim hæc talis est, vt semet ipsam vanitatis manifestam faciat. Quod vti agnoscere me ostendi Historiæ libro tertio, ita verum esse in disputatione De origine & antiquitatibus Frisiorum contra Suffridum & Furmerium prolixè demonstraui. Cur enim non? cùm tuendis ijs, quæ manifestò falsa sunt, etiam in asserendis veris is, qui hoc facit, fidem suam suspectam reddat. Primus, qui argumento hoc vsus est, ad insimulandam vanitatis fidem eorum, quæ de libertate vetustâ maiorum nostrorum vulgò ferebantur,*

, fuit abauorum memoriâ Albertus Crantzius
nburgensis, non parui nominis historiarum Arctoi
s scriptor, sed Frisijs vbiq; periniquus ob ciuita-
suam, quæ tum temporis graue odium in gentem
tram exercebat. Verùm eneruis hæc ratio est, nec
is idonea ad subruendam, quam oppugnat, senten-
im. Non enim si quid vulgus, aut quidam in eo de-
ant, & laciniæ aliquid rei veræ assuunt, id totam
m falsam efficit. Vt de Romulo, non propterea pro
bulâ habendum, eum Romam condidisse & pri-
ium eius regem fuisse, quod quidam finxerint Deo
Iarte eundem genitum esse, & lupæ quadrupedis
bera suxisse. Et de Theodorico principe & conditore
familiæ eius, quæ multo tempore in Hollandiâ rerum
otita est, non idcircò vanitatis damnandum id, quod
traditur, eum primum veteri Batauiæ, aut huius
parte dominum à Carolo Francorum rege esse imposi-
tum, & sequentes istius oræ Comites longâ familiæ
serie genuisse, quod Turpini quidã nouitij, vt loquitur
nobilissimus & eruditissimus IANVS DOVSA
genuinæ historiæ Hollandicæ ἀρχηγὸς, commenti sint,
& constanter affirmarint eundem illum Theodoricum
gente Aquitanum, Sigeberti filium fuisse, à Caluo
rege id honoris & doni accepisse, & totam fabulam
fortunæ & gestorum eiusce nugatoriè confictam velut
veram historiam protruserint in lucem, imò summos
& imos astipulatores repererint. Similiter an quis
somnium esse censebit, Theodorici posteros armis Fri-
siorum libertatem oppugnatum sapè iuisse, propterea

 quod

quod ijdem Turpini nõ minùs impudenter quàm falsò asserere ausi sint, omnem Frisiæ regionem Lauicâ tenus Theodorico eidem à Carolo Caluo rege fuisse assignatam, & inuitam ac recusantem bello subactam, traditamq́; ? An quia Francionem & Sicambriam similiaq́; figmenta Hunibaldus comminisci, & vulgare veritus non est, & nugis suis multos in errorem induxit, quisquam Francos gentem validam fuisse, Galliam inuasisse, illic sedes posuisse, regnum condidisse negabit? Non faciet, qui sanâ mente erit. Sed addunt, qui istam contra nos causam agunt, in Francorum annalibus, ea quæ de Frisiorum nostrorum virtute, de rebus pro Carolo fortiter & fœliciter gestis, de eorundem apud Carolum gratiâ, de libertate donatâ, de legibus descriptis à nobis feruntur, non extare. Quid mirum, si Franci suæ gloriæ augendæ plus satis auidi, exterorum laudes officientes luminibus silentio prætereunt, & omnia sub Carolo & cum eo magnificè gesta in se solos verterint? Quàm id frequens? Quàm multa similia in monumentis aliorum? Quàm multos constat à se suisve gesta prodidisse, quæ non ab ipsis solùm, sed ab alijs quoq; cum ipsis gesta fuêre? Possem infinita huiusmodi memorare, si res posceret, aut prolixum nimis, & cum tædio coniunctum non esset: nec externa tantum ac vetusta, sed patria quoq; & recentia. At etiam Aimonus bonus autor, qui Carolinis temporibus proximus fuit, velut disertè nobis contradicens, & sententiam nostram refutans, in nos producitur. Ait enim is, Ludouicum Pium


aroli Magni filium Saxonibus & Frisonibus ius paternæ hæreditatis, quod sub patre ob perfidiam legaliter perdiderant, imperatoriâ clementiâ restituisse. Quæ sanè verba non meritum Frisiorum, sed maleficium, non præmium à Carolo ijs tributum sed pœnam irrogatam, non libertatem donatam, sed conditionem, quæ secundùm seruitutem est, illatam significare videntur. Non nego id quidem: attamen non confici ex eo, quod isti volunt, haud quaquam concedo Nam vel temporum sola distinctio argumentum perimere potest, cùm Sigibertus Gemblacensis euentum istum ad annum æræ Christianæ 784. pertinere demonstret, nos verò 20. saltem annos Carolinum beneficium secutum esse statuamus. An non potuêre posterioribus meritis delictum hoc, si delictum fuit, Frisij compensare? non pro offensâ gratiam Caroli sibi conciliare? Sanè potuêre. Sed & aliud est multò maius, quod argumentum idem refellit. Nam quod de vnâ aliquâ parte non magnâ dicitur, id ad totum referri non potest. Regino autem maior etiam autor quàm Aimonus, hoc quod Aimonus de Frisijs scribit, ad partem tantùm eorum pertinere affirmat, vti fatentur ipsi, qui Aimonum contra nos producunt. Et quæ verò ista pars gentis nostræ est, quæ culpæ huic & pœnæ fuit affinis? Non alia quàm Transalbiana, quæ cum Transalbianis Saxonibus Carolo rebellârat. Carolus autem Saxonas illos eosdem ob peruicaces animos, & rebellionem ponere nescios decennio post patriis sordibus excedere, & in Belgium commigrare coëgit.

Quæ cùm ita habeant, euanescit hoc, quod velut inuictum cõtra nos ex Aimono fuit depromptum. Quãto verò certiora & firmiora sunt ea, quæ nos pro asserendâ hac maiorũ nostrorum & vetustißimâ & verißimâ libertate in medium adferimus? Primum in antiquißimis legibus nostris, quas 12. illis Romanorum legũ tabulis aßimilare liceat, vestigia quædã Carolini beneficij, ac singularis gratiæ in gentem nostram impressa habemus. Deinde ipsæ hæ leges, quantæ quantæ sunt, ad libertatem sunt comparatæ. Accedit notißima & vulgò apud æmulos quoq; vsitata & trita appellatio, quâ à longißimâ vsq; memoriâ LIBERI FRISII *sumus nuncupati: quod ne ij quidem, qui in parte aduersâ sunt, inficiari possunt. Prætereà aliquot Imperatores optimi & maximi autores simul & testes (quorum in numero ipse etiam Guilhelmus Hollandus est, cui tota hæc res notißima fuit, cuius maiores toties ob eam arma sumpserant, prælia inierant, variam belli aleam experti fuerant, auus coniunctißimis Frisiis vsus erat, imò Frisiam Translauicanam penè vti suam prouinciam gubernauerat,) in diplomatis suis Caroli Magni diploma de libertate hac, de quâ hîc agitur, expreßè nominarunt, eandemq; libertatem cum eodem illo diplomate se confirmare & ratam velle testari sunt. Quâ ratione quid potest esse in hac disputatione euidentius, ac validius? Et Guilhelmus quidem sanctione hac suâ, qui Comes Hollandiæ erat, si quid à prioribus Imperatoribus in gratiam commodumq; maiorum suorum sine voluntate Frisiorum*

[Frey Friesen.]

sanci-

ſancitum erat, id omne ſine dubio vt obreptitium ac inualidum ſuſtulit. Cætera prætereo huius generis, quæ adferre poſſem. Ipſa bella huc aduoco per tot ſæcula ab exordio vſq; Comitatus in Batauiâ aut Hollandiâ conſtituti ad opprimendam hanc Friſiorum libertatem ab Hollandis Vltraiectinis, Saxonibus, Oldenborgijs, Bremenſibus, Holſatis, Danis geſta. Quid enim ea præter ſtatum libertatis, quem armis, cum pacatis ſibi eſſe non liceret, maiores noſtri tuebantur, pro quâ vel mortem ſibi oppetendam eſſe ſtatuebant, velut clarâ voce clamant? Et licet armorum fortuna non ſemper animis & virtuti virorum fortium reſponderet, & hic illic ſuccumberent aliquando, qui pro libertate pugnabant, atq; ita vis felix iure potior fieret, tamen nec ad totam gentem pariter vnoq; tempore id pertinuit, & vbi ſtrata libertas fuit, paulò pòſt ſe rurſum erexit, ſtatumq; priſtinum recuperauit. Nec obſtat, quod de Guilhelmo primo eius nominis Comite Hollandiæ obijcitur, qui & dum vixit frater natu maior in Hollandiâ ſceptra tenentem, & cùm idem obijſſet, Friſiis cis vltraq; Fleuum in Lauicam amnem præſedit. Nam is nec ex Imperatorum tabulis id habuit, per quas addici ſe obſequio aliorum Friſij non ſinebant, nec iure alio, quàm quod à voluntate populi pendebat, nec tranſibat ad hæredes. Itaq; ipſo defuncto, qui populo gratiſſimus fuerat, & populum ipſe viciſſim amauerat, adhæſit quidem adhuc aliquantiſper filio eius Florentio ob memoriam parentis: ſed cùm hic res nouas moliri, & firmandi ſibi ac ſuis im-



perij consilia alia coquere deprehensus esset, reiectus à populo etiam hoc, quod habere videbatur, qualecunque ius prorsùm perdidit. Qui verò post hunc repetere idem, & vi vel consilio istuc peruenire per annos plus minùs 270. conati sunt vsque ad Saxonica tempora, quâ fortunâ sint vsi, in Historia est explicatum. Stetit scilicet, vt paulò antè dixi, incolumis populi libertas, quanquam concussa vehementer, & ab Alberto Bauaro propè subuersa. Stetit, inquam, libertatis vsus integer tot post annos, quanquam fremerent inuidi & inimici potentes Hollandi, Hannonij, Bauari, Burgundi, & in omnes se formas propterea verterent: vel solum fundamentum certum & sufficiens docendi tuendique iuris huius, de quo quæritur. Quod intelligens Maximilianus Imperator, quo tempore filio suo Philippo Frisiam tradere meditabatur, per ambages potiùs quàm viâ rectâ istuc eundum sibi putabat, ne qua suspicio existeret, repeti ius illud Frisijs perquam inuisum, quod sibi Hollandiæ Comites ex tabulis, aut possessione qualicunque maiorum arrogare solebant. Atque hoc nisi fecisset, haudquaquam, vt tum tempora erant, istuc, quò volebat, peruenisset. Itaque Saxonem subornauit, cui cum Hollandico hoc iure nihil erat commune, eique Potestatis titulum, qui secundùm libertatem esse videbatur, tribuit, atque omnia istuc comparauit, vt vulgò crederetur, nomine Imperij sacri ac Imperatoris Frisiam eum gubernaturum. Quinimò in ipsis istis tabulis, quibus in eum ius Potestatis huius ac munus gubernandæ Frisiæ contulit,

quæ

quæ tanquam ad populum phaleræ futuræ erant, libertatis à Carolo Magno donatæ, & nuper adeò à parente etiam suo nouâ sanctione confirmatæ memoriam cum honore ac laude recoluit, vt expeditiùs falleret. Simul autem secretò cum Saxone eodem pactus est, vt regione potitus Philippo filio ipsius Hollandiæ principi eam cederet. Et tamen actum eo tempore & Maximilianus & Albertus egissent, si concors modò Frisia fuisset. Sed Nobilitatis ambitio concordiam sciderat, & factiones saluti publicæ capitales excitarat. Hæ in bellum ciuile eruperant, & multas clades populo dederant: donec tandem pars altera fathiscens, vt se, vel cum seruitute patriæ, fortunæ restitueret, Saxonem auxilia rogatum, id ipsum aucupantem, in Frisiam vocauit. Ille benignè pollicitus, princeps inueteratæ prudentiæ, quô certiùs faciliusq; tandem vinceret, vtrique primum parti clam vires suffecit in eum finem, vt se mutuò attererent. Ac tum demùm superueniens se dominum Frisiæ vltra citraq; Lauicam flumen imposuit. Hactenus de libertate gentis istis in locis: quam tanti fecerunt in eâ nati, vt vicinorum suorum conditionem, qui sibi valdè liberi ijs temporibus fuisse videntur, præ eâ propè seruitutem interpretarentur. Vnde toties & maxima discrimina subiêre, & grauissima mala perpessi sunt, & sanguinem sæpè suum fuderunt, vt hanc sartam tectam seruarent, istam ne irrogari sibi paterentur. Nam id Hollandiæ principes agebant, cùm Frisiam appetebant, vt

ijsdem

perij consilia alia coquere deprehensus esset, reiectus à populo etiam hoc, quod habere videbatur, qualecunq; ius prorsùm perdidit. Qui verò post hunc repetere idem, & vi vel consilio istuc peruenire per annos plus minùs 270. conati sunt vsq; ad Saxonica tempora, quâ fortunâ sint vsi, in Historia est explicatum. Stetit scilicet, vt paulò antè dixi, incolumis populi libertas, quanquam concussa vehementer, & ab Alberto Bauaro propè subuersa. Stetit, inquam, libertatis vsus integer tot post annos, quanquam fremerent inuidi & inimici potentes Hollandi, Hannonij, Bauari, Burgundi, & in omnes se formas propterea verterent: vel solum fundamentum certum & sufficiens docendi tuendiq; iuris huius, de quo quæritur. Quod intelligens Maximilianus Imperator, quo tempore filio suo Philippo Frisiam tradere meditabatur, per ambages potiùs quàm viâ rectâ istuc eundum sibi putabat, ne qua suspicio existeret, repeti ius illud Frisijs perquam inuisum, quod sibi Hollandiæ Comites ex tabulis, aut possessione qualicunq; maiorum arrogare solebant. Atq; hoc nisi fecisset, haudquaquam, vt tum tempora erant, istuc, quò volebat, peruenisset. Itaq; Saxonem subornauit, cui cum Hollandico hoc iure nihil erat commune, eiq; Potestatis titulum, qui secundùm libertatem esse videbatur, tribuit, atq; omnia istuc comparauit, vt vulgò crederetur, nomine Imperij sacri ac Imperatoris Frisiam eum gubernaturum. Quinimò in ipsis istis tabulis, quibus in eum ius Potestatis huius ac munus gubernandæ Frisiæ contulit,

quæ

quæ tanquam ad populum phaleræ futuræ erant, libertatis à Carolo Magno donatæ, & nuper adeò à parente etiam suo nouâ sanctione confirmatæ memoriam cum honore ac laude recoluit, vt expeditiùs falleret. Simul autem secretò cum Saxone eodem pactus est, vt regione potitus Philippo filio ipsius Hollandiæ principi eam cederet. Et tamen actum eo tempore & Maximilianus & Albertus egissent, si concors modò Frisia fuisset. Sed Nobilitatis ambitio concordiam sciderat, & factiones saluti publicæ capitales excitarat. Hæ in bellum ciuile eruperant, & multas clades populo dederant: donec tandem pars altera fatiscens, vt se, vel cum seruitute patriæ, fortunæ restitueret, Saxonem auxilia rogatum, id ipsum aucupantem, in Frisiam vocauit. Ille benignè pollicitus, princeps inueteratæ prudentiæ, quô certiùs faciliusq́ue tandem vinceret, vtrique primum parti clam vires suffecit in eum finem, vt se mutuò attererent. Ac tum demùm superueniens se dominum Frisiæ vltra citraq́ue Lauicam flumen imposuit. Hactenus de libertate gentis istius in locis: quam tanti fecerunt in eâ nati, vt vicinorum suorum conditionem, qui sibi valdè liberi ijs temporibus fuisse videntur, præ eâ propè seruitutem interpretarentur. Vnde toties & maxima discrimina subiêre, & grauißima mala perpeßi sunt, & sanguinem sæpè suum fuderunt, vt hanc sartam tectam seruarent, istam ne irrogari sibi paterentur. Nam id Hollandiæ principes agebant, cùm Frisiam appetebant, vt

iisdem conditionibus imperium in eam sibi pararent, quibus Hollandiæ suæ imperabant: imò meliores quoque conditiones sine armis sub imperium venturæ pollicebantur. Nec aliud ab Vltraiectinis præsulibus, cùm hanc regionem sui facere iuris laborabant, quærebatur. De Cislauicanis dixi prolixè aliâs, statumq; reip. eorum & veterem & recentem explicui, eumq; libellum denuo cudendum, atq; his, quæ iam scribo, subiiciendum, curaui: quò lectorem noscendi cupidum remitto. In iis, qui ad Orientem Amasi & Dullarti sinus sunt vsq; in ostia Visurgis, eadem quoque olim libertatis ratio, idem reip. status. Quibus Monasterienses, Oldenborgii, Bremenses, Saxones idem quondam fuêre, quod Hollandi & Vltraiectini Occidentalibus. Et quemadmodum Hollandi Transfleuanos sibi confines, ac Vltraiectini Cuneranos ac iis confines, iam 300. ante annos armis oppressos à rep. Frisiorum auulsêre, ita etiam Oldenborgii 370. ante annos, adiuti aliorum principum ope, Stedingios in ripâ Visurgis velut religionis inimicos ac pœnis deuotos sibi subiugarunt. Idemq; multò ante in Morinuos ab iisdem, Monasteriensibus in Sageltanos, à Bremensibus in VVorsatos, VVerdenses, Oldelandios, à Saxonibus in Hadelerios, ab Holsatis in Eiderstedios & Nortstrandios, à Danis in alios factum. Cæteri, quos dixi, qui inter Amasum sinumq; Dullartum & Visurgim sunt, sæpè quidem bellis petiti, & incursionibus vexati, nunquam tamen aliorum imperium post Normannorum & Danorum tempora subierunt, sed in liber-

tate

tate populari perstitêre; donec astuta Nobilitas latifundijs ac reliquâ fortunâ suâ, quâ eminebat, non contenta iudiciorũ quoq; potestatem perpetuam sensim in se vertit. Id occœptum à paucis exemplo manauit ad plures, paulatimq; in morem promiscuum abijt. Hinc ambitione stimulante æmulatio nata, & finium territoriorumq; proferendorum studium. Vnde in factiones itum, populusq; in partes scissus postremò ad bella ciuilia ventum: exteri in partes tracti, regio miserrimè afflicta. Inter quæ Edsardus *primùm Ennonis Grethani filius, Vlrici germanus frater, ipso natu maior, caput extulit dux eorum designatus, qui pro libertate patriâ fœdus inierant. In cuius locum cùm sine prole in medio rerum harum cursu decessisset,* Vlricus *successit. Is ingenio vafro æquè ac magno in administrandâ re sic egit, vt conciliatis populorum animis, externis socijs arte è patriâ submotis principatum sibi domuiq; suæ perpetuum parauerit, saluo reliquo ordinum iure ac libertate, atq; in Comitum Imperij Germanici ordinem à Friderico III. Imperatore sit allectus. Simul ad flumen Iadam in Rustris, Ostringijs & VVangris alia dynastia minor inita cœpit ac sensim populo obrepsit. Sic prisca maiorum libertas etiam istis locis declinauit.* Vlricus *Comes declaratus primum nescio populo anno æræ Christianæ 1454. iterum populo sciente & probante decennio post, legato & feciali eius rei gratiâ ab Imperatore in Frisiam misso. Ex quo tempore demùm cœpit* Comitis *nomen apud suos pariter & vicinos exterosq; vsurpare, antea* Toparchæ *aut* Rectoris *titulo contentus.* DE

DE FRISIA INTER FLEVVM ET LAVICAM FLVMINA, ET FRISIORVM EAM REgionem colentium Republica,

Ante tempora Principum, & sub Principibus.



VI inter Lauicam & Fleuum degunt (nam ad eos etiam nunc redeundum nobis, & quædam repetenda altiùs, vt quæ de statu eorum præsente dicenda sunt, dici commodiùs, & intelligi planiùs possint) in tres, vti in Historiâ *ostendi, regiones, seu partes diuisi iam olim fuêre,* Ostergoam *scilicet* Westergoam, agrumque *quem* syluestrem *vocant. E quibus duæ priores, & solo fortunâq; ac viribus potiores à cœli plagis sic nuncupatæ, olim marinis fluctibus longo tractu intra terras se insinuantibus, quos vtrimq; aggeres præcingebant, dirimebantur: quæ nunc ab aliquot sæculis inuecto in alueum illum limo, alueoq; oppleto, perpetuis finibus solo continuo cohærent. Quâ de re copiosiùs libro Historiarum 9. ad annum* Christi *1222. scripsi. Ager Syluestrium ad Euronotum vergit, Drentiæ & Vltraiectinis confinis, eiq; Stellenswerficus, & Scotanus ager iungitur, velut appendix aut membrum*

brum eiusdem. Hæ partes singulæ seorsim non nunquam sibi consulebant, ac quasi separatam remp. colebant: sed vt plurimùm velut membra maiora distincta in communem remp. coibant, communia concilia & comitia habebant, coniunctimq; de communi salute, de legibus, fœderibus, iudicijs superioribus constituendis, de bello & pace, de tuenda patriâ libertate & rebus similibus consultabant & decernebant. Quinetiam singulæ in territoria complura tanquam præfecturas minores erant distributa, quas linguâ patriâ à iure dicundo Gretanias *dicebant: & præfectos, qui singuli singulis præsidebant,* Grietmannos: *quos propriè linguâ Latinâ* Prætores *appellaueris. Prætoriam enim potestatem tenebant, ius scilicet dicebant cum adiunctis iudicibus velut adsessoribus suis, iudicata exequebantur, contumaces, legibus aut iudicijs nõ parentes, factiosos, tumultuantesve coërcebant, mulctas capiebant, facinorosos aut criminum reos in carcerem dabant, & supplicijs afficiebant: quietis publicæ custodes erant: tributa, si quâ vsus consensusq; poscebat, colligebant atq; in ærarium inferebant. Hi suffragijs suorum in territorijs singulis designari solebant, annuumq; magistratũ gerebant, vti & iudices adsessores ipsorum. Sed & hoc ætate posteriore, quæ Saxonum tempora proximè antecessit, ambitio Nobilium quorundam factionum studio incensa, alibi citiùs, alibi seriùs sensim vitiauit, exemplo eorum, qui in Frisiâ Orientali idem fecêre. Credo temporibus Alberti Bauari, qui Frisiis infestus incubuit,*

Grietmanni: & eorũ munus.

ius li-

inclinare rem cœpisse. Hic enim sibi cedi iudiciorum omnium potestatem poposcit, & clientelæ iure obligare Nobilitatem totâ in Frisiâ conatus fuit. Sed conatus eius in fumum iuit. Et *Sigismundus* Imperator *sanctione suâ memorabili, quæ anno 1419. Leouardiæ publicata est, omne ius, quod Hollandi, aut quisquam alius in Frisios habere se ferebant, solenniter sustulit ac rescidit, Frisiosq́ soli Imperio sine principe aut rectore alio subesse, & prisco more prætores ac iudices suos habere, ab ijsq́ ex patriis legibus ac constitutis ius dici iussit. Verùm factionibus non quiescentibus, quæ bello ciuili patriam per aliquot annos turbauerant, afflixerantq́ grauissimè, cùm Sciringij viribus inferiores ad Ioannem Bauarum Alberti filium se contulissent, & eum Frisiæ Dominum declararent an. 1421. ille pactus est, vt prætores hi patrio more à populo electi apud ipsum legatumve ipsius Staueræ iusiurandum dicerent quotannis, & ab ipso potestatem iudicandi agendiq́ acciperent. Sed & hæc pactio in ventos abijt, Frisiaq́ in possessione libertatis frustrà turbante Bauaro permansit. Inuenio hos prætores cum antistibus nobilitate, reliquisq́ ordinum delectis in conuentibus generalibus & comitiis populi præsentes plerunq́ fuisse, & reip. cum aliis consuluisse, decretis quoq́ subscripsisse, interdum secundo, interdum tertio loco: & nonnunquam solos, nonnunquam vnà cum iudicibus adsessoribus. In multis tamen decretis neutrorum mentionem reperio. Sed erant horum iudicia, præsertim posterioribus temporibus ὑπεύθυνα,*

appel-

appellabanturq́; ab his iudices superiores quotannis ad eam rem designati alij in Ostergoa, alij in VVestergoa, alij in Syluestribus prudentissimi quiq; numero vario, interdum 12. interdum 18. interdum plures aut pauciores. Nec enim vniformis & perpetua huius instituti forma, sed vt fœdera ferebant: adscitiq́; etiam nonnunquam recognoscendis sententiis Groningani aut soli, aut cum eorum socijs agrarijs, præsertim ab Ostergois vicinis. Hi quàm poterant maturimè lites expediebant, & munus suum finiebant. Quæ omnia plenè ex historiâ possunt cognosci.

Territoria *totâ in regione inter Fleuum & Lauicam 28. numerabantur: è quibus 12.* Ostergoæ *erant, 8.* Westergoæ, *totidem* Syluestrium, *sed hæc illis haudquaquam comparanda. Cum his verò territorijs & eorum prætoribus ciuitates commune nihil habebant, quæ numerabantur inter Fleuum & Lauicam 11. sed quædam pertenues: duæ in Ostergoâ,* Leovverdia & Doccumum, *reliquæ in VVestergoâ*, Stauera, Bolsuerdia, Sarca, Franequera, Harlinga, Slota, Hundelopa, Worcumum, Illsta: *in Syluestribus nulla. Eæ regebantur à senatu suo, quem singulæ habebant pro modo fortunæ maiorem, minoremve. Senatuiq́; adiunctum ferè erat concilium delectorum ciuium similiter maius alibi, alibi minus. Senatus verò iste non erat perpetuus, sed mos obtinebat, vt quotannis media eius pars prid. Kalend. Ianuarij munere decederet, & totidem, quot decedebant, alij surrogarentur, cæteri in munere manerent*

Ciuitates Frisiæ inter Fleuum & Lauicam, ac earum status ante tempora Principum.

nerent ad anni ineuntis finem; quo finito, ipsi quoq; honore abirent. Ita fiebat, vt singulorum functio in senatu duraret biennium. Verùm nec erat vna eademq; senatus forma in oppidis omnibus, nec electionis idem modus. Nam Leouardiæ, Doccumi, Franekeræ, Bolsuerdiæ, Harlingæ Senior in senatu erat, & senatui præsidebat, velut caput eius, quem patrio sermone Oldermannum nuncupant: huiusq; nomen in omnibus actis publicis primum semper locum tenebat. Reliqui in eodem collegio partim Scabini audiebant, partim Senatores: & isti quidem ad hos numero vt plurimùm erant duplo. Apud Snecanos, Staueranos, VVorcumanos, &, nisi fallor, apud cæteros, Oldermannus ignorabatur, Scabini & senatores collegium conficiebant. Nonnusquam senatu decessuri cum sacerdotibus primarijs oppidorum: scabinos senatoresq; sibi successuros prid. Kalend. Ianuarij designabant; alibi sine sacerdotibus id faciebant. Et Doccumi ac Leouardiæ concilium senatui adiunctum, quod iuratum appellare mos erat, quia reip. oppidanæ iureiurando se obligabat, viris 13. complebatur, alibi pluribus, Snecæ, quod satis cōstat, 36. credo etiam Bolsuerdiæ: in quod qui allegebantur, non habebant munus perpetuum, sed decedentibus alijs alij surrogabantur, nonnusquam ab ipso senatu, alibi à plebe: atq; id fiebat ratione variâ, nec nobis satis notâ. Ad hæc consuetudo à maioribus accepta tenebat, vt non solùm è ciuibus cæteris spectatißimi quiq; in senatum cooptarentur, verùm etiam ex præcipuâ nobilitate. Sed &

oppidis

oppidis quoque hic, nescio an ex hoc fonte, quemadmodum territorijs agrarijs vitium pedetētim obrepsit ab ambitione eiusdem Nobilitatis. Nam cùm autoritate ac opibus præstarent viri nobiles, ac plurimùm omni in re possent, essentq́; potentia suæ augendæ ex ingenio hominum perauidi atq; intenti, vsurpando alia post alia, ne sentiente quidem plebe istuc paulatim peruenêre, vt rectores oppidorum, exemplo eorum, quæ cis Amasum Emdæ, Auricæ, Nordæ fiebant, esse viderentur. Argumento sunt Siardæi Franequeræ, Iuningij aut longamæi Bolsuerdiæ, Haringæi Slotæ, ijdem Haringæi & Liaucamæi Sneca, & alij alibi, qui domicilia quoque opere lateritio valida, arcium instar in oppidis habebant, & penè pro libitu suo consilia senatus populiq́; dirigebant. Et apud Bolsuerdios quidem de axiomate hoc dissensio & contentio vehementior enata occasionem dedit, quâ Saxones Frisiam ingreßi principatum sibi peperêrunt. Interea tamen ciuitates αὐτονομίαν quandam suam retinebant, & ij, qui in senatu erant, res ciuiles curabant administrabantq́;, & ius ciuibus dicebant. Porrò ciuitates cùm de rep. totâ agebatur in comitijs aut conuentibus, non iungebant se omnes, atque ita seorsim deliberabant inter se, ac sententias dicebant, vt ordinem aliquem separatum ab ordinibus cæteris repræsentarent, sed miscebantur & accensebantur ijs, in quorum regione aut agro erant sitæ. Leouardia scilicet & Doccumum Ostergois ordinibus iungebantur; reliquæ omnes VVestergois:

in eoq; hac ratio seruabatur, vt singulæ vnius præfecturæ in suffragijs ferendis ius haberent. Ordines autem, præter ciuitates, antistibus sacris, nobilitate, plebe rusticâ res soli poßidente censebantur. Interdumq; prisco æuo in perscribendis decretis aut fœderibus pangendis ciuitates expreßim non adscribebantur: sæpiùs verò earum nomina ac sigilla cæteris iungebantur, præsertim æuo posteriore & temporibus periculosis, stante adhuc libertate. Res enim ipsa docebat, armis commotis, quantum in ijs esset momentum, quantum robur. Itaq; & sententiæ earum magnum plerunq; pondus ad res, de quibus agebatur, adferebant. Nec semper in præscriptionibus aut subscriptionibus actorum talium publicorum idem ordo seruabatur: nōnunquam antistitibus primus locus tribuebatur, secundus; nobilitati, tertius oppidanis, denique plebi rusticæ: nonnunquam initium ducebatur à nobilitate, & subijciebatur sacer ordo, atq; ita ibatur ad reliquos. Interdum etiam obseruaui sacrum ordinem prorsus non adscriptum, & Grietmannos primos nominatos, & post eos nobilitatem, à nobilitate oppidanos, cæterosq; comitiorum iuris participes: aliquando etiam primo loco, sæpiùs secundo scriptos oppidanos. Non rarò verò omnium nomine solæ ciuitates acta signabant. Vt autem rectiùs intelligi queant ea, quæ de formâ aut statu reip. in oppidis Ostergoæ & VVestergoæ dixi, vno in exemplo rem velut oculis subiectam repræsentabo. Erat apud Snecanos præpotens Bocco Haringaus, Aggonis filius, Renicanis

Status ciuitatis Sneca-

Bocca-

Boccamæi ex filia nepos, Bocconis Dodingæi Snecensis pronepos, qui se velut caput ciuitati Snecensi imposuerat. Is cum paulatim tenderet longiùs, & plura, quàm fas esset, vsurparet, & alia simul vitia serperent, excitatus demum populus reformando statui curam suscepit. Imprimis verò cum Boccone egit, & tandem transegit anno 1456. Tum de senatu legem tulit in hanc sententiam. Tres sacerdotes præcipui ciuitatis, quatuorque Scabini, & duo senatores senatu abituri prid. Kal. Ianuarij quotannis non separatim sed iunctim designanto suffragiis Scabinos nouos tres, & senatores duos, qui decedentium locum teneant. Et Bocco Haringæus eiusve hæredes aut successores quotannis itidem Scabinum eligunto vnum, ex concilio 36. virûm iurato quem volent: nisi fortè ipse, aut hæres successorve eius Scabinus designatus fuerit. Tunc enim eo iure careto, & ij, qui antè dicti sunt, electores, non tres sed quatuor Scabinos edunto. Et hoc modo, Scabini vnius electione contentus Bocco cum posteris suis à reliquo iure, quo hactenus Snecæ vsus est, in hac de Scabinatu re vti conuenit, imposterum prorsus abstineto: idque valeto in perpetuum: nec cuiquam omninò alij huiusmodi ius ad Scabinatũ pertinens deinceps conceditor. Bocconi tamen, hæredibusque aut posteris ipsius, quoties Scabini eligentur, perfuncti munere cum eo decedent,

ne priscus, An. 1456.

cedent, edendi successores ex præscripto legis huius cum cæteris senatu abituris ius integrum maneto: quemadmodum nec lege hac de iure eorundem edendi Scabini vnius, cùm ipsi in Scabinatu nõ erunt, quicquam decedito. In Scabinatum lectus siue à Boccone, siue ab aliis munus inito, aut confestim coronatos aureos 8. mulctam pendito, eorumq́ue semissis reip. oppidanæ, semissis alter Scabinis honorem ac munus inituris, aut Bocconi posterisve eius, si ab his lectus fuerit, cedito. Solutâ pecuniâ hac, is qui soluit, in annũ vnum immunis esto: illi, quorũ electio est, in eius locum alium statim surroganto: nec antè desinunto, quàm iustus numerus fuerit completus. Hæc omnia repetuntor, vti antè dictum, quotannis pridie Kal. Ianuarij, & Scabini senatoresq́ue lecti, coram populo renunciantor in templo ipsis Kalendis, ac postridie Kal. sacramento reip. se obliganto. Hac ratione Scabini & senatores creati biennium in munere continuanto, nisi quis ob delictum indignum se honore fecerit, locoq́ue motus fuerit. In senatu simul nõ sunto pater & filius, frater cum fratre, duo patrueles, duo sobrini, duarum sororum mariti; nec in senatum adoptator quisquam 24. annorum ætate minor. Quoties lis in senatu introducetur, si is cuius causa erit, vel qui procuratorio nomine eam aget, in scabinorum

aut

aut ſenatorum numero habebit aliquem his gradibus expoſitis vel ſanguinis vel affinitatis ſibi iunctum,hic in hac cauſâ ſilentium ſeruato,neu ſentētiam dicito.Item Scabinus nemo creator niſi legitimè ac iuſto matrimonio natus,& domum propriam in oppido poſſidens, atque inſuper in rebus ſuis habens,quæ minoris nō ſint ſcutatis aureis 200.monetæ veteris: At tamen nothi extra matrimonium geniti ſenatorio loco ob vitium natalium non excluduntor. Nemo ſemetipſum Scabinum aut ſenatorem deſignato: ſecùs faciens marcâ pœnam luito.Scabinus diutiùs menſe domo non abeſto,aut eandem illam pœnam pendito,niſi fortè in abſentiam eius conſenſerit totus ſenatus. Nec Scabini nec ſenatores cuiquam mulctam remittunto aut minuunto contra leges ſub pœnâ commiſſi periurij niſi ex conſilio & voluntate collegarum omnium, id eſt, Scabinorum 8. & ſenatorum 4. Scabini ſingulis ſeptimanis quibus fas eſt, feriâ 4. aut quâuis aliâ in tribunali ſedento, ac tunc qui poſtulare volet alium,in ius eum vocato per miniſtrum publicum:& hic ſi quartum vocatus nō comparuerit, ſeque aut cauſam ſuam defenderit, causâ cadito.Ijdem Scabini de criminibus ius dicunto quouis tempore ſtatim poſt crimina cōmiſſa: idē faciunto de depoſitis, elapſo iam termino cōſtituto,& actore ius ſuum petente.

Fœmina, puella, puer 12. annis minor in iudicio non comparento, vt causam suam agant, sed maritum si habebunt fœminæ, qui domi sit, aut procuratorem, aut tutorem adhibento, nisi senatus extra ordinem aliud iusserit. Scabinus vnus nisi de re pretium duarum librarum non excedente, duo nisi de re 8. librarum pretio non maiore non pronuncianto: quæ pluris erunt lites, de ijs omnes Scabini simul iudicanto. *Eodem tempore leges aliæ quoque repetitæ de iure priuato, & iurisdictionis modo atque ordine: quæ non sunt instituti huius nostri. Hæc tum Snecanæ politiæ forma, quæ ad Saxonum imperium perdurauit. Vnde & de cæteris coniecturam facere licet.*

Ordo sacer. *Sed & ordini sacro vt in omni Frisiâ, ita in hac etiam regione peramplum ius, atque ingens autoritas ijs temporibus fuit. Nec enim solùm antistites cœnobiorum (quod antè notatum) primum plerumque locum in comitijs tenebant, sed & sacerdotes tum oppidani tum agrarij maximis sæpè negotijs reip. tractandis adhibebantur, consulebant in medium cum ordinibus alijs, suffragij quoque in designandis magistratibus cum vicinis suis participes erant, aliquãdo etiam primas hac in re tenebant, & reliquis præibant. Nam & integritate præstare, & alijs sapientiores esse ferè putabantur. Itaque & horum eligendorum ratio ab eâ, quæ alibi vtplurimùm valet, non parum differebat. Nam vbi peculiare ius patronatus, quod vocant, certis hominibus aut familijs ex pacto competens*

non

non obstabat (quod rariore in vsu tanquam libertati officiens in gente liberâ erat) paribus suffragijs à parœcis, quos ima fortuna non submouebat, eligebantur, & ab ijsdem accedente Episcopi assensu in possessionem muneris sui immittebantur. Atq; ita fiebat sanè, vt non, qui gratiâ qualicumq; apud Episcopos, aut paucos magnates, qui se sacerdotiorum patronos ferrent, valebant homines inertes & indigni, quibus nec ingenium nec doctrina inesset, sed qui moribus & eruditione præstabant, & parœciæ vtiles esse poterant, sacerdotia adipiscerentur. Quod idem in cœnobiorum antistitibus quoq; locũ habebat, idq; haud sine magno reip. commodo. Et hic status rerum regionis huius stante populari libertate fuit. At eâ in principatum versâ, multa quoq; simul mutata: populus vniuersus vectigali & tributo subiectus quanquam modico, & legibus adstricto, arces arbitrio Principis structæ, iudiciorum potestas eidem Principi soli permissa: ab eo curia superior instituta, penes quam summa esset iurisdictio in causis tam ciuilibus quàm criminalibus, quæq; ipsum principem repræsentaret: in hac qui sederent, ac iudicarent, senatores ab eodem dati primùm soli indigenæ, deinde offensâ enatâ inter principem & populum ob arma commota, indigenæ & peregrini pari ferè numero, nonnunquam verò & hi maiore quàm illi, vti Principi placebat. Tandem à Carolo V. hac de re lex scripta, ne pauciores vtique quàm quatuor indigenæ Frisij in senatu hoc essent, quanquam pluribus esse liceret, quemadmodum & plures

Status sub Principibus.

vt plurimùm fuêre. Munus eorum ferè perpetuum, nisi secùs videretur Principi, *à cuius voluntate totum hoc pendebat. Primi ab Alberto Saxone dati numero fuêre 11. Frisij omnes, & his additus velut præses Phlugius Cancellarius peregrinus. Idq́ post obseruatum perpetuò, vt senatui præsideret alienigena, doctrinâ & prudentiâ egregius. Numerus senatorum non semper vnus atq; idem, rarò tamen primo minor. Et primis temporibus sub Saxone principe ex lege quater tantùm quotannis forum agebant per dies continuos 14. foroq́ locus erat constitutus* Franekera, *vbi Princeps sedem aulæ locauerat, deinde* Leowerdiæ, *extructâ illic cum castello curiâ imprimis magnificâ: & cum temporis lapsu fori actio, exceptis ferijs, facta perpetua. Senatui huic adiunctus etiam fuit* Proprinceps, *seu gubernator genere illustris, aut rebus gestis clarus. Et* Proprincipi *sub Saxonibus additi itidem Sex viri* Rectores, *partim indigenæ Frisij, partim exteri vnà cum* Proprincipe *reip. consulturi, sed sine iuris dicundi potestate, præterquam quòd horum vnus autoritate præcipuus ex voluntate Principis in ipso senatu præsidis locum plerunq; teneret. Sed* Rectorum *vsus sub principatu* Burgundico *desijt, munusq; eorum ad senatum translatum fuit. Ad hæc Grietmanni totâ regione ab ipso* Principe, *aut absente eo, à gubernatore ac summo senatu creati in tempus incertum olim, at sub imperio Burgundico in triennium plerumque: sed vt plurimùm munus ijsdem prorogatum; nec ferè ante vitæ finem cuiquam*

succes-

successor datus. Et hi rarò alij quàm indigenæ siue nobiles siue plebeij. Iudicabant causas ciuiles & criminales. Sed in his vltra mulctam pecuniariam procedere ijs contra reos non licebat: grauiores pœnæ iudicio summæ curiæ reseruabantur. In ciuilibus ab eorum sententijs ad eandem curiam patebat appellatio. Ciuitatum ratio cuiusmodi sub Principibus fuerit, pòst suo loco dicetur commodiùs. Patrium verò ius maximā partem cum iure Romano à Georgio Saxone Alberti filio, quod ex pacto ei licebat, commutatum: quod factum anno 1504. à quo tempore ex legibus 1504.
Romanis ius illic dictum. Vectigal & tributum initiò perexiguum ex primo contractu Alberto Saxoni solutum. Verùm cùm filius eius Henricus, adhuc ætate minor quàm vt rebus rectè consulere posset, ab ijs, quorum cōsilio vtebatur, pessimè seductus, vt populi patientiam tentaret, & ad ferenda imperia Principum maturè eum assuefaceret, obtēdens reip. vsum, ac tēporis istius difficilis necessitatē, absente patre tributa tributis cumularet, & petitis cōcessisq; nō petita, sed pro arbitrio imperata abijceret, omniaq; acerbè & crudeliter exigeret factum sanè est, vt populus iniuriæ & cōtumeliæ impatiens abiecto obsequio arma in Principē sumeret. Vnde occasio extitit, cum fortuna armorum votis non respōdisset, vt idē populus cū Principe offenso in gratiā reuertens, necessitatiq; parens à pactis primis deflectere nōnihil cogeretur. Ita imperium paulò duriùs constitutum, onera omnibus aucta, sed modicè: nobilitati clientum ius intentatum, verùm ab eâ velut liberis

konu-

1504. *hominibus probrosum constanter recusatum: eius loco censuum annuorum omnium ex prædijs quæ tenebant, pars vigesima prima tributi loco irrogata: sub eandem legem, nonnullis tantùm censibus eorum exceptis collegia monastica coacta: oppidanis & rusticis tribubus certus quoque tributi modus descriptus: vniuersum ex rebus soli prouenien tributum in tabulas quæstorias relatum fuit aureorum Rhenensium 15. millium. Sed post orto contra Groninganos & Edsardum bello, cum exhaustus pecuniâ Saxoniæ princeps Georgius esset; cæteris omnibus subsidijs consumptis, cùm in lubrico fortuna eius staret, conflandæ pecuniæ gratiâ redemptio tributorũ omnibus ab eo proposita: conditioque à magnâ Nobilitatis parte accepta, onusque vigesimæ primæ ab his redemptum: è ciuitatibus Leowerdia quoque exemplum Nobilium secuta immunitatem recuperauit. Cæteri & in oppidis & in agro dum deliberant, dum conditiones oblatas expendunt, Geldriæ Dux occupatâ Groningâ Frisiam inuasit, & in eam*
1515. *necessitatem Georgium Saxonem coniecit, vt Carolo Hispaniarum regi Burgundiæ principi cedere ius suum cogeretur. Denique libertati ordinum in designandis sacerdotibus aliquid etiam à Saxonibus decerptum. Cæteris enim prisco mori & iuri relictis Principi datum, vt sena sacerdotia, quæ primùm vacarent post Kalendas Ianuarias, quibus vellet conferret, bina in Ostergoâ, bina in VVestergoâ, & totidem in Syluestribus, Saxonis imperium Carolus, vt dixi, excepit, qui Burgundicis. Belgicisque ditionibus &*

Hispa-

Hispaniarum regnis axioma Cæsareum post aliquot annos adiecit. Hic titulo Potestatis, quo Saxones vsi fuerant, non contentus, hæreditarius dominus & gubernator Frisiæ *dici voluit, ac ius imperij Frisici cum iure Comitatus Hollandiæ copulauit. Huic, vt ante Saxoni, Carolus Gelder turbas in Frisiâ dedit, iactans libertatem se populo restituturum, sed alia omnia animo abdens: quod malo suo multi, qui fidem ei habuerunt, experiundo didicerunt. Eo regione omni tandem depulso, non pœnitenda conditio & fortuna populi huius fuit sub Carolo V. Cæsare, & filio eius Philippo: vitia multa correcta, eligendorum sacerdotum ratio ex formâ Saxonica diligentiùs, accuratiusque sancita, ambitionique & potentiæ primorum hac in re obuiam itum: recognoscendarum sententiarum in summâ curiâ latarum, si quis peteret, certus modus ex æquo & bono constitutus: Leowerdijs priuilegia aucta: cautum denuò,* ne quis extra patriæ suæ fines iudicij causâ euocaretur, neu de quoquã ex nobilitate, aut ordine honestiore criminis alicuius reo, nisi præsentib' ordinum delectis, aut nisi euidens ac notorium facinus esset, iudicium fieret, sententiaque aduersa ferretur: militia extra patriam ne imperaretur: vltra constitutum modum populus tributum non posceretur aut vectigalibus oneraretur. *Nec ante fortuna mutauit, quàm tempestates religionis ergò commotæ totum Belgium Burgundis parens turbarunt. Quas dum non consilio sopire, sed vi compescere,*

1515.

1567.

1567. pescere, &, quod vnum potißimè quærebat, pro fastidito principatu legitimo ex legem dominatum sibi constituere maximus Hispaniarum rex satageret, atque hunc multorum regnorum suorum robur conuerteret, non solùm scopo excidit suo, sed & imperium, quod iure tenuerat hactenus in Frisiâ cis vltraq; Lauicam flumen, item in Hollandiâ, Selandiâ, maximâ Geldriæ parte, apud Vltraiectinos, & Transisalanos in solidum amisit. Amisit inquam, imò verò & amisisse se, quod iacturâ ipsâ acerbius erat, vt pacem sibi ab his, quas dixi, pauculis ac non magnis prouincijs redimeret, & quæ reliqua in Belgio tenebat, quæq; in Indiâ poßidebat, retineret, solenniter fratri ipsâ re & actione publicâ, dum paciscitur inducias, tantæ poten-
1610. tiæ, tantæ superbiæ princeps coactus fuit. Mira ac plene stupenda res, quam credere vix præsens ætas potest, futura ne vix quidem poterit. Sed à Domino cœlesti hoc est factum, vt notum redderet, odisse se iniustitiam, & insolentiæ contumeliæq; vindicem esse, & validißima ac maxima quæq; per infirma paruaq; cum lubet confringere posse. Quod quomodò, & quo ordine actum sit, dixerunt & dicent alij: nobis id exponere hic nō est propositum. Quod verò instituti huius nostri est, qui nunc post nuncium Hispaniæ regi remissum reip. status in hac regione, quæ forma sit, id breuiter quantum res feret, explicabimus.

DE

DE REP. FRISIORVM

INTER FLEVVM ET LAVICAM COLENTIVM POST RESVMPTAM maiorum libertatem.

MVTANDIS in Belgio rebus & seruitio depellendo fores aperuit pactio Gandauensis anni 1576. cuius primarium caput erat, vt omnium coniunctis consilijs ac operis, Hispani cæteriq; eius generis peregrini milites fortunæ & libertati Belgicæ inimici, volentes nolentes è Belgio submouerentur: dein vt acta Albani rescinderentur: vt religioni pax esset: vt primo quoq; tempore generalia omnium prouinciarum omniumq; ordinum comitia haberentur, in hisq; de sanandis reip. malis, & constituendis ijs, quæ ad religionem pertinerent, ageretur: saluo tamen iure & honore regio. Mox quippè Hispani Hispanissantesq; milites passim toto Belgio exauterati, & finibus excedere compulsi: arces libertati graues & aduersæ, ac saluti periculosæ in potestatem ordinum omnes redactæ, quædam fide præsidio commissæ, quædam dirutæ. Ita Groninga quoque inuiso milite liberata, arx ibidem solo æquata, tota Frisia ab 1577

Amaso

1576. *Amaso in Fleuum cum ordinibus cæteris coniuncta: Præses ei datus Georgius Lalainius: Ex decreto etiam Antuerpiano autore Matthia Austriaco, generali omnium prouinciarum gubernatore nuper designato, & Guilhelmo Aurantiæ principe, summo eiusdem consiliario, ac legato vicariam pro eo potestatem gerente, totoq́ ordinum senatu, qui vtrique à consilijs erat, scripto & promulgato religioni reformatæ templa duo Groningæ, duo Leouerdiæ concessa, alijs quoque in locis exercitium eius liberum desiderio populi permissum. In rep. etiam eo anno emendata non pauca. At benè cœpta per Frisiam turbauit mala fides Georgij Lalainij Rectoris, qui conspiratione clam cum Parmensi initâ de prouinciâ vtrâque cis vltraq́ Lauicam Hispanis restituenda Leouerdiæ quidem, & cæteris eiusdem regionis partibus pessimâ spe suâ excidit, arcibus submonitu Aurantij Leouerdiæ, Harlingæ, Staueræ à populo occupatis & subuersis, sed Gro-*
1580. *ninganos insigni periurio deceptos die 3. Martij anno 1580. inopinatos oppressit, atq́ optimos quosq́ carceribus tradidit. A quo tempore perpetuum bellum inter finitimos & cognatos gestum cum magnis vtrorumq́ incommodis. Aurantius, ne quid istic detrimenti maioris acciperetur, ex voluntate Ordinum generalium à Matthia Austriaco totius Belgij præside summo gubernator petentibus Frisijs datus. Is quia ipse ob negotiorum infinitorum molem præsens in Frisia esse assiduò non poterat, Bernardum Merodium, virum bello acrem & cōsilio manuq́ æquè promptum, sibi*

sibi suffecit: cuius ductu proximis annis multa benè gesta, loca munita in potestatem redacta, Lalainiani submoti. Interea & Andium Dux Gallorum regis frater in Belgium vocatus, & totius Belgij princeps designatus, Hispaniæ regis fidei publicè renunciatum, obsequiumq́ eiuratū, insignia eius ac potestatis signa confracta, diuortium cum eo factum, Matthias Austriacus honestißimè dimissus. Res gesta anno 1581. mense Iulio. Sed cùm Andicus intra biennium optimo & pulcherrimo viro peßimo facinore Antuerpiano se rursus exuisset, prouinciæ sibi relictæ sine principe supremo fuêre: eademq́ à Parmensi grauiter hic illic afflictæ communem parentem, curatoremve ac custodem libertatis fidißimum principem Aurantium Hispanâ fraude peremptum amisêre. Deinde Antuerpia regina vrbium Belgicarum, totaq́ Brabantia & Flandria post Hannoniam & Artosiam, quæ multò ante viuo adhuc Aurantio recesserant, à societate auulsæ; Geldria, & quicquid vicinum, grauißimè afflicta. Et secutum fœdus cum Anglis Leicestrij siue credulitate, siue leuitate, siue consilij inopiâ, ac ingenio læuo, & rebus gerendis non pari, siue ambitione insulsâ in discrimen longè maius reliquias fortunæ communis coniecit, quàm armis Hispanicis factū fuit vnquam. Et tamen ex tanto periculo, & malis tam multis & magnis eluctata eadem fortuna Dei Opt. Max. beneficio, virtute incredibili Mauritij principis, Guilhelmi filij, eiusq́ patruelis Guilhelmi Ludouici Nassouiæ Comitis, prudentiâq́ reliquorum procerum con-

1580. 1581.

D *silij*

filij ducum istuc iam peruenit, vt magnis regibus, principibus, ciuitatibus, populis, omnibus denique hominibus venerabilis sit, & admirāda habeatur. Verùm, vt ad anteriora reuertar, Guilhelmus Aurantiæ princeps eo anno, qui postremus ipsi in hac vitâ fuit, (is
1584. *fuit 1584.) reuocato ex Frisiâ Merodio ob odium, in quod apud Frisios hic incurrerat, filium fratris sui Guilhelmum Ludouicum, excellentis ingenij heroa, iuuenem etiam tum, sed rebus gerendis insigniter per aliquot annos in Belgio probatum, sibi in eâ prouinciâ iam senescente Februario mense legauit. Dein Aurantio nefario scelere post quadrimestre è viuis sublato, Guilhelmus Ludouicus cupientibus Frisijs ex legato gubernator prouinciæ mense Nouembri factus habenas suscepit, quas etiam nunc fœliciter tenet, & vt diutissimè vitâ ac fortunâ comite teneat, omnes boni, qui libertati ac veræ pietati benè volunt, concordibus votis optant, Deumque rogant. Sed nunc ad ipsam rem, quæ propria est instituti præsentis. Prehensis ad depellendum impotentis dominatus Hispanici armis, resumptâque pristinâ libertate, summum ius, summa potestas reip. in Frisiâ penes populum erat. Populus ordinibus suis censebatur. Ordines cùm res poscebat, & statuendum aliquid erat, ad comitia vocabatur. Comitiorum locus Leovardia solet esse. Sed hæc libertatis forma plus satis laxa erat, & latiùs, quàm res & tempora ista ferebant, diffluebat. Nam dissensionum plena erant omnia, & res præsenti sæpè consilio, & maturo decreto & consensu habebat opus, quæ à co-*

mitijs

mitiis huiusmodi, & tantâ multitudine expectari non poterant. Ad hæc multi, qui suffragij ius aut habebant, aut sibi vendicabant, tacitè Hispaniæ regis partes fouebant, ijsq; fauebant: & quod peßimum ac periculosißimum erat, antistites collegiorum monasticorum instituto maiorum in comitijs non postremam partem tenebant: quorum sententijs optima quæq; consilia ipsis aduersa aut corruptum, aut impeditum iri, nemo bonus tam læuæ mentis erat quin posset intelligere. Quapropter suadente Aurantio, quo autore idem hoc iamdudum apud Hollandos & Selandos non paruo reip. commodo institutum fuerat, consensu plurium lex in comitijs lata est de collegio nouo instituendo, quod Deputatorum vocare mos habet, quod velut caput esset reip. liberæ, & id, quod in libertate solutâ diffluebat, quasi colligeret, & constringeret: eiq; collegio, poscente re ex comitiorum scito perampla potestas concessa in eum finem, vt in omnibus subitis atq; arcanis adiri & consuli, & cum gubernatore remp. gerere, & in medium consulere posset. Verùm fuit hoc ipsum rude primùm ac informe ob difficultatem temporum, atq; vt ego ex indicijs actorum anni 1579. mihi persuasum habui, anno 1576. mox à pactione Gandauensi, captoq; & in vincula apud Groninganos coniecto Caspare Roblesio prouinciæ præside, natum. Nam quod ad delectos priorum temporum attinet, cùm principibus adhuc Frisia parêret, de quibus in Historiâ ad annum 1532. dixisse me memini, quibusq; & renouata & ampliata mandata sunt anno 1558.

Collegium Deputatorũ in Frisia. 1576.

vt plurimùm fuêre. Munus eorum ferè perpetuum, nisi secùs videretur Principi, à cuius voluntate totum hoc pendebat. Primi ab Alberto Saxone dati numero fuêre 11. Frisij omnes, & his additus velut præses Phlugius Cancellarius peregrinus. Idq́; post obseruatum perpetuò, vt senatui præsideret alienigena, doctrinâ & prudentiâ egregius. Numerus senatorum non semper vnus atq; idem, rarò tamen primo minor. Et primis temporibus sub Saxone principe ex lege quater tantùm quotannis forum agebant per dies continuos 14. foroq́; locus erat constitutus Franekera, vbi Princeps sedem aulæ locauerat, deinde Leoƀerdiæ, extructâ illic cum castello curiâ imprimis magnificâ: & cum temporis lapsu fori actio, exceptis ferijs, facta perpetua. Senatui huic adiunctus etiam fuit Proprinceps, seu gubernator genere illustris, aut rebus gestis clarus. Et Proprincipi sub Saxonibus additi itidem Sex viri Rectores, partim indigenæ Frisij, partim exteri vnà cum Proprincipe reip. consulturi, sed sine iuris dicundi potestate, præterquam quòd horum vnus autoritate præcipuus ex voluntate Principis in ipso senatu præsidis locum plerunq; teneret. Sed Rectorum vsus sub principatu Burgundico desijt, munusq; eorum ad senatum translatum fuit. Ad hæc Grietmanni totâ regione ab ipso Principe, aut absente eo, à gubernatore ac summo senatu creati in tempus incertum olim, at sub imperio Burgundico in triennium plerumque: sed vt plurimùm munus ijsdem prorogatum; nec ferè ante vitæ finem cuiquam

succes-

successor datus. Et hi rarò alij quàm indigenæ siue nobiles siue plebeij. Iudicabant causas ciuiles & criminales. Sed in his vltra mulctam pecuniariam procedere ijs contra reos non licebat: grauiores pœnæ iudicio summæ curiæ reseruabantur. In ciuilibus ab eorum sententijs ad eandem curiam patebat appellatio. Ciuitatum ratio cuiusmodi sub Principibus fuerit, pòst suo loco dicetur commodiùs. Patrium verò ius maximã partem cum iure Romano à Georgio Saxone Alberti filio, quod ex pacto ei licebat, commutatum: quod factum anno 1504. à quo tempore ex legibus 1504.
Romanis ius illic dictum. Vectigal & tributum initiò perexiguum ex primo contractu Alberto Saxoni solutum. Verùm cùm filius eius Henricus, adhuc ætate minor quàm vt rebus rectè consulere posset, ab ijs, quorum cõsilio vtebatur, peßimè seductus, vt populi patientiam tentaret, & ad ferenda imperia Principum maturè eum assuefaceret, obtẽdens reip. vsum, ac tẽporis istius difficilis neceßitatẽ, absente patre tributa tributis cumularet, & petitis cõceßisq; nõ petita, sed pro arbitrio imperata abijceret, omniaq; acerbè & crudeliter exigeret factum sanè est, vt populus iniuriæ & cõtumeliæ impatiens abiecto obsequio arma in Principẽ sumeret. Vnde occasio extitit, cum fortuna armorum votis non respõdisset, vt idẽ populus cũ Principe offenso in gratiã reuertens, neceßitatiq; parens à pactis primis deflectere nõnihil cogeretur. Ita imperium paulò duriùs constitutum, onera omnibus aucta, sed modicè: nobilitatis clientum ius intentatum, verùm ab eâ velut liberis homi-

1504. *hominibus probrosum constanter recusatum: eius loco censuum annuorum omnium ex prædijs quæ tenebant, pars vigesima prima tributi loco irrogata: sub eandem legem, nonnullis tantùm censibus eorum exceptis collegia monastica coacta: oppidanis & rusticis tribubus certus quoq; tributi modus descriptus: vniuersum ex rebus soli proueniens tributum in tabulas quæstorias relatum fuit aureorum Rhenensium 15. millium. Sed pòst orto contra Groninganos & Edsardum bello, cum exhaustus pecuniâ Saxoniæ princeps Georgius esset; cæteris omnibus subsidijs consumptis, cùm in lubrico fortuna eius staret, conflandæ pecuniæ gratiâ redemptio tributorũ omnibus ab eo proposita: conditioq́; à magnâ Nobilitatis parte accepta, onusq́; vigesimæ primæ ab his redemptum: è ciuitatibus Leowerdia quoq; exemplum Nobilium secuta immunitatem recuperauit. Cæteri & in oppidis & in agro dum deliberant, dum conditiones oblatas expendunt, Geldriæ Dux occupatâ Groningâ Frisiam inuasit, & in eam*
1515. *necessitatem Georgium Saxonem coniecit, vt Carolo Hispaniarum regi Burgundiæ principi cedere ius suum cogeretur. Denique libertati ordinum in designandis sacerdotibus aliquid etiam à Saxonibus decerptum. Cæteris enim prisco mori & iuri relictis Principi datum, vt sena sacerdotia, quæ primùm vacarent post Kalendas Ianuarias, quibus vellet conferret, bina in Ostergoâ, bina in VVestergoâ, & totidem in Syluestribus, Saxonis imperium Carolus, vt dixi, excepit, qui Burgundicis, Belgicisq́; ditionibus &*

Hispa-

Hispaniarum regnis axioma Cæsareum post aliquot 1515.
annos adiecit. Hic titulo Potestatis, quo Saxones vsi fuerant, non contentus, hæreditarius dominus & gubernator Frisiæ *dici voluit, ac ius imperij Frisici cum iure Comitatus Hollandiæ copulauit. Huic, vt ante Saxoni, Carolus Gelder turbas in Frisiâ dedit, iactans libertatem se populo restituturum, sed alia omnia animo abdens: quod malo suo multi, qui fidem ei habuerunt, experiundo didicerunt. Eo regione omni tandem depulso, non pœnitenda conditio & fortuna populi huius fuit sub Carolo V. Cæsare, & filio eius Philippo: vitia multa correcta, eligendorum sacerdotum ratio ex formâ Saxonica diligentiùs, accuratiusq́ue sancita, ambitioniq́ue & potentiæ primorum hac in re obuiam itum: recognoscendarum sententiarum in summâ curiâ latarum, si quis peteret, certus modus ex æquo & bono constitutus: Leowerdijs priuilegia aucta: cautum denuò,* ne quis extra patriæ suæ fines iudicij causâ euocaretur, neu de quoquã ex nobilitate, aut ordine honestiore criminis alicuius reo, nisi præsentib⁹ ordinum delectis, aut nisi euidens ac notorium facinus esset, iudicium fieret, sententiaque aduersa ferretur: militia extra patriam ne imperaretur: vltra constitutum modum populus tributum non posceretur aut vectigalibus oneraretur. *Nec* 1567.
ante fortuna mutauit, quàm tempestates religionis ergò commota totum Belgium Burgundis parens turbarunt. Quas dum non consilio sopire, sed vi compescere,

1567. pescere, &, quod vnum potißimè quærebat, pro fastidito principatu legitimo ex legem dominatum sibi constituere maximus Hispaniarum rex satageret, atque hunc multorum regnorum suorum robur conuerteret, non solùm scopo excidit suo, sed & imperium, quod iure tenuerat hactenus in Frisiâ cis vtraq; Lauicam flumen, item in Hollandiâ, Selandiâ, maximâ Geldriæ parte, apud Vltraiectinos, & Transisalanos in solidum amisit. Amisit inquam, imò verò & amisisse se, quod iacturâ ipsâ acerbius erat, vt pacem sibi ab his, quas dixi, pauculis ac non magnis prouincijs redimeret, & quæ reliqua in Belgio tenebat, quæq; in Indiâ poßidebat, retineret, solenniter fratri ipsâ re & actione publicâ, dum paciscitur inducias, tantæ poten-
1610. tia, tantæ superbiæ princeps coactus fuit. Mira ac plene stupenda res, quam credere vix præsens ætas potest, futura ne vix quidem poterit. Sed à Domino cœlesti hoc est factum, vt notum redderet, odisse se iniustitiam, & insolentiæ contumeliæq; vindicem esse, & validißima ac maxima quæq; per infirma paruaq; cum lubet confringere posse. Quod quomodò, & quo ordine actum sit, dixerunt & dicent alij: nobis id exponere hîc nō est propositum. Quod verò instituti huius nostri est, qui nunc post nuncium Hispaniæ regi remissum reip. status in hac regione, quæ forma sit, id breuiter quantum res feret, explicabimus.

DE

DE REP. FRISIORVM

INTER FLEVVM ET LAVICAM COLENTIVM POST RESVMPTAM maiorum libertatem.

M*VTANDIS in Belgio rebus & ſeruitio depellendo fores aperuit pactio Gandauenſis anni 1576. cuius primarium caput erat, vt omnium coniunctis conſilijs ac operis, Hiſpani cæteriq́ eius generis peregrini milites fortunæ & libertati Belgicæ inimici, volentes nolentes è Belgio ſubmouerentur: dein vt acta Albani reſcinderentur: vt religioni pax eſſet: vt primo quoq; tempore generalia omnium prouinciarum omniumq́ ordinum comitia haberentur, in hisq́ de ſanandis reip. malis, & conſtituendis ijs, quæ ad religionem pertinerent, ageretur: ſaluo tamen iure & honore regio. Mox quippè Hiſpani Hiſpaniſſantesq́ milites paßim toto Belgio exauterati, & finibus excedere compulſi: arces libertati graues & aduerſæ, ac ſaluti periculoſæ in poteſtatem ordinum omnes redactæ, quædam fide præſidio commiſſæ, quædam dirutæ. Ita Groninga quoque inuiſo milite liberata, arx ibidem ſolo æquata, tota Friſia ab* 157[illegible]

Amaſo

1576. *Amaso in Fleuum cum ordinibus cæteris coniuncta: Præses ei datus Georgius Lalainius: Ex decreto etiam Antuerpiano autore Matthia Austriaco, generali omnium prouinciarum gubernatore nuper designato, & Guihelmo Aurantiæ principe, summo eiusdem consiliario, ac legato vicariam pro eo potestatem gerente, totoq́ ordinum senatu, qui vtrique à consilijs erat, scripto & promulgato religioni reformatæ templa duo Groningæ, duo Leoŵerdiæ concessa, alijs quoque in locis exercitium eius liberum desiderio populi permissum. In rep. etiam eo anno emendata non pauca. At benè cœpta per Frisiam turbauit mala fides Georgij Lalainij Rectoris, qui conspiratione clam cum Parmensi initâ de prouinciâ vtrâque cis vltraq́ Lauicam Hispanis restituenda Leoŵerdiæ quidem, & cæteris eiusdem regionis partibus pessimâ spe suâ excidit, arcibus submonitu Aurantij Leoŵerdiæ, Harlingæ, Staueræ à populo occupatis & subuersis, sed Gro-*

1580. *ninganos insigni periurio deceptos die 3. Martij anno 1580: inopinatos oppressit, atq́ optimos quosq́ carceribus tradidit. A quo tempore perpetuum bellum inter finitimos & cognatos gestum cum magnis vtrorumq́ incommodis. Aurantius, ne quid istic detrimenti maioris acciperetur, ex voluntate Ordinum generalium à Matthia Austriaco totius Belgij præside summo gubernator petentibus Frisijs datus. Is quia ipse ob negotiorum infinitorum molem præsens in Frisia esse aßiduò non poterat, Bernardum Merodium, virum bello acrem & cōsilio manuq́ æquè promptum,*

sibi

sibi suffecit: cuius ductu proximis annis multa benè 1580.
gesta, loca munita in potestatem redacta, Lalainiani submoti. Interea & Andium Dux Gallorum regis frater in Belgium vocatus, & totius Belgij princeps designatus, Hispaniæ regis fidei publicè renunciatum, obsequiumq́ eiuratū, insignia eius ac potestatis signa confracta, diuortium cum eo factum, Matthias Austriacus honestißimè dimissus. Res gesta anno 1581. 1581.
mense Iulio. Sed cùm Andicus intra biennium optimo & pulcherrimo viro peßimo facinore Antuerpiano se rursus exuisset, prouinciæ sibi relictæ sine principe supremo fuêre: eademq́ à Parmensi grauiter hic illic afflictæ communem parentem, curatoremve ac custodem libertatis fidißimum principem Aurantium Hispanâ fraude peremptum amisêre. Deinde Antuerpia regina vrbium Belgicarum, totaq́ Brabantia & Flandria post Hannoniam & Artosiam, quæ multò ante viuo adhuc Aurantio recesserant, à societate auulsæ; Geldria, & quicquid vicinum, grauißimè afflicta. Et secutum fœdus cum Anglis Leicestrij siue credulitate, siue leuitate, siue consilij inopiâ, ac ingenio læuo, & rebus gerendis non pari, siue ambitione insulsâ in discrimen longè maius reliquias fortunæ communis coniecit, quàm armis Hispanicis factū fuit vnquam. Et tamen ex tanto periculo, & malis tam multis & magnis eluctata eadem fortuna Dei Opt. Max. beneficio, virtute incredibili Mauritij principis, Guilhelmi filij, eiusq́ patruelis Guilhelmi Ludouici Nassouiæ Comitis, prudentiáq́ reliquorum procerum con-

filij ducum istuc iam peruenit, vt magnis regibus, principibus, ciuitatibus, populis, omnibus denique hominibus venerabilis sit, & admirāda habeatur. Verùm, vt ad anteriora reuertar, Guilhelmus Aurantiæ princeps eo anno, qui postremus ipsi in hac vitâ fuit, (is
1584. *fuit 1584.) reuocato ex Frisiâ Merodio ob odium, in quod apud Frisios hic incurrerat, filium fratris sui Guilhelmum Ludouicum, excellentis ingenij heroa, iuuenem etiam tum, sed rebus gerendis insigniter per aliquot annos in Belgio probatum, sibi in eâ prouinciâ iam senescente Februario mense legauit. Dein Aurantio nefario scelere post quadrimestre è viuis sublato, Guilhelmus Ludouicus cupientibus Frisijs ex legato gubernator prouinciæ mense Nouembri factus habenas suscepit, quas etiam nunc fœliciter tenet, & vt diutissimè vitâ ac fortunâ comite teneat, omnes boni, qui libertati ac veræ pietati benè volunt, concordibus votis optant, Deumque rogant. Sed nunc ad ipsam rem, quæ propria est instituti præsentis. Prehensis ad depellendum impotentis dominatus Hispanici armis, resumptâque pristinâ libertate, summum ius, summa potestas reip. in Frisiâ penes populum erat. Populus ordinibus suis censebatur. Ordines cùm res poscebat, & statuendum aliquid erat, ad comitia vocabatur. Comitiorum locus Leovardia solet esse. Sed hæc libertatis forma plus satis laxa erat, & latius, quàm res & tempora ista ferebant, diffluebat. Nam dissensionum plena erant omnia, & res præsenti sæpè consilio, & maturo decreto & consensu habebat opus, quæ à co-*

mitijs

mitijs huiusmodi, & tantâ multitudine expectari non poterant. Ad hæc multi, qui suffragij ius aut habebant, aut sibi vendicabant, tacitè Hispaniæ regis partes fouebant, ijsq́ fauebant: & quod peßimum ac periculosißimum erat, antistites collegiorum monasticorum instituto maiorum in comitijs non postremam partem tenebant: quorum sententijs optima quæq; consilia ipsis aduersa aut corruptum, aut impeditum iri, nemo bonus tam læuæ mentis erat quin posset intelligere. Quapropter suadente Aurantio, quo autore idem hoc iamdudum apud Hollandos & Selandos non paruo reip. commodo institutum fuerat, consensu plurium lex in comitijs lata est de collegio nouo instituendo, quod Deputatorum vocare mos habet, quod velut caput esset reip. liberæ, & id, quod in libertate solutâ diffluebat, quasi colligeret, & constringeret: eiq́; collegio, poscente re ex comitiorum scito perampla potestas concessa in eum finem, vt in omnibus subitis atq; arcanis adiri & consuli, & cum gubernatore remp. gerere, & in medium consulere posset. Verùm fuit hoc ipsum rude primùm ac informe ob difficultatem temporum, atq; vt ego ex indicijs actorum anni 1579. mihi persuasum habui, anno 1576. mox à pactione Gandauensi, captoq́; & in vincula apud Groninganos coniecto Caspare Roblesio prouinciæ præside, natum. Nam quod ad delectos priorum temporum attinet, cùm principibus adhuc Frisia parêret, de quibus in Historiâ ad annum 1532. dixisse me memini, quibusq́; & renouata & ampliata mandata sunt anno 1558.

Collegium Deputatorū in Frisia. 1576.

1576. *quanquam & illi collegij speciem aliquam videantur confecisse, tamen cum hoc collegio vix quicquam habuisse commune dubitari non debet. Nam ij non nisi rarò; & tantùm postulante re aliquâ sub manu natâ conueniebant, & hoc solummodò in mandatis habebant, vt si quid cognoscerent contra patria iura, priuilegia, pacta, conuenta fieri aut inolescere, operam darent apud principem, aut principis locum tenentes, precando, petendo, sollicitando, quoquo modo agendo, instando, vrgendo, vt id emendaretur: atq; ita erant velut delegati curatores priuilegiorum reip. Hoc verò collegium conueniebat aßiduò, & multò plura ac maiora curabat, vt suo loco ostendemus. Sed erat id initio, vti dixi, rude, nec eâ formâ, qua post fuit. Et cùm temporibus Lalainianis collegarũ pleriq; Hispanismi suspectos se fecissent, remoti ipsi à munere sunt,*
1578. *alijq; in eorũ locum surrogati: quod factum an. 1578. quo reformata quoq; suprema curia est, abdicatisq; senatoribus ab Hispano datis, noui à populo constituti, aut anno proximè sequente: in quam sententiam inclinat magis mihi animus. Ab isto verò tempore nõ nisi patriæ & libertatis amantißimi, & veræ sinceræq; pietatis & religionis studiosißimi, atq; ita Hispanicæ tyrannidi idolomaniæq; Pontificiæ infensißimi quiq; è primoribus ordinum in collegium hoc delecti. Duplici quippè fidei vinculo hos tales bonæ causæ tuendæ obligatos catus princeps Aurantius consilij huius autor arbitrabatur, duplicią; ratione ab Hispanis abhorrere. Quam ob causam hoc quoq; operam idem dabat, quan-*

quantum consilio poterat, vt vbiq; cæteris etiam muneribus reip. qui Pontificios errores sincerâ mente damnabant, præficerentur. Quo in Frisiâ quoq; facto, religio etiam tota regione mutata, Papismus profligatus, antistitum ordo à negotijs reip. semotus, reditus monastici omnes, qui permagni erant cum cœnobijs, ærario adscripti. Sed de collegio nouo, deq; comitijs contentio extitit inter agrarios & oppidanos. Nam quemadmodum agrarij ordines tribus tantùm membris secundum tres prouinciæ partes Ostergoam, VVestergoam, Syluestrem censeri prouinciam volebant, oppida verò, vti sub Principibus (sic ipsi dicebant) fuerat, partibus illis, in quibus ipsa sita essent, accenseri, sic oppidani ab anno 1577. post Gandauensem conuentionem Aurantij principis gratiâ & studio in numerum membrorum prouinciæ admißi, vt quaterna iam membra pro trinis putarentur, mox antistitibus è rep. dispunctis semissem suffragiorum & iuris gerendæ reip. ad se trahere nitebantur. Nam ad tuendam libertatem & communem patriam in se, & munitionibus suis plus momenti & roboris esse quàm in toto agro incursibus hostium obnoxio dictitabant: erantq; omninò in hac contentione feruentißimi Leouerdiani, cæterisq; exemplo præibant. Quapropter oppidani Deputatos suos separatim mãdatis instruebant, & agrarij quoq; suos, vt collegium vnum quanquam vno loco omnes conuenirent, & coniunctim de rep. deliberarent, tamen quasi duo in collegia scissum esse, & studijs diuersis perpetuò dißidere videretur: quod bono 1578.

publico maximo impedimento & detrimento erat. Et *cùm contentio hæc exitum non reperiret, & vtrisque, omnibusq́ eorum socijs perniciem minitaretur, intercessit optimus Princeps, qui semper in excubijs erat, eoq́ deducta ab ipso res est, vt in subeundam aleam iudicij partes consentirent. Placuit in hanc rem, vt causa tota apud senatores summæ curiæ in patriâ quàm breuissimè disceptaretur: deinde acta ad ipsum Principem & iurisconsultos quatuor ei adiunctos mitterentur: ab his exactis sententia ferretur. Hi actis acceptis, tentatâ denuò sed frustrà inter partes amicâ compositione; cùm deprehendissent huiusmodi defectu acta vtrinq́ laborare, vt super ijs rectè ferri decisiua sententia non posset, nossentq́ in morâ longiore periculum esse, tulerunt sic,* vt *intereà dum processus planiùs*
,, *posset instrui, & controuersia definiri,* Ostergoi bi-
,, nos, Westergoi binos, Syluestres binos ex sui
,, medio intra vertentem mensem ederent, al-
,, terùm è nobilitate ex plebe honestiore alte-
,, rum, his verò oppidani ex ordine suo intra
,, idem tempus adderent ternos, omnes religio-
,, ni reformatæ addictos, viros idoneos, liberta-
,, tis & patriæ amantes qui 9. numero collegium
,, Deputatorum cōficerent, ac reip. pariter con-
,, sulerent: si qua pars hac in re sibi deesset, id est,
,, antè exitum mensis suos nō ederet, tum Prin-
,, cipi gubernatori ius esset, ex medio partis istius
,, eosdem designare: Et hæc valerent ad tempus
,, dictum. *Pronunciatum hoc Delphis in Hollandiâ,*

præsen-

præsentibus partium legatis, anno 1584. die 16. mensis Februarij. Sic potestatis publicæ triens hac in parte oppidanis tribuitur, egregio temperamento, reiq; publicæ cum primis salutari ex ingenio sapientißimi Principis profecto, qui post hanc latam sententiam totum semestre non superfuit: id quod sententiæ robur addidisse ob sanctißimi latoris memoriam, & gratiam, quam post se reliquit videtur. Nam ab eo tempore nihil in re mutatum. Sed vt hominum natura habet partis non contenta, oppidani quod in collegio obtinuerant, id ad comitia extendere quoq; voluêre. Vnde noua inter easdem partes controuersia nata. Nam Nobilitas & plebs agraria iniquum id censebant, & sententiæ latæ vim isto extendi modo, iuri & moribus contrarium esse contendebant. Eratq; contentio hæc priore penè vehemētior, feruentibus maximâ in parte oppidanorum ijsdē Leowerdijs. Quo pars altera offensa, prætexens arctari sibi libertatē dicendæ sententiæ in deliberationibus publicis, collegij sedem, quantū in se fuit, Leowerdiâ transtulit Frankeram. Ibiq; in alterū vsq; annū collegij pars maior hæsit, ibidemq; comitia acta. Sed sensim feruor resedit, adeoq; cū tempore etiā sine iudicio cōtrouersia cōticuit, studio & prudētiâ singulari noui gubernatoris Guilhelmi Ludouici Comitis Nassouij, Leowerdiaq; & collegij & comitiorū sedes est restituta, collegæ oēs tā oppidani quā agrarij ijsdē cōmunibus mādatis ab ordinibus instructi. Collegis 9. viris annuū munus est, sed (liceat mihi hoc vocabulo vti) prorogabile pro arbitrio eorū: à 1584.

D 4 . quibus

1583. quibus eduntur: est sic in vsu positum, vt si qui grati suis sint, si se virtutemq; suam gerendo munere præbent, ijs munus prorogetur, ac id fiat sæpius, vt etiam per multos annos nonnulli in munere ac honore eodem maneant, & interdum in eo consenescant; acciditq; non rarò, vt non singlis tantùm, sed omnibus prorogatio decernatur. Prorogatio hæc, vt & electio, fit in comitijs prouinciæ ordinarijs, quæ quotannis tempore verno, & vtplurimum mense Martio, quandoq; etiam Februario aut Ianuario, si res poscat, habentur. Vbi Leowerdiæ, (is enim inueterato dudum more locus comitiorum penè propriùs est) delecti omnium ordinum potestate instructi conuenêre diuisi quadripartitò, Ostergoi designant è suis virum nobilem vnum, & alterum plebeium ex eo genere, qui fundi aut prædij rustici veri domini sunt, (nam à iure hoc coloni conductores ac emphyteutæ excluduntur) quos velint in annum proximum in collegio sedere & remp. administrare: Idem faciunt VVestergoi, idē & Syluestres. Oppidani verò ex ordine suo tres edunt viros plerumq; graues, sapientiâ, rerum vsu, autoritate valentes, quorum sententias abnuere plebei cæteri haud facilè audent, atq; ita magnum ferè momentum ad ea, quæ agenda sunt adferunt in omnem partem. Omnes renunciati voce publicâ, à comitiorum delectis in sedem collegij deducti apud eosdē illos iureiurando in ineuntem annum Reip. se obstringunt, pollicenturq; secundum mandati formulam munus se administraturos. Id fit comitijs iam confectis. Quòd si in munere administran-

nistrando aliquem contingat vitâ decedere, collegæ ex lege tenentur hoc ei prouinciæ membro, ex quo defunctus erat, denunciare, vt ij, ad quos hoc pertinet, desurrogando in eius locum alio cogitent, iubetq; lex hoc istos sine morâ exequi, electumq; iureiurando Reip. dato collegio addi: Verùm hac parte legem belli tempore latam durātibus his iudicijs antiquauit vsus. Collegij munus & potestas quæ sit, ex lege licet cognoscere, quæ anno 1584. statim post interpositam ab Aurantio principe & iurisconsultis sententiam, exituro iam mense Aprili, ei lata est in comitijs, quæ tunc Franekeræ agebantur, cum hac quoq; parte ordines in concordiam redegisset Guilhelmus Ludouicus Nassouiæ Comes patrui sui vices isto tempore gerens: Eius legis summa capita hæc sunt, Collegæ siue soli, siue cum Aurantio principe gubernatore, eiusve vices gerente Guilhelmo Ludouico Nassouiæ Comite operam dent, vt iura prouinciæ omnia, priuilegia, pacta, statuta, transactiones, libertas, & quicquid huiusmodi, sine vitio conseruentur: si qua iam contra commissa, sine morâ corrigantur: in quâ nec personæ, nec gratiæ rationem vllam habeant, aut cum quoquam conniueant: curæ ipsis sint omnia, quæ ad sartam tectam tenendam promouendamque salutem ac libertatem publicam pertinere putabunt, in omnibus & de omnib⁹ his pro re natâ deliberent, in medium consulant, sententias dicant, concludant,

1583.

1584.

Leges collegio Deputatorum lata.

1576. *Amaso in Fleuum cum ordinibus cæteris coniuncta: Præses ei datus Georgius Lalainius: Ex decreto etiam Antuerpiano autore Matthia Austriaco, generali omnium prouinciarum gubernatore nuper designato, & Guilhelmo Aurantiæ principe, summo eiusdem consiliario, ac legato vicariam pro eo potestatem gerente, totoq́ ordinum senatu, qui vtrique à consilijs erat, scripto & promulgato religioni reformatæ templa duo Groningæ, duo Leoẅerdiæ concessa, alijs quoque in locis exercitium eius liberum desiderio populi permissum. In rep. etiam eo anno emendata non pauca. At benè cœpta per Frisiam turbauit mala fides Georgij Lalainij Rectoris, qui conspiratione clam cum Parmensi initâ de prouinciâ vtrâque cis vltraq́ Lauicam Hispanis restituenda Leoẅerdiæ quidem, & cæteris eiusdem regionis partibus pessimâ spe suâ excidit, arcibus submonitu Aurantij Leoẅerdiæ, Harlingæ, Stauera à populo occupatis & subuersis, sed Gro-*

1580. *ninganos insigni periurio deceptos die 3. Martij anno 1580: inopinatos oppressit, atq́ optimos quosq́ carceribus tradidit. A quo tempore perpetuum bellum inter finitimos & cognatos gestum cum magnis vtrorumq́ incommodis. Aurantius, ne quid istic detrimenti maioris acciperetur, ex voluntate Ordinum generalium à Matthia Austriaco totius Belgij præside summo gubernator petentibus Frisijs datus. Is quia ipse ob negotiorum infinitorum molem præsens in Frisia esse aßiduò non poterat, Bernardum Merodium, virum bello acrem & cōsilio manuq́ æquè promptum,*

sibi

ſibi ſuffecit: cuius ductu proximis annis multa benè 1580.
geſta, loca munita in poteſtatem redacta, Lalainiani ſubmoti. Interea & Andium Dux Gallorum regis frater in Belgium vocatus, & totius Belgij princeps deſignatus, Hiſpaniæ regis fidei publicè renunciatum, obſequiumq́ eiuratũ, inſignia eius ac poteſtatis ſigna confracta, diuortium cum eo factum, Matthias Auſtriacus honeſtiſsimè dimiſſus. Res geſta anno 1581. 1581.
menſe Iulio. Sed cùm Andicus intra biennium optimo & pulcherrimo viro peſsimo facinore Antuerpiano ſe rurſus exuiſſet, prouinciæ ſibi relictæ ſine principe ſupremo fuêre: eademq́ à Parmenſi grauiter hic illic afflictæ communem parentem, curatoremve ac cuſtodem libertatis fidiſsimum principem Aurantium Hiſpanâ fraude peremptum amisêre. Deinde Antuerpia regina vrbium Belgicarum, totaq́ Brabantia & Flandria poſt Hannoniam & Artoſiam, quæ multò ante viuo adhuc Aurantio receſſerant, à ſocietate auulſæ; Geldria, & quicquid vicinum, grauiſsimè afflicta. Et ſecutum fœdus cum Anglis Leiceſtrij ſiue credulitate, ſiue leuitate, ſiue conſilij inopiâ, ac ingenio læuo, & rebus gerendis non pari, ſiue ambitione inſulsâ in diſcrimen longè maius reliquias fortunæ communis coniecit, quàm armis Hiſpanicis factũ fuit vnquam. Et tamen ex tanto periculo, & malis tam multis & magnis eluctata eadem fortuna Dei Opt. Max. beneficio, virtute incredibili Mauritij principis, Guilhelmi filij, eiusq́ patruelis Guilhelmi Ludouici Naſſoniæ Comitis, prudentiâq́ reliquorum procerum con-

filij ducum istuc iam peruenit, vt magnis regibus, principibus, ciuitatibus, populis, omnibus denique hominibus venerabilis sit, & admiranda habeatur. Verùm, vt ad anteriora reuertar, Guilhelmus Aurantiæ princeps eo anno, qui postremus ipsi in hac vitâ fuit, (is
1584. *fuit 1584.) reuocato ex Frisiâ Merodio ob odium, in quod apud Frisios hic incurrerat, filium fratris sui Guilhelmum Ludouicum, excellentis ingenij heroa, iuuenem etiam tum, sed rebus gerendis insigniter per aliquot annos in Belgio probatum, sibi in eâ prouinciâ iam senescente Februario mense legauit. Dein Aurantio nefario scelere post quadrimestre è viuis sublato, Guilhelmus Ludouicus cupientibus Frisijs ex legato gubernator prouinciæ mense Nouembri factus habenas suscepit, quas etiam nunc fœliciter tenet, & vt diutissimè vitâ ac fortunâ comite teneat, omnes boni, qui libertati ac veræ pietati benè volunt, concordibus votis optant, Deumque rogant. Sed nunc ad ipsam rem, quæ propria est instituti præsentis. Prehensis ad depellendum impotentis dominatus Hispanici armis, resumptâque pristinâ libertate, summum ius, summa potestas reip. in Frisiâ penes populum erat. Populus ordinibus suis censebatur. Ordines cùm res poscebat, & statuendum aliquid erat, ad comitia vocabatur. Comitiorum locus Leovardia solet esse. Sed hæc libertatis forma plus satis laxa erat, & latiùs, quàm res & tempora ista ferebant, diffluebat. Nam dissensionum plena erant omnia, & res præsenti sæpè consilio, & maturo decreto & consensu habebat opus, quæ à comitijs*

mitijs huiusmodi, & tantâ multitudine expectari non poterant. Ad hæc multi, qui suffragij ius aut habebant, aut sibi vendicabant, tacitè Hispaniæ regis partes fouebant, ijsq; fauebant: & quod peßimum ac periculosißimum erat, antistites collegiorum monasticorum instituto maiorum in comitijs non postremam partem tenebant: quorum sententijs optima quæq; consilia ipsis aduersa aut corruptum, aut impeditum iri, nemo bonus tam læuæ mentis erat quin posset intelligere. Quapropter suadente Aurantio, quo autore idem hoc iamdudum apud Hollandos & Selandos non paruo reip. commodo institutum fuerat, consensu plurium lex in comitijs lata est de collegio nouo instituendo, quod Deputatorum vocare mos habet, quod velut caput esset reip. liberæ, & id, quod in libertate solutâ diffluebat, quasi colligeret, & constringeret: eiq; collegio, poscente re ex comitiorum scito perampla potestas concessa in eum finem, vt in omnibus subitis atq; arcanis adiri & consuli, & cum gubernatore remp. gerere, & in medium consulere posset. Verùm fuit hoc ipsum rude primùm ac informe ob difficultatem temporum, atq; vt ego ex indicijs actorum anni 1579. mihi persuasum habui, anno 1576. mox à pactione Gandauensi, captoq; & in vincula apud Groninganos coniecto Caspare Roblesio prouinciæ præside, natum. Nam quod ad delectos priorum temporum attinet, cùm principibus adhuc Frisia parêret, de quibus in Historiâ ad annum 1532. dixisse me memini, quibusq; & renouata & ampliata mandata sunt anno 1558.

Collegium Deputatorũ in Frisia. 1576.

1576. *quanquam & illi collegij speciem aliquam videantur confecisse, tamen cum hoc collegio vix quicquam habuisse commune dubitari non debet. Nam ij non nisi rarò, & tantùm postulante re aliquâ sub manu natâ conueniebant, & hoc solummodò in mandatis habebant, vt si quid cognoscerent contra patriæ iura, priuilegia, pacta, conuenta fieri aut inolescere, operam darent apud principem, aut principis locum tenentes, precando, petendo, sollicitando, quoquo modo agendo, instando, vrgendo, vt id emendaretur: atq; ita erant velut delegati curatores priuilegiorum reip. Hoc verò collegium conueniebat aßiduò, & multò plura ac maiora curabat, vt suo loco ostendemus. Sed erat id initio, vti dixi, rude, nec eâ formâ, qua post fuit. Et cùm temporibus Lalainianis collegarũ pleriq; Hispanismi suspectos se fecissent, remoti ipsi à munere sunt,*
1578. *alijq; in eorũ locum surrogati: quod factum an. 1578. quo reformata quoq; suprema curia est, abdicatisq; senatoribus ab Hispano datis, noui à populo constituti, aut anno proximè sequente: in quam sententiam inclinat magis mihi animus. Ab isto verò tempore nõ nisi patriæ & libertatis amantißimi, & veræ sinceræq; pietatis & religionis studiosißimi, atq; ita Hispanicæ tyrannidi idolomaniæq; Pontificiæ infensißimi quiq; è primoribus ordinum in collegium hoc delecti. Duplici quippè fidei vinculo hos tales bonæ causæ tuendæ obligatos catus princeps Aurantius consilij huius autor arbitrabatur, duplicíq; ratione ab Hispanis abhorrere. Quam ob causam hoc quoq; operam idem dabat,*

quan-

quantum consilio poterat, vt vbiq; cæteris etiam muneribus reip. qui Pontificios errores sincerâ mente damnabant, præficerentur. Quo in Frisiâ quoq; facto, religio etiam tota regione mutata, Papismus profligatus, antistitum ordo à negotijs reip. semotus, reditus monastici omnes, qui permagni erant cum cœnobijs, ærario adscripti. Sed de collegio nouo, deq; comitijs contentio extitit inter agrarios & oppidanos. Nam quemadmodum agrarij ordines tribus tantùm membris secundum tres prouinciæ partes Ostergoam, VVestergoam, Syluestrem censeri prouinciam volebant, oppida verò, vti sub Principibus (sic ipsi dicebant) fuerat, partibus illis, in quibus ipsa sita essent, accenseri, sic oppidani ab anno 1577. post Gandauensem conuentionem Aurantij principis gratiâ & studio in numerum membrorum prouinciæ admissi, vt quaterna iam membra pro trinis putarentur, mox antistitibus è rep. dispunctis semissem suffragiorum & iuris gerendæ reip. ad se trahere nitebantur. Nam ad tuendam libertatem & communem patriam in se, & munitionibus suis plus momenti & roboris esse quàm in toto agro incursibus hostium obnoxio dictitabant: erantq; omninò in hac contentione feruentißimi Leo-Ꝩwerdiani, cæterisq; exemplo præibant. Quapropter oppidani Deputatos suos separatim mãdatis instruebant, & agrarij quoq; suos, vt collegium vnum quanquam vno loco omnes conuenirent, & coniunctim de rep. deliberarent, tamen quasi duo in collegia scissum esse, & studijs diuersis perpetuò dißidere videretur: quod bono 1578.

publico maximo impedimento & detrimento erat. Et *cùm contentio hæc exitum non reperiret, & vtrisque, omnibusq́; eorum socijs perniciem minitaretur, intercessit optimus Princeps, qui semper in excubijs erat, eoq́; deducta ab ipso res est, vt in subeundam aleam iudicij partes consentirent. Placuit in hanc rem, vt causa tota apud senatores summæ curiæ in patriâ quàm breuissimè disceptaretur: deinde acta ad ipsum Principem & iurisconsultos quatuor ei adiunctos mitterentur: ab his exactis sententia ferretur. Hi actis acceptis, tentatâ denuò sed frustrà inter partes amicâ compositione; cùm deprehendissent huiusmodi defectu acta vtrinq; laborare, vt super ijs rectè ferri decisiua sententia non posset, nossentq́; in morâ longiore periculum esse, tulerunt sic,* vt *intereà dum processus planiùs posset instrui, & controuersia definiri,* Ostergoi binos, Westergoi binos, Syluestres binos ex sui medio intra vertentem mensem ederent, alterùm è nobilitate ex plebe honestiore alterum, his verò oppidani ex ordine suo intra idem tempus adderent ternos, omnes religioni reformatæ addictos, viros idoneos, libertatis & patriæ amantes qui 9. numero collegium Deputatorum cōficerent, ac reip. pariter consulerent: si qua pars hac in re sibi deesset, id est, antè exitum mensis suos nō ederet, tum Principi gubernatori ius esset, ex medio partis istius eosdem designare: Et hæc valerent ad tempus dictum. *Pronunciatum hoc Delphis in Hollandiâ,*

præsen-

præsentibus partium legatis, anno 1584. die 16. mensis Februarij. Sic potestatis publicæ triens hac in parte oppidanis tribuitur, egregio temperamento, reique publicæ cum primis salutari ex ingenio sapientissimi Principis profecto, qui post hanc latam sententiam totum semestre non superfuit: id quod sententiæ robur addidisse ob sanctissimi latoris memoriam, & gratiam, quam post se reliquit videtur. Nam ab eo tempore nihil in re mutatum. Sed vt hominum natura habet partis non contenta, oppidani quod in collegio obtinuerant, id ad comitia extendere quoque voluêre. Vnde noua inter easdem partes controuersia nata. Nam Nobilitas & plebs agraria iniquum id censebant, & sententiæ latæ vim isto extendi modo, iuri & moribus contrarium esse contendebant. Eratque contentio hæc priore penè vehemētior, feruentibus maximâ in parte oppidanorum ijsdē Leoverdijs. Quo pars altera offensa, prætexens arctari sibi libertatē dicendæ sententiæ in deliberationibus publicis, collegij sedem, quantū in se fuit, Leoverdiâ transtulit Franekeram. Ibique in alterū vsque annū collegij pars maior hæsit, ibidemque comitia acta. Sed sensim feruor resedit, adeoque cū tempore etiā sine iudicio cōtrouersia cōticuit, studio & prudētiâ singulari noui gubernatoris Guilhelmi Ludouici Comitis Nassouij, Leoverdiæque & collegij & comitiorū sedes est restituta, collegæ oēs tā oppidani quā agrarij ijsdē cōmunibus mādatis ab ordinibus instructi. Collegis 9. viris annuū munus est, sed (liceat mihi hoc vocabulo vti) prorogabile pro arbitrio eorū: à 1584.

1583. quibus eduntur: est sic in vsu positum, vt si qui grati suis sint, si se virtutemq́ suam gerendo munere præbent, ijs munus prorogetur, ac id fiat sæpius, vt etiam per multos annos nonnulli in munere ac honore eodem maneant, & interdum in eo consenescant; acciditq́ non rarò, vt non singlis tantùm, sed omnibus prorogatio decernatur. Prorogatio hæc, vt & electio, fit in comitijs prouinciæ ordinarijs, quæ quotannis tempore verno, & vtplurimum mense Martio, quandoq; etiam Februario aut Ianuario, si res poscat, habentur. Vbi Leouuerdiæ, (is enim inueterato dudum more locus comitiorum penè propriùs est) delecti omnium ordinum potestate instructi conuenêre diuisi quadripartitò, Ostergoi designant è suis virum nobilem vnum, & alterum plebeium ex eo genere, qui fundi aut prædij rustici veri domini sunt, (nam à iure hoc coloni conductores ac emphyteutæ excluduntur) quos velint in annum proximum in collegio sedere & remp. administrare: Idem faciunt VVestergoi; idē & Syluestres. Oppidani verò ex ordine suo tres edunt viros plerumq́ graues, sapientiâ, rerum vsu, autoritate valentes, quorum sententias abnuere plebei cæteri haud facilè audent, atq; ita magnum ferè momentum ad ea, quæ agenda sunt adferunt in omnem partem. Omnes renunciati voce publicâ, à comitiorum delectis in sedem collegij deducti apud eosdē illos iureiurando in ineuntem annum Reip. se obstringunt, pollicenturq́ secundum mandati formulam munus se administraturos. Id fit comitijs iam confectis. Quòd si in munere administran-

nistrando aliquem contingat vitâ decedere, collegæ ex lege tenentur hoc ei prouinciæ membro, ex quo defunctus erat, denunciare, vt ij, ad quos hoc pertinet, desurrogando in eius locum alio cogitent, iubetq; lex hoc istos sine morâ exequi, electumq; iureiurando Reip. dato collegio addi: Verùm hac parte legem belli tempore latam durãtibus his iudicijs antiquauit vsus. Collegij munus & potestas quæ sit, ex lege licet cognoscere, quæ anno 1584. statim post interpositam sententiam, ab Aurantio principe & iurisconsultis sententiam, exituro iam mense Aprili, ei lata est in comitijs, quæ tunc Franekeræ agebantur, cum hac quoq; parte ordines in concordiam redegisset Guilhelmus Ludouicus Nassouiæ Comes patrui sui vices isto tempore gerens: Eius legis summa capita hac sunt, Collegæ siue soli, siue cum Aurantio principe gubernatore, eiusve vices gerente Guilhelmo Ludouico Nassouiæ Comite operam dent, vt iura prouinciæ omnia, priuilegia, pacta, statuta, transactiones, libertas, & quicquid huiusmodi, sine vitio conseruentur: si qua iam contra commissa, sine morâ corrigantur: in quâ nec personæ, nec gratiæ rationem vllam habeant, aut cum quoquam conniueant: curæ ipsis sint omnia, quæ ad sartam tectam tenendam promouendamque salutem ac libertatem publicam pertinere putabunt, in omnibus & de omnib⁹ his pro re natâ deliberent, in medium consulant, sententias dicant, concludant,

1583.

1584.

Leges collegio Deputatorum lata.

D 5 exceptis

1583. *quibus eduntur: est sic in vsu positum, vt si qui grati suis sint, si se virtutemq; suam gerendo munere præbent, ijs munus prorogetur, ac id fiat sæpiùs, vt etiam per multos annos nonnulli in munere ac honore eodem maneant, & interdum in eo consenescant; acciditq; non rarò, vt non singlis tantùm, sed omnibus prorogatio decernatur. Prorogatio hæc, vt & electio, fit in comitijs prouinciæ ordinarijs, quæ quotannis tempore verno, & vtplurimum mense Martio, quandoq; etiam Februario aut Ianuario, si res poscat, habentur. Vbi Leowerdiæ, (is enim inueterato dudum more locus comitiorum penè propriùs est) delecti omnium ordinum potestate instructi conuenêre diuisi quadripartitò, Ostergoi designant è suis virum nobilem vnum, & alterum plebeium ex eo genere, qui fundi aut prædij rustici veri domini sunt, (nam à iure hoc coloni conductores ac emphyteutæ excluduntur) quos velint in annum proximum in collegio sedere & remp. administrare: Idem faciunt VVestergoi; idē & Syluestres. Oppidani verò ex ordine suo tres edunt viros plerumq; graues, sapientiâ, rerum vsu, autoritate valentes, quorum sententias abnuere plebei cæteri haud facilè audent, atq; ita magnum ferè momentum ad ea, quæ agenda sunt adferunt in omnem partem. Omnes renunciati voce publicâ, à comitiorum delectis in sedem collegij deducti apud eosdē illos iureiurando in ineuntem annum Reip. se obstringunt, pollicenturq; secundum mandati formulam munus se administraturos. Id fit comitijs iam confectis. Quòd si in munere administran-*

nistrando aliquem contingat vitâ decedere, collegæ ex 1583.
lege tenentur hoc ei prouinciæ membro, ex quo defunctus erat, denunciare, vt ij, ad quos hoc pertinet, desurrogando in eius locum alio cogitent, iubetq; lex hoc istos sine morâ exequi, electumq; iureiurando Reip. dato collegio addi: Verùm hac parte legem belli tempore latam durãtibus his iudicijs antiquauit vsus. Collegij munus & potestas quæ sit, ex lege licet cognoscere, quæ anno 1584. statim post interpositam 1584.
ab Aurantio principe & iurisconsultis sententiam, exituro iam mense Aprili, ei lata est in comitijs, quæ tunc Franekeræ agebantur, cum hac quoq; parte ordines in concordiam redegisset Guilhelmus Ludouicus Nassouiæ Comes patrui sui vices isto tempore gerens. Eius legis summa capita hæc sunt, Collegæ siue soli, siue cum Aurantio principe gubernatore, eiusve vices gerente Guilhelmo Ludouico Nassouiæ Comite operam dent, vt iura prouinciæ omnia, priuilegia, pacta, statuta, transactiones, libertas, & quicquid huiusmodi, sine vitio conseruentur: si qua iam contra commissa, sine morâ corrigantur: in quâ nec personæ, nec gratiæ rationem vllam habeant, aut cum quoquam conniueant: curæ ipsis sint omnia, quæ ad sartam tectam tenendam promouendamque salutem ac libertatem publicam pertinere putabunt, in omnibus & de omnib⁹ his pro re natâ deliberent, in medium consulant, sententias dicant, concludant,

Leges collegio Deputatorum latæ.

exceptis ijs, quæ iurisdictionis sunt, quę cognitioni & definitioni curiæ supremæ & gubernatoris, eiusve locum tenentis, aut tribunalium inferiorum relinquentur, siuę ciuilia sunt, siue criminalia; cuius iurisdictionis cursum morari, aut turbare, aut quoquomodo ei se interponere collegio fas non sit; imò hoc agant collegæ, vt cursum istum promoueant, quò iudicata executioni mandentur: deinde toti in eo sint, vt collapsa disciplina militaris statim emendetur & restituatur in integrum ex formulâ à principe Aurantio & Ordinibus generalibus non ita nuper promulgatâ, vt inidonei Ordinum militarium præfecti loco moueantur, idonei surrogentur: contumaces, & iniussu suo ad Ordines promotos stipendiis excludant: curam gerant, vt stipendiis autorati re ipsâ militent pro Rep. ac in armis sint quocunque loco ac tempore id facere à Principis legato & collegio iubebuntur, denique cætera agant, curent, quæ cum his sint connexa: Collega mortuo faciant, vt in eius locum alius eo modo, quo antè est dictum, surrogetur: Si qua res se offerat, quæ grauior sit, quàm vt audeant sine consilio & cõsensu plurium in eâ agere, ex singulis territoriis aut ciuitatibus delectos cum potestate singulos aut binos euocent, nec antè euocatos demittant, quàm de causâ illâ eadem certi aliquid erit consti-

constitutum: de cooptatione Principis aut Domini alicuius, aut de augendis tributis poscente re si fortè agendum, nihil agant nisi indictis & coactis plenis comitiis: & si nihil tale acciderit, tamen teneantur quotannis vergēte mense Februario aut surgēte Martio comitia huiusmodi indicere: quod si facere neglexerint, pro irrito habeatur, quicquid ab eo tempore egerint, nisi cōtrarium vis & periculum ab hoste forsan suaserit: potestatē habeant decernendi, mandatis & pecuniâ instruendi, mittendi, quocunque res tulerit, legatos Ordinum nomine, qui non sint ex ipsorum numero: ne quid maioris momenti occipiant aut agant, nisi præsentibus saltem collegis sex, nec pecuniam cuiquā adsignent maiorem aureis communibus L, nisi totidē collegis consentientibus & subscribentibus, curentque in his rebus eadem, quæ rationum magistri priùs curare solent: rationum indices & commētarios conficiant, & expeditos habeant per scribas suos exhibendos iis, qui rationibus auscultandis & examinādis delegentur: stipendium ex ærario in capita capiant aureos D. quotannis, nec quicquam à quoquam exigunt amplius; collegæ in munere manebant, quoad alij erunt surrogati: concussis iniuriâ militari, & querentibus auxilium ferant: res omnes ærarij Reipubl. ac reliquas rerum monasticarum

Hoc stipendium postea est auctum.

procurent

procurent & administrent cum fide: per procuratorem generalem in ærarium redigant bona omnia ac reditus hostium patriæ, & eorum, qui ijs adhærent, nec hîc cum quoquam conniueant: commendatam sibi habeant curam aggerum, claustrorum coërcendis aquis, aquæductum, riuorum, canalium, & quæ eius generis sunt: imprimis teneantur religionem reformatam secundùm formam præsentem sartam tectam conseruare, tutari, continuare sine vllâ mutatione; inspectionem habere ordinis politici per totum agrum & eorum omnium, qui remp. gerunt, aut eius ministri sunt; operam dare, vt in posterum præfecti territoriorum Grietmanni ritè & ex more à suis nominati designentur, & per tabulas in possessionem muneris mittantur: neminem in momentaneam administrationem muneris Grietmannici vacantis admittant, aut immittant, sed proximi territorij præfecto locum vacantem ad tempus curandum commendent, quoad præfectus nouus rite fuerit constitutus, cui constituendo tempus legitimum circumscriptum diebus 42. idemque obseruent de eo, qui præfecto est à secretis. Huic verò rei toti collegæ oppidani se non misceant, sed eam solis agrariis cum legato gubernatoris relinquant. Imprimis verò etiam collegium oculos coniectos habeat in vitia

vitia Grietmannorum & reliquorum officiariorum, eaque pœnis corripiat, atque etiam delinquentes, si res poscat, exautoret, excluso omni gratiæ respectu, aliusque in exautoratorum locum secundum morem & leges sufficiat: cogat Grietmannos territoriorum præfectos, scribas, adsessores, rationes exigere bonorum sacerdotalium, & aliorum piis vsibus destinatorum sine operæ pretio aut mercede: vetet grauiter, ne quisquã omninò res raptas aut furtiuas in prouinciæ finibus emat, vendat, in vsum suum vertat, exportet, aut, si quis contra faciat, det operam, vt is graues pœnas luat: collegæ ipsi assidui sint præsentiâ suâ in collegio, vt grauissimas absentiæ causas afferant; hoc modo absens alium, collegio probatum, sibi substituat: rationes expensarum pecuniarum Ordinibus aut eorum delectis accuratas reddant. *Deputati tum in collegio hoc erant, quibus hæc lex lata est*, Kempo Donya, Siurtus Fockenius, Ielgerus Feitzma, D. Diricus Vogelsangis, Abelus Frankena, Eilardus Reinalda, D. Christophorus Arensma, Hobbo Bardius, Doco Teetlumæus. *Hi iusiurandum Reip. dederunt in hanc sententiam:* Causare se, bellum contra regem Hispaniæ susceptum iustum, æquum, pium esse; quocirca regem ipsum non Principem suum se agnoscere, sed pro hoste habere cũ omnibus ipsius præfectis, ministris,

Iusiurandũ Deputatorum.

ministris, sectatoribus factioni ve eius adhærentibus: & pro religione ac Rep. fœderatorum in genere, & speciatim pro patriâ suâ conatibus illius obuiam se ituros; honorē, dignitatem, priuilegia, tum earundem prouinciarum fœderatarum, tum patriæ suæ pro viribus defensuros: gratiam, caritatem, affectum suorum, ex quibus ac à quibus in collegium allecti sint, se posituros, tantumque bonum publicum esse respecturos, nec propinquitatis aut commodi priuati rationem vllam habituros, desideria affectuum post habituros, arcana omnia silentio fideli tecturos, nec decreta, nisi ad quos pertinebunt, cuiquam reuelaturos. *In lege posterioribus temporibus quædam addita aut mutata pro temporum ratione: Caput verò de religione conseruandâ multò prolixiùs & diligentiùs sancium.* Iussi enim Deputati collegæ auertere omnem in religione mutationem, & curam salutis Ecclesiæ habere, vt cōstent sibi synodi, classes, ordo ministrorum docentium in Ecclesiâ, seniorum, diaconorum; qui pauperibus præsunt, & cæterorum his similium: dare operam, vt in totâ re Ecclesiasticâ omnia agantur εὐτάκτως: vt disciplina Ecclesiæ salutaris vbique vigeat, vt politia quædam vniuersi corporis Ecclesiastici, & eius gubernatio vniformis totâ regione constituatur, sartaque & tecta conseruetur, atque ad posteros transmittatur.

Lex de religione cùm εὐταξιά Ecclesiasticâ sartâ tectâ seruandâ.

tatur. Et vt hæc effecta dare possint, tributa ijs est in hunc vsum potestas necessaria: saluo tamen cuique vico, & summæ curiæ iure suo. *Hæc prolixiùs de collegio Deputatorum quàm pro more instituti libelli, propterea quòd præsentis status fundamentum aut firmamentum in eo sit præcipuum. Habet collegium à secretis virum grauem & eruditum, & autoritate non parùm valentem ob munus, quod gerit, perpetuum, scribarum reliquorum magistrum, actorum & chartarum collegij custodem, cuius operâ in concipiendis scriptis, & signandis aut subscribendis decretis collegium vtitur, quiq; verba sæpè nomine collegij apud alios extra collegium facit. Quo munere à multis annis vsus est* Eio Hebrandi *Hispanicæ factionis inimicus acerrimus. De reliquis scribis, quibus velut amanuensibus iste vtitur, dicere operæ pretium non est. Habet collegium & ostiarium conditionis nō aspernandæ, & turbam aliam ad varia ministeria, imprimis tabellarios sex, qui aßidui sunt in itineribus. Collegio quoq; additi sunt quæstores duo duobus ærarijs præfecti: quorū alter tractat omnē pecuniam prouinciæ ex tributorū vario genere, ex vectigalibus, ex prouinciæ totius cēsibus prouenientem: eam recipit partim à Grietmannis territoriorum præfectis, partim à quæstoribus ciuitatū, partim à publicanis & coactoribus, eandēq; iussu collegij, aut Ordinū exponit in varios belli & pacis vsus, eius acceptæ expensæq; rationes apud rationū camerā, & delectos collegij ordinumq; reddit: munus gratiosum æquè & fructuosum:*

Actuarius siue à secretis collegij.

Quæstores duo.

Ambiunt

1576. *quanquam & illi collegij speciem aliquam videantur confecisse, tamen cum hoc collegio vix quicquam habuisse commune dubitari non debet. Nam ij non nisi rarò; & tantùm postulante re aliquâ sub manu natâ conueniebant, & hoc solummodò in mandatis habebant, vt si quid cognoscerent contra patriæ iura, priuilegia, pacta, conuenta fieri aut inolescere, operam darent apud principem, aut principis locum tenentes, precando, petendo, sollicitando, quoquo modo agendo, instando, vrgendo, vt id emendaretur: atq; ita erant velut delegati curatores priuilegiorum reip. Hoc verò collegium conueniebat aßiduò, & multò plura ac maiora curabat, vt suo loco ostendemus. Sed erat id initio, vti dixi, rude, nec eâ formâ, qua post fuit. Et cùm temporibus Lalainianis collegarũ pleriq; Hispanismi suspectos se fecissent, remoti ipsi à munere sunt,*
1578. *alijq; in eorũ locum surrogati: quod factum an. 1578. quo reformata quoq; suprema curia est, abdicatisq́; senatoribus ab Hispano datis, noui à populo constituti, aut anno proximè sequente: in quam sententiam inclinat magis mihi animus. Ab isto verò tempore nõ nisi patriæ & libertatis amantißimi, & veræ sinceræq́; pietatis & religionis studiosißimi, atq; ita Hispanicæ tyrannidi idolomaniæq́; Pontificiæ infensißimi quiq; è primoribus ordinum in collegium hoc delecti. Duplici quippè fidei vinculo hos tales bonæ causæ tuendæ obligatos catus princeps Aurantius consilij huius autor arbitrabatur, duplicique ratione ab Hispanis abhorrere. Quam ob causam hoc quoq; operam idem dabat,*

quan-

quantum consilio poterat, vt vbiq; cæteris etiam muneribus reip. qui Pontificios errores sincerâ mente damnabant, præficerentur. Quo in Frisiâ quoq; facto, religio etiam tota regione mutata, Papismus profligatus, antistitum ordo à negotijs reip. semotus, reditus monastici omnes, qui permagni erant cum cœnobijs, ærario adscripti. Sed de collegio nouo, deq; comitijs contentio extitit inter agrarios & oppidanos. Nam quemadmodum agrarij ordines tribus tantùm membris secundum tres prouinciæ partes Ostergoam, VVestergoam, Syluestrem censeri prouinciam volebant, oppida verò, vti sub Principibus (sic ipsi dicebant) fuerat, partibus illis, in quibus ipsa sita essent, accenseri, sic oppidani ab anno 1577. post Gandauensem conuentionem Aurantij principis gratiâ & studio in numerum membrorum prouinciæ admissi, vt quaterna iam membra pro trinis putarentur, mox antistitibus è rep. dispunctis semissem suffragiorum & iuris gerendæ reip. ad se trahere nitebantur. Nam ad tuendam libertatem & communem patriam in se, & munitionibus suis plus momenti & roboris esse quàm in toto agro incursibus hostium obnoxio dictitabant: erantq; omninò in hac contentione feruentißimi Leowerdiani, cæterisq; exemplo præibant. Quapropter oppidani Deputatos suos separatim mādatis instruebant, & agrarij quoq; suos, vt collegium vnum quanquam vno loco omnes conuenirent, & coniunctim de rep. deliberarent, tamen quasi duo in collegia scissum esse, & studijs diuersis perpetuò dißidere videretur: quod bono 1578.

publico maximo impedimento & detrimento erat. Et *cùm contentio hæc exitum non reperiret, & vtrisque, omnibusq́; eorum socijs perniciem minitaretur, intercessit optimus Princeps, qui semper in excubijs erat, eoq́; deducta ab ipso res est, vt in subeundam aleam iudicij partes consentirent. Placuit in hanc rem, vt causa tota apud senatores summæ curiæ in patriâ quàm breuissimè disceptaretur: deinde acta ad ipsum Principem & iurisconsultos quatuor ei adiunctos mitterentur: ab his exactis sententia ferretur. Hi actis acceptis, tentatâ denuò sed frustrà inter partes amicâ compositione; cùm deprehendissent huiusmodi defectu acta vtrinq; laborare, vt super ijs rectè ferri decisiua sententia non posset, nossentq́; in morâ longiore periculum esse, tulerunt sic, vt intereà dum processus planiùs*
,, *posset instrui, & controuersia definiri,* Ostergoi bi-
,, nos, Westergoi binos, Syluestres binos ex sui
,, medio intra vertentem mensem ederent, al-
,, terùm è nobilitate ex plebe honestiore alte-
,, rum, his verò oppidani ex ordine suo intra
,, idem tempus adderent ternos, omnes religio-
,, ni reformatæ addictos, viros idoneos, liberta-
,, tis & patriæ amantes qui 9. numero collegium
,, Deputatorum cõficerent, ac reip. pariter con-
,, sulerent: si qua pars hac in re sibi deesset, id est,
,, antè exitum mensis suos nõ ederet, tum Prin-
,, cipi gubernatori ius esset, ex medio partis istius
,, eosdem designare: Et hæc valerent ad tempus
,, dictum. *Pronunciatum hoc Delphis in Hollandiâ,*

præsen-

præsentibus partium legatis, anno 1584. die 16. mensis Februarij. Sic potestatis publicæ triens hac in parte oppidanis tribuitur, egregio temperamento, reiq; publicæ cum primis salutari ex ingenio sapientißimi Principis profecto, qui post hanc latam sententiam totum semestre non superfuit: id quod sententia robur addidisse ob sanctißimi latoris memoriam, & gratiam, quam post se reliquit videtur. Nam ab eo tempore nihil in re mutatum. Sed vt hominum natura habet partis non contenta, oppidani quod in collegio obtinuerant, id ad comitia extendere quoq; voluêre. Vnde noua inter easdem partes controuersia nata. Nam Nobilitas & plebs agraria iniquum id censebant, & sententia lata vim isto extendi modo, iuri & moribus contrarium esse contendebant. Eratq; contentio hæc priore penè vehemētior, feruentibus maximâ in parte oppidanorum ijsdē Leoẅerdijs. Quo pars altera offensa, prætexens arctari sibi libertatē dicendæ sententiæ in deliberationibus publicis, collegij sedem, quantū in se fuit, Leoẅerdiâ transtulit Franekeram. Ibiq; in alterū vsq; annū collegij pars maior hæsit, ibidemq; comitia acta. Sed sensim feruor resedit, adeoq; cū tempore etiā sine iudicio cōtrouersia cōticuit, studio & prudētiâ singulari noui gubernatoris Guilhelmi Ludouici Comitis Nassouij, Leoẅerdiaq; & collegij & comitiorū sedes est restituta, collegæ oēs tā oppidani quā agrarij ijsdē cōmunibus mādatis ab ordinibus instructi. Collegis 9. viris annuū munus est, sed (liceat mihi hoc vocabulo vti) prorogabile pro arbitrio eorū, à 1584.

1583. *quibus eduntur: est sic in vsu positum, vt si qui grati suis sint, si se virtutemq; suam gerendo munere præbent, ijs munus prorogetur, ac id fiat sæpiùs, vt etiam per multos annos nonnulli in munere ac honore eodem maneant, & interdum in eo consenescant; accidítq; non rarò, vt non singlis tantùm, sed omnibus prorogatio decernatur. Prorogatio hæc, vt & electio, fit in comitijs prouinciæ ordinarijs, quæ quotannis tempore verno, & vtplurimum mense Martio, quandoq; etiam Februario aut Ianuario, si res poscat, habentur. Vbi Leowerdiæ, (is enim inueterato dudum more locus comitiorum penè propriùs est) delecti omnium ordinum potestate instructi conuenêre diuisi quadripartitò, Ostergoi designant è suis virum nobilem vnum, & alterum plebeium ex eo genere, qui fundi aut prædij rustici veri domini sunt, (nam à iure hoc coloni conductores ac emphyteutæ excluduntur) quos velint in annum proximum in collegio sedere & remp. administrare: Idem faciunt VVestergoi, idẽ & Syluestres. Oppidani verò ex ordine suo tres edunt viros plerumq; graues, sapientiâ, rerum vsu, autoritate valentes, quorum sententias abnuere plebei cæteri haud facilè audent, atq; ita magnum ferè momentum ad ea, quæ agenda sunt adferunt in omnem partem. Omnes renunciati voce publicâ, à comitiorum delectis in sedem collegij deducti apud eosdẽ illos iureiurando in ineuntem annum Reip. se obstringunt, pollicenturq; secundum mandati formulam munus se administraturos. Id fit comitijs iam confectis. Quòd si in munere administran-*

nistran-

niſtrando aliquem contingat vitâ decedere, collegæ ex lege tenentur hoc ei prouinciæ membro, ex quo defunctus erat, denunciare, vt ij, ad quos hoc pertinet, deſurrogando in eius locum alio cogitent, iubetq; lex hoc iſtos ſine morâ exequi, electumq; iureiurando Reip. dato collegio addi: Verùm hac parte legem belli tempore latam durãtibus his iudicijs antiquauit vſus. 1583.

Collegij munus & poteſtas quæ ſit, ex lege licet cognoſcere, quæ anno 1584. ſtatim poſt interpoſitam 1584. *ab Aurantio principe & iuriſconſultis ſententiam, exituro iam menſe Aprili, ei lata eſt in comitijs, quæ tunc Franekeræ agebantur, cum hac quoq; parte ordines in concordiam redegiſſet Guilhelmus Ludouicus Naſſouiæ Comes patrui ſui vices iſto tempore gerens. Eius legis ſumma capita hæc ſunt,* Collegæ ſiue ſoli, ſiue cum Aurantio principe gubernatore, eiuſve vices gerente Guilhelmo Ludouico Naſſouiæ Comite operam dent, vt iura prouinciæ omnia, priuilegia, pacta, ſtatuta, tranſactiones, libertas, & quicquid huiuſmodi, ſine vitio conſeruentur: ſi qua iam contra commiſſa, ſine morâ corrigantur: in quâ nec perſonæ, nec gratiæ rationem vllam habeant, aut cum quoquam conniueant: curæ ipſis ſint omnia, quæ ad ſartam tectam tenendam promouendamque ſalutem ac libertatem publicam pertinere putabunt, in omnibus & de omnib⁹ his pro re natâ deliberent, in medium conſulant, ſententias dicant, concludant,

Leges collegio Deputatorum latæ.

exceptis ijs, quæ iurisdictionis sunt, quę cognitioni & definitioni curiæ supremæ & gubernatoris, eiusve locum tenentis, aut tribunalium inferiorum relinquentur, siuę ciuilia sunt, siue criminalia; cuius iurisdictionis cursum morari, aut turbare, aut quoquomodo ei se interponere collegio fas non sit; imò hoc agant collegæ, vt cursum istum promoueant, quò iudicata executioni mandentur: deinde toti in eo sint, vt collapsa disciplina militaris statim emendetur & restituatur in integrum ex formulâ à principe Aurantio & Ordinibus generalibus non ita nuper promulgatâ, vt inidonei Ordinum militarium præfecti loco moueantur, idonei surrogentur: contumaces, & iniussu suo ad Ordines promotos stipendiis excludant: curam gerant, vt stipendiis autorati re ipsâ militent pro Rep. ac in armis sint quocunque loco ac tempore id facere à Principis legato & collegio iubebuntur, denique cætera agant, curent, quæ cum his sint connexa: Collega mortuo faciant, vt in eius locum alius eo modo, quo antè est dictum, surrogetur: Si qua res se offerat, quæ grauior sit, quàm vt audeant sine consilio & cõsensu plurium in eâ agere, ex singulis territoriis aut ciuitatibus delectos cum potestate singulos aut binos euocent, nec antè euocatos demittant, quàm de causâ illâ eadem certi aliquid erit consti-

constitutum: de cooptatione Principis aut Domini alicuius, aut de augendis tributis poscente re si fortè agendum, nihil agant nisi indictis & coactis plenis comitiis: & si nihil tale acciderit, tamen teneantur quotannis vergēte mense Februario aut surgēte Martio comitia huiusmodi indicere: quod si facere neglexerint, pro irrito habeatur, quicquid ab eo tempore egerint, nisi cōtrarium vis & periculum ab hoste forsan suaserit: potestatē habeant decernendi, mandatis & pecuniâ instruendi, mittendi, quocunque res tulerit, legatos Ordinum nomine, qui non sint ex ipsorum numero: ne quid maioris momenti occipiant aut agant, nisi præsentibus saltem collegis sex, nec pecuniam cuiquā adsignent maiorem aureis communibus L, nisi totidē collegis consentientibus & subscribentibus, curentque in his rebus eadem, quæ rationum magistri priùs curare solent: rationum indices & commētarios conficiant, & expeditos habeant per scribas suos exhibendos iis, qui rationibus auscultandis & examinādis delegentur: stipendium ex ærario in capita capiant aureos D. quotannis, nec quicquam à quoquam exigunt amplius; collegæ in munere manebant, quoad alij erunt surrogati: concussis iniuriâ militari, & querentibus auxilium ferant: res omnes ærarij Reipubl, ac reliquas rerum monasticarum procurent

Hoc stipendium postea est auctum.

procurent & administrent cum fide: per procuratorem generalem in ærarium redigant bona omnia ac reditus hostium patriæ, & eorum, qui ijs adhærent, nec hîc cum quoquam conniueant: commendatam sibi habeant curam aggerum, claustrorum coërcendis aquis, aquæductum, riuorum, canalium, & quæ eius generis sunt: imprimis teneantur religionem reformatam secundùm formam præsentem sartam tectam conseruare, tutari, continuare sine vllâ mutatione; inspectionem habere ordinis politici per totum agrum & eorum omnium, qui remp. gerunt, aut eius ministri sunt; operam dare, vt in posterum præfecti territoriorum Grietmanni ritè & ex more à suis nominati designentur, & per tabulas in possessionem muneris mittantur: neminem in momentaneam administrationem muneris Grietmannici vacantis admittant, aut immittant, sed proximi territorij præfecto locum vacantem ad tempus curandum commendent, quoad præfectus nouus rite fuerit constitutus, cui constituendo tempus legitimum circumscriptum diebus 42. idemque obseruent de eo, qui præfecto est à secretis. Huic verò rei toti collegæ oppidani se non misceant, sed eam solis agrariis cum legato gubernatoris relinquant. Imprimis verò etiam collegium oculos coniectos habeat in

vitia

vitia Grietmannorum & reliquorum officiariorum, eaque pœnis corripiat, atque etiam delinquentes, si res poscat, exautoret, excluso omni gratiæ respectu, aliusque in exautoratorum locum secundum morem & leges sufficiat: cogat Grietmannos territoriorum præfectos, scribas, adsessores, rationes exigere bonorum sacerdotalium, & aliorum piis vsibus destinatorum sine operæ pretio aut mercede: vetet grauiter, ne quisquã omninò res raptas aut furtiuas in prouinciæ finibus emat, vendat, in vsum suum vertat, exportet, aut, si quis contra faciat, det operam, vt is graues pœnas luat: collegæ ipsi assidui sint præsentiâ suâ in collegio, vt grauissimas absentiæ causas afferant, hoc modo absens alium, collegio probatum, sibi substituat: rationes expensarum pecuniarum Ordinibus aut eorum delectis accuratas reddant. *Deputati tum in collegio hoc erant, quibus hæc lex lata est*, Kempo Donya, Siurtus Fockenius, Ielgerus Feitzma, D. Diricus Vogelsangis, Abelus Frankena, Eilardus Reinalda, D. Christophorus Arensma, Hobbo Bardius, Doco Teetlumæus. *Hi iusiurandum Reip. dederunt in hanc sententiam:* Causare se, bellum contra regem Hispaniæ susceptum iustum, æquum, pium esse; quocirca regem ipsum non Principem suum se agnoscere, sed pro hoste habere cũ omnibus ipsius præfectis, ministris,

Iusiurandũ Deputatorum.

tatur. Et vt hæc effecta dare possint, tributa ijs est in hunc vsum potestas necessaria: saluo tamen cuique vico, & summæ curiæ iure suo.
Hæc prolixiùs de collegio Deputatorum quàm pro more instituti libelli, propterea quòd præsentis status fundamentum aut firmamentum in eo sit præcipuum.
Habet collegium à secretis virum grauem & eruditum, & autoritate non parùm valentem ob munus, quod gerit, perpetuum, scribarum reliquorum magistrum, actorum & chartarum collegij custodem, cuius operâ in concipiendis scriptis, & signandis aut subscribendis decretis collegium vtitur, quiq; verba sæpè nomine collegij apud alios extra collegium facit. Quo munere à multis annis vsus est Eio Hebrandi *Hispanicæ factionis inimicus acerrimus. De reliquis scribis, quibus velut amanuensibus iste vtitur, dicere operæ pretium non est. Habet collegium & ostiarium conditionis nõ aspernandæ, & turbam aliam ad varia ministeria, imprimis tabellarios sex, qui aßidui sunt in itineribus. Collegio quoq; additi sunt quæstores duo duobus ærarijs præfecti: quorũ alter tractat omnẽ pecuniam prouinciæ ex tributorũ vario genere, ex vectigalibus, ex prouinciæ totius cẽsibus prouenientem: eam recipit partim à Grietmannis territoriorum præfectis, partim à quæstoribus ciuitatũ, partim à publicanis & coactoribus, eandẽq; iussu collegij, aut Ordinũ exponit in varios belli & pacis vsus, eius acceptæ expensæq; rationes apud rationũ camerã, & delectos collegij ordinumq; reddit: munus gratiosum æquè & fructuosum:*

Actuarius siue à secretis collegij.

Quæstores duo.

Ambiunt

Ambiunt quippè eum, qui isto praditus est, magnates ferè omnes, qui stipendia à Rep. capiunt, & quod indè sequitur. Alter ærario sacro censuum Ecclesiasticorum praeest, pecuniam istuc pertinentem colligit per homines suos, & vti, ac vbi, & quandò, & quibus iubent ijdem Deputati, qui in collegio sedent, expendit, vt plurimùm verò in vsum Ecclesiarum, Academiæ, Scholarum, studia literaria sectantium, egenorum: haut secus quàm prior ὑπεύθυνος gratiâ quoq; & fructu non multum priori cedens. Præter collegium hoc Deputatorum est etiam hîc Camera rationum magni vsus: cuius qui participes sunt 4. viri in annos singulos suffragijs ordinum delecti velut censores sunt aßignationum pecuniæ, quas quisq; à collegio deputatorum impetrauit, eas examine & calculo suo probant aut reprobant: auscultandis rationibus quæstorum, & aliorũ, qui pecuniam prouinciæ publicam tractant, præsunt. Et his scriba à secretis est, qui, quæ isti decernunt, in chartas & libros confert: acta Cameræ annotat, & custodit: functio eius perpetua, nisi quid accidat, cur loco mouendus, aut in alium locum transferendus videatur. Non prætereundus hîc est Publicanorum ordo, paulò antè verbo notatus, à quo quæstori priori pecuniæ copia haud minima sufficitur. Hic vti inuisus hominum vulgo imperito, cui molestum est tributum pendere, ita perutilis, imò necessarius Reip. est hoc tempore. " *Nam sine milite tueri statum præsentem,* " *sine pecuniæ copiâ alere militem, sine tributis pecuniæ* " *habere copiam, sine publicanis rectè expedire tributa*

non

nonpossumus. Est verò ordo iste diffusus per vniuersam prouinciam, diuisusq; vt plurimum in societates complures, & diuersas classes, non solùm secundùm partes regionesve prouinciæ, sed etiam secundùm tributorum vectigaliumq; genera. Alij enim in oppidis, alij in præfecturis agrarijs, alij in Ostergoa aut VVestergoæ, aut Syluestrium partibus, alij ex frumento, quod molis teritur, alij è pecudibus, quæ mactantur, alij ex vino & cereuisiâ, alij ex aceto, sapone, sale, alij ex butyro & caseo. Nonnulli ex panno, quidam ex lino, cum nube, & cæteris rebus quæ in trutinâ publica ponderantur, vectigalia conducunt, locantibus 9. viris Ordinum deputatis, idq; sub auctione. Atque huius rei gratiâ deputati singuli aut bini ternive abeunt statis temporibus in diuersa prouinciæ loca celebriora. Conducunt verò publicani vt plurimùm in semestre: & qui conducunt, statim prædes dant: si dare non possunt, sumptus in auctione factos, & nescio quid mulctæ pendunt. In societate qui sunt, singuli in solidum pro societate Reip. tenentur, nisi expreßè diuersum sint pacti. Quæ qui conduxêre, suo periculo colligunt, exiguntq; asperè: fraudis conuictos mulctant & affligunt duriter ex legum præscripto. Ac interdum magna faciunt operæ pretia, interdum ingentibus damnis inuoluuntur, ac si soluendo non sunt, aut non esse se simulant, in carcerem sæpè rapiuntur, & vel transigere cum Rep. vel ferè rebusq; suis cedere coguntur, ni prædes interueniant, ac Reipub. satisfaciant. Nec rarò etiam

 accidit,

redemêre, & cœnobiarchæ prædia sua, quæ ipsi cum claustris cœnobiorum connexa per domesticos suos exercebant, indulto principis inde ab initio instituti huius immunia tenuêre. Et *Saxoni quidem ex hoc tributi genere in vniuersum prouieniebant floreni istiusmodi terdecies mille nongenti quinquaginta annui: in quam summam oppida, exceptâ Leowerdiâ, conferebant florenos 1370. Leowerdia immunitate erat donata. Nunc forma census, vt dixi, manet eadem. Sed florenus, quem aureū cognominant, etiamsi reuerà nunc stuferos valeat Brab. 60. in communibus commercijs, tamen in hoc tributo 28. stuferis similibus, vti quondam, solumodò censetur. Ad hoc pro temporum modo, vt poscunt Reipub. negotia, in singulos florenos secundum indicem Saxonicum ex decreto ordinum exiguntur iam quolibet bimestri 10. 12. 14. pluresve aut pauciores stuferi.* Et *nunc monastici agri omnes abrogato indulto pactoq́ue Saxonico eidem legi cum cæteris agris cōmunibus sunt subiecti. Similiter & totus ager Biltanus olim immunis. Nobilium prædia seruatâ proportione veteri vicesimæ primæ tributaria quoque cum alijs sunt, exceptis tantum iam olim immunibus, quæ ne nunc quidem aliquid pendunt. Hac verò ratione cum stuferus tantùm vnus hoc tempore semel exigitur in florenos singulos per totam prouinciā, cōficitur summa aureorum Carolinorum circiter millium sex quorum quilibet æstimatur stuferis 20. Vnde cætera putari possunt. Summæ aūt, quæ ex agris hoc modo cōficitur, ciuitates ex lege hodiernâ de suo addunt partē nonam,*

tali ratione, vt si ex Agrario censu aurei existunt octogies mille, ciuitates teneantur adijcere decies mille. Comparatumque ex æquo & bono inter ipsas ciuitates est, vt constet, quantum cuique in hanc nonam sit conferendum: idque sumunt tum aliunde, tum præcipuè è censu, in quem ex formâ Saxonicâ prædia omnia vrbana descripsere. Colligunt verò tributum hoc per agrum Grietmanni territorium præfecti, in oppidis quæstores oppidani, collectimq; generali prouinciæ quæstori tradunt. Atq; hæc ferè domi, cum renatâ libertate vti, & Senatus rerum maritimarum: de quo dicam paulò post, vbi id magis commodum. Sequuntur, quæ foris, & huic prouinciæ cum alijs socijs communia: per quæ fit, vt prouinciæ plures domi respublicas suas, sua supremæ potestatis ac dignitatis iura habentes in vnam quasi Remp. coalescant. Horum summum & amplissimum siue consilium, siue collegium nuncupare placeat, (collegium malo, propter concessus assiduitatem & perpetuitatem) quod Ordinum generalium vocamus, verè caput Reip. vniuersæ sociorum, in quo maiestas eius & summa potestas resident. Origo eius ex vetustâ libertate prouinciarum omnium Belgicarum, secundum quam non licebat principi magnis in rebus quæ ad prouincias pertinebant, sine Ordinum prouincialium consilio ac consensu quicquam statuere. Itaq; si quid huiusmodi in animo princeps habebat, oportebat eum Ordines idoneo loco conuocare, ijs, quod animo conceperat, aut desiderabat, proponere, examinandum permit-

Collegium aut Concilium generalium Ordinum.

tere,

tere, ex eorum voluntate aut decernere quod cuperet, aut missum facere. Si res ad vnam tantùm pertinebat prouinciam, cum Ordinibus istius agebat: si ad plures, cum plurium, quarum intererat, si ad omnes necessum erat, vt ordines quoque omnium vocaret, cum ijs ageret. Et huiusmodi conuentus generalium Ordinum conuentus dicebatur, cuius maior potestas erat potestate ipsius principis. Quæ causa erat, cur rarò, nec ferè nisi cogente re maximâ, ad istiusmodi conuocationem principes soleant descendere. Hanc verò Belgæ initio tumultum suorum, rebus ob religionem turbatis, ab rege Hispaniæ poscebant sæpius, sed actum agebant. Et cùm Requesenius Albani successor in viuis esse desijsset, & conuentio de pace Gandaui esset initia, ipsi Belgi omnium Ordinum ex omnibus prouincijs passim coëuntes de rebus suis deliberarunt, & statuerunt, ac imprimis ista egêre, quæ ad amandos è Belgio Hispanos, ad reparandam libertatem, & excutiendum intentatæ seruitutis iugum spectabant. Sed nec legibus satis formatum hoc concilium erat, nec continuum, nec loco vno sedem habens, sed vt in summâ rerum confusione, & turbis multiplicibus ac periculis circumstrepentibus pro re natâ, iam hic, iam illic rarius aut frequentius coibat: donec tandem post prouincias alias Brabantia quoq; hostili vi à societate abstractâ Hagæ in Hollandiâ tandem ea, quæ reliquæ erant prouinciæ pro libertate facientes sedem eius fixerunt, certioremq; & meliorem ei ordinem dederunt. Consessus est virorum le-

ctißimorum velut senatus perpetuus, in quem quos, & quot suorum volunt, binos, ternos, quaternos, quinos, senos, sed grauißimos, & rerũ peritißimos quosq; singulæ prouinciæ mittunt impendijs suis, ac potestate instruunt, eosq; aut mutant post annum, biennium triennium, aut in honore ac munere illo eodem diutiùs relinquunt. Est enim hoc prouincijs liberum, sed in concessu cũ suffragijs aliquid probandum aut improbandum est, non capitum numero, sed prouinciarum suffragia cẽsentur. Tot enim solummodò colliguntur, quot sunt prouinciæ. Nec refert, maiores minoresve sint prouinciæ, quæ in suffragia eunt. Pari enim iure hîc omnes sunt, singulæq; vnum tantùm suffragium habent, licet virib. & dignitate inter se multùm sint impares, aliæq; in onera communis Reip. bello paceq; triplo, quadruplo, quintuplo plus conferant quàm aliæ: attamen mos habet id, quod recta quoq; ratio suadet, vt in rebus difficilibus auctoritas prouinciarũ potentiorum, quæ onerum plurimum sustinent, cùm deliberatur, & sententijs contenditur, reliquarum suffragia plerumq; inclinet, ac in se vertat. Atq; in hoc amplißimo συνεδρίῳ quasi compendium est autoritatis, dignitatis potestatis omnium prouinciarum consociatarum. Ad hoc omnes res magnæ prouincijs communes referuntur: hoc de ijs deliberat, disceptat, concludit, nisi tanti res momenti sint, vt ad totas ipsas prouincias ferendæ, & earum sententiæ cognoscendæ videantur. Huius ius ex fœderis lege controuersias, quas prouinciæ totæ cũ totis prouincijs habent cognoscere

ſcere & deſinire. Ex *huius decretis arma ſumuntur & ponuntur, exercitus augentur & minuuntur, expeditiones fiunt, & quæ ſunt huius generis.* Hoc *res fœderum tractat, legatos exterarum ciuitatũ, principum, regum audit, propoſita expendit, ad ea reſpondet: ipſum viciſſim legationes totius* Reip. *ſociorum nomine ad alios decernit: & iam eo honoris & autoritatis peruênit, vt non à vicinis tantùm, ſed & à longinquis populis, magnisq́; principibus ac monarchis colatur, & venerabile habeatur.* Præſident in *eo prouinciæ per vices in orbem recurrentes, ſingulæ diebus 8. rogantúrq́; ſententiæ ordine: & prima rogatur Geldria, deinde Hollandia, tum Selandia, Vltraiectum, Friſij qui ſunt inter Fleuum & Lauicam, Tranſiſulani, demum Groningani cum circumpoſitis agrarijs: omnium ſententijs auditis, breuiter repetit eas is, qui ex præſide prouinciâ verba facit, & hoc quod plures prouinciæ probant, concludit. Concluſum hoc is, qui toti collegio à ſecretis eſt, quem graphiarium vocant, ſemper collegio aßidens, vir apprimè honoratus, in ſcriptum redigit, cui nomen ſuum dein ſubſcribit, qui pro præſide prouinciâ verba fecit, & poſt eum graphiarius. Atq; ita perſcriptum decreti locum & vim habet.* Alterum *eſt, ſenatus* Ordinum *magnæ dignitatis, qui & ipſe ex ſtatu illo, qui ſub* Principibus *fuit eſt deriuatus.* Sed *is olim* Principum *ſtatui & fortunæ conſulebat, & eorum deſiderio ferè ſubſeruiebat, & ſenatores arbitrio* Principum *lectos accipiebat,* Nunc *tuendæ libertati conſilia*

Sic quidem hodie vſurpatur: ſed Ordine hoc controuerſum habent, & litigant Friſij cum Vltraiectinis priorem quis lo-

 impen-

cum sibi deberi cōtendunt.

impendit, & à prouinciis liberis senatores accipit. Verùm senatores à prouinciis editi & missi, à collegio ordinum generalium potestate ac mandatis instruuntur, & in fidem obsequiumq; eius iurant. Sedes huius Haga quoque est, & in eadem arce cum Ordinum generalium concilio concessus locum habet. Est à consiliis collegio priori, auditurq; in omnibus negotiis difficilibus, & potissimum hodie res belli procurat, atque in iis in medium consulit, quantis copiis opus sit, quantis in stipendia & apparatus tributis, dispicit, id ad generalium Ordinum collegium refert: ex eius voluntate è sui ferè medio delectos mittit in prouincias, qui collationem tributorum liberalem in vsus necessarios aut vtiles prouincialibus persuadeant, (id enim in more est societate huic, non imperare tributa, sed petere, & suadere, atque ita ea obtinere:) deliberat vt plurimùm seorsim, sæpè etiam coniunctim cum superiore collegio. Senatores complectitur à prouinciis datos 12. Geldros duos, Hollandos tres, Selandos duos, Friseos huius prouinciæ, quam iam describo, itidem duos, ex riliquis prouincijs tribus singulos: accedit decimus tertius à Britanniæ rege legatus, qui Hagæ aßiduò degit. Præsident & hi per vices, sed viritim, & suffragia ferunt viritim, vt tot suffragia numerentur, quot sunt capita valentque ea, & instar omnium sunt, quæ numero vincunt. Senatores in senatu manent, quandiu prouinciis, à quibus venêre, placet, alii annum, alii biennium, alii trienniū, aut diutius. Sed perpetuus πρόεδρος huius seruatus

Senatus Ordinum.

tus à multis iam annis fuit, atque adhuc est illustrissimus, & omnis æui memoria dignißimus ob prudentiam, & rei militaris scientiam, ac fortitudinem planè raram Princeps Mauritius Nassouius, Geldriæ, Hollandiæ, Selandiæ, Vltraiecti, prouinciæ Transisulanæ gubernator, maris summus præfectus, & summus militiæ Ordinum sociorum Dux ac Imperator, lumen & decus præcipuum non huius solùm, cuius consilia regit, senatus, sed totius Reipub. fœderatæ, siue quo nihil rei magnæ suscipitur, agitur, peragitur, ingenio supra fidem solers, vigilans, industrius, laborum & molestiarum patiens, pacis & belli artes omnes ad vnguem callens, tot illustrium victoriarum, ac rerum aliarum præclarè gestarum autor, quæ nomen eius inclytum & admirabile facere per Europam, Africam, Asiam, Americam, extraque anni Solisque vias; & quod mireris, in tanta fortuna & gloria, modestia, comitate, affabilitate singularis, integritate ac sincera pietate summus. Sed hic in Senatum non venit, nisi aut vocetur, aut ipse quid habeat quod velit proponere. Cùm venit, primum in consessu locum tenet, & primus sententiam rogatur, primus dicit. Et cùm senatus cum collegio maiore iungitur, locoq; suo considet, si princeps adest, ipse iam non inter senatores, sed inter eos, qui Ordinum generalium nomen habent, in capite longæ mensæ honoratißimum locum occupat, & senatu discedente, cùm vult, eodem loci adhuc manet, ac deliberationibus interest. Senatui verò, cum seorsim coit, [MAVRITIVS NASSOVIVS.]

 perpetuò

perpetuò aßident viris summæ dignitatis, quāuis senatores non sint, nec suffragij ius habeant, supremus scilicet rationum magister, quē thesauriarum vulgò vocant, quæstor generalis, secretorum scriptor & custos. Ex his primis omnem pecuniarum & sumptuū publicorum rationem in numerato habet, quanquam pecuniam ipse non tractet, & plerumq; cùm de re agitur huiusmodi, ante omnes in senatu, quid sentiat, ostendere iubetur, licet sententia illa suffragij vim non teneat. Alter verè pecuniam omnem, quæ ærario generali debetur à singulis prouincijs, tractat, per coactores suos exigit, ex iussu senatus aut collegij supremi expendit in vsus publicos, & de eâ rationes reddit, & vt plurimū post rationum magistrum auditur. Vltimus acta in senatu consignat, & in publicos libros refert. Tertium collegium est id, quod curat res maritimas, ex quibus animam ferè ducit fortuna societatis Belgicæ, cuius summus præfectus est idem laudatißimus princeps Mauritius Nassouius, operâ in hanc rem vtens legatorum duorū aut trium, quos Amiralios vicarios vocant. Ea curatio ad maritimas prouincias præcipuè pertinens Hollandiam, Selandiam, Frisiam cis vltraq; Lauicam, in collegia distincta est quinq;, quorum maximum Amsterodami, cætera Middelburgi, Roterodami, Hornæ, Doccumi sedem hoc tempore tenent, curasq; communis muneris distinctas habent. Quibus singulis fisci præfectus, & scriba à secretis est: & ἔφορος, qui in omnes, qui pecuniam huiusce curationis tractant, inquirit diligenter, & fraudes castigat. Commissarium vulgò nuncupant.

Collegia quæ curant res maritimas.

cupant. Quantum deniq; est rationū Camera generalis, omnibus prouincijs socijs cōmunis, ex quibus volentibus adsessores accipit binos ferè & binos. Ei locus Hagæ etiam est: instituta, vt examinet rationes acceptorum & expensorum in vsum societatis aut Reip. vniuersæ, ne qua à generali quæstore, generalis ærarij præfecto, de quo dixi, aut ab eius coactorib., ne qua ab ipsis prouincijs, aut prouinciarum ministris, aut quouis alio fieri fraus possit. At domi, vt eò, vnde digressus sum, reuertar, è priore Rep. quæ sub Principibus fuit, reliquus in populari libertate mansit summus senatus & iuri dicūdo præfectus cum potestate amplissimâ & maximâ. Res enim videbatur ad salutē Reip. necessaria. Verum cùm ij, qui beneficio regis cum honorem adepti erant, ad regē respectarent, eiusq; partes clam palamve fouerent, quod periculosissimū statui præsenti videbatur, omnes simul abdicati fuêre tam indigenæ quàm exteri, quorū princeps erat Igramus Achlumaus, senatus præses. Quod factum anno 1578. mens. Mart. His alij suffragijs ordinū in comitijs surrogati anno proximo, quib. præses datus Hesselus Aysma, ex indigenis magni nominus iurisconsultus. Sed & horum tres, Sucquetus, Axonius, Gramaius factionum studio anno 1580. loco cedentes, alijs eū vacuum reliquêre. Paulò post senatui huic contentio nata est cum deputatorum collegio de muneris & potestatis finib. Senatus enim cēsebat, suum esse cū gubernatore Reip. cōsulere, & de omnibus quæ istuc pertinerent, cum eodē statuere, respiciens scil. ad tempora superiora sub Principibus acta: collegij curā fuisse.

Camera rationum generalis.

Supremus Frisiæ inter Fleuū & Lauicū senatus.

ex-

exhertationes à iure publico siue à maioribus accepto, siue fœderibus & pactis acquisito notare, earum emendationem poscere: in hoc operam suam consumpsisse, cætera senatui cum gubernatore esse relicta. Contra Deputati aliam tum rerum faciem, alium statum fuisse: nunc orbitam Reip. conuersam, aliumque multis eius partibus ordinem datum. Atque hac contentione in studia diuersa populi ordines rapiebantur: agrariorum maior pars cum collegio Deputatorum, oppidani ferè omnes cū senatu faciebant. Nec antè liti huic finis fuit, quam nouus gubernator Guilhelmus Ludouicus Comes Nassouius in Frisiam venit. Is potestatis & mandati literis à generalibus Ordinibus, uti mos in fœdere sociorum habet, instructus, quarum argumento fines munerum senatus & collegij erant descripti, hoc assecutus est autoritate & studio suo, vt senatus potestate amplissima dicendi juris contentus ciuilia cætera pleraque cum armorum negotijs collegio Deputatorum curanda relinqueret: exceptum ius constituendi senatum in oppidis Frisiæ; *quod vt à senatu ad collegium transferri paterentur oppidani, nullo modo persuaderi potuêre. Quā de re inferiùs. Senatui eadem potestas in iure dicundo, quæ fuit sub Principibus: quam antè exposui. Præsidem habuit perpetuum primis annis Hesselum Aysma vsq; ad tempora Leicestriana: quibus cùm is factioni Leicestrianæ bono publico periculosæ improuido pietatis studio se misceret, honore exutus est.*

est. Nec ab eo tempore quisquam locum illum rursum obtinuit, siue quod perpetua potestas huiusmodi libertati grauis videatur, siue quod cõuenire Ordines suffragijs in vnum non poßint. Mihi saltem id ignotum. Præsidis verò vicem gerit is, qui ex omni numero senatorum, (sunt autem 12. suffragijs Ordinum in comitijs lecti) in dignitati senatoriâ tempore primus est, sine respectu generis aut honoris cuiusquam, iurisve alterius. Estq́; hoc in senatu legitimum, vt quò quis priùs aut posteriùs senatui sit adscriptus, eò priorem posterioremve locum initu, concessu, dicendâ sententiâ teneat. Tanta quippe senatoria hæc dignitas censetur, vt reliquos honorum gradus splendore suo quasi obliteret. Id verò in more etiam positum est, profectum ab instituto temporum Burgundicorum, vt qui Quæstor in comitijs creatur colligendis, & in vsum Reip. erogandis sensibus ijs, qui principis quondam fuêre, per quem stipendia soluuntur senatoribus his, & senatus ministris, cunctisq́; adeò, qui cum senatu cohærent, is, inquam, Quæstor, siue in senatorum numero iam antè sit, siue non sit, ius habeat ingrediundi in senatum quando vult, aut cùm negotia Quæsturæ id permittunt, poscuntve, ac omninò inter senatores censentur: quanquam idem nunc raro, cum ferendæ sententiæ sint, præsens in senatu adsit; sententiam autem ipse dicit nunquam, non in ciuilibus causis, non in criminalibus. Nec sanè vacare tantæ rei, aut animum istuc intendere potest. Quippè Quæsturæ muneri præfectura quoque agri

Biltani

Biltani cohæret, vt qui Quæstor designatur, simul Grietmannus etiam istius agri fiat. Eaq; præfectura VVestergoæ nunc accensetur, vt iam sint eius partis præfecturæ 9. quæ ante solebant esse tantum 8. vt supra est dictum. Istum locũ hoc tempore tenet nobilissimus & eruditissimus vir Ielgerus Feitzma *ex senatorum ordine. Cæteri senatores sunt hi:* Ernestus Harinxma, Rombert. Vlenborgh. D. Gellius Hillama, D. Suffridus Hannia. D. Lælius Lycklama, D. Petrus Runnia, D. Ioannes Saeckma, D. Ioannes Sandius, D. Adamus Eissinga, D. Francisc. Iongama, Oricus Doijema, *viri genere, virtute, doctrinâ eximij. Habet senatus, vt habere solet summum scribam cancellarij instar, actorum chartarumq; publicarum custodem, doctrinæ titulo insignem: & alterum prioris vices plerumq; gerentem, quem secretarium vulgus vocat, vtrumque ab ordinibus populi in comitijs designatũ.*

Procurator generalis.

Et hi operâ scribarum aliorum, quorum certus numerus est, & quasi collegium constituunt, vtuntur. Et quia Reip. quàm maximè interest insontes criminum reos animaduerti, est in prouinciâ hac Procurator generalis, iam olim sub principibus institutus, cuius perampla quoq; est dignitas, & magna cum senatu prouinciali coniunctio. Nam sæpè in rebus grauibus à senatu vocatur in curiam, & in consilium adhibetur, nec vnquam nisi è prudentissimis ac doctrinâ præstantissimis eligitur in populi comitijs. Eius partes præcipuè sunt, criminum reos accusare quàm acerrimè apud senatum, dare operam, ne quis impunè

Hoc munum nunc obit.

in legis peccet, aut ius publicum violet, maiestatemve populi lædat, denique ea omnia curare, quæ alibi aduocati Fisci curæ sunt commissa. Munus simillimum cum eo, quod trium viri aduocati Reipub. gerunt venetijs, quos legum tribunos vocat Caspar Contarenus, & laudem ex eo referre affirmat, si accusatores sontium se præstent acerrimos. Ne verò reis defendendi sui copia desit, institutum est, vt ex aduocatorum omnium turbâ; qui plurimi istic sunt causarum omnis generis patroni, & procuratores doctrinæ titulo insigniti, 8. vt quique in albo curiæ huic ordini ante alios adscripti sunt, stipendia à Reipub. capiant singuli daleros 25. liceatq; cuilibet criminis reo ex his eligere vnum, cui patrocinium suum cum fide sustinendum commendet: nec fas sit, electum id ipsum ei denegare etiã facinorosißimo & egentißimo. Et si reus locuples, aut fortunæ lautioris sit, permittitur ei vt binos aut ternos ex eorundem numero edat, à quib. defendi velit sed operæ prætio promisso. Vtrumq; præclarum, ne & legibus & reis patroni desint, ne legum maiestas in contemptum abeat, nec tamen queri iure quisq; queat, sine legitimâ defensione quenquã damnari, damnatumve esse. Sed habet quoq; & carceris publici potestatem idem Procurator generalis, & paratum ad obsequia cõmentariensem: qui pro vt iste iubet, in captiuos aictiùs laxiusve in vinculis habet, ijsq; aut compedes inijcit aut demit. Eiusdemq; mandatis paret accensus manui lictorum præfectus, quæ exequẽdis senatus decretis in criminũ grauiorũ reos semper velut in procinctu est, quẽ accẽsum vulgo substi-

THEODORVS LIVIVS SCHELTINGA D.

substitutum vocant. Is aut à senatu, aut à solo Procuratore iussus ex quouis vniuersæ regionis loco per lictores istos criminum maiorum reos abripit in carcerem, qui Leouerdiæ est, commentariensique tradit. Nec omninò licet Grietmannis aut oppidanis Magistratib. refragari, siue reos ipsi in vinculis iam habeāt, siue non habeant: coguntur q; ex lege, si fortè rei fugā euaserint, eorū nomina cum designatione patrati criminis & testimonijs istuc pertinentib. ad Procuratorem generalem mittere. Quæ ille accepta in album sontium refert, monumentum durantis reatus. Summa rerum totius prouinciæ hodiè est penes delectos trium Ordinum in comitijs congregatos, in quibus populum vniuersum ij repræsentant, eiusq; potestatem gerunt. Tres Ordines dico, nobilitatem, plebeios in agro prædiorum rusticorum suorum dominos, oppidanos. Functio delectorum & potestas annua tantum est, nisi quibus eadem suffragijs suorum prorogatur. Designantur quotannis hic 9. viri deputati, qui collegium conficiunt, aut natalem Christi senescente mense Decembri, velut soluto ad tempus collegio, in diuersa ferò discedunt. Quod priusquàm faciant, per literas denunciant omnibus præfecturis per totum agrum, & omnibus ciuitatibus, vt in tempore delectos designent, qui comitia obeant, & potestatem istam gerant in annum proximum. Præfecti in agro literis acceptis mox à Nonis Ianuarij vicatim huius rei causâ conuentus indicunt: conueniuntq; separatim singulæ præfecturarum paræciæ, conuentuumq; illorum participes sunt nobiles, ignobiles, fundos suos

De Comitiis & Deputatis.

poßidentes

poßidentes & colentes, aut exercentes colentesq́ alienos pecuniâ conductos, Ecclesiarum quoq́ ministri: tantùm plebs infima & mercenaria, & opificum turba excluditur. Ita in singulis paracijs paracorum suffragijs ex ipsorummet numero eliguntur duo, & ferè ij, quos vult præfectus, cuius gratia potens est. Atq́ hi electi postridiè, aut tempore præfixo, omnes ex omnibus paracijs in vicum totius præfecturæ præcipuum, in quo præfectus ex more prisco ius litigantibus dicit, coëunt, & præsidi præfecto ex omni numero eorum, qui in eâ præfecturâ prædiorum domini sunt, per suffragia duos designant ad comitia ituros, quos Vulmachtos *voce patriâ, id est,* πληροδυνάμους *appellant: appellant verò sic, quia singulæ præfecturæ, & singulæ ciuitates (nam ciuitatum hic par est ratio) plenam potestatem faciunt ijs, & ius in eos conferunt agendi statudendiq́ in comitijs, quæ communiter illic agi ac statui solent. Hos Duum viros delectos voco. Et rarò accidit, vt non ex his alter sit ipse præfectus Grietmannus suffragiorum moderator, atq́ arbiter, alter etiam gratiæ ipsius obnoxius, ac à nutu eius penè pendens, nisi qui regnum in Rep. totâ tenet, ambitus ambitum retundat ac iugulet. Atqui lex iubet, ne quisquam Vulmachtus eligatur, nisi qui reformatæ religionis in Ecclesijs hic publicè receptæ socium, ac simul Hispanicæ factionis hostem se profiteatur, quiq́ in munere non sit, ob quod stipendium capiat à Rep. vniuersâ. Eademq́ lex apud oppidanos quoq́ valet: apud quos compendiosior est electionis*

huius ratio Nam senatus in quolibet oppido eodem illo tempore ex se edit vnũ, & collegium iuratũ tribunitia potestate præditum adijcit alterum, in quos eadẽ illa potestas cum eodem nomine à tota ciuitate confertur. Et sic quidem regulariter ac vt plurimum. Quâ rationẽ viri 80. 58. nimirum ex agrarijs, 22 ex oppidanis, comitia conficiunt, totiusq; Reip. ius in manibus suis habent. Verùm fit nonnunquam, vt ciuitas aut præfectura vna pluresve delectos designent tres aut quatuor, aut etiam vnum tantùm, interdum quoq; ciuitas aliqua ex minorum numero, vt sumptibus parcat, delectis alterius ciuitatis maioris, aut cuius omninò vult, mandata potestetatemq; agendi dat pro sese: atque ita numerus ille augetur, minuiturve. Quod cùm fit; hoc tamen tenetur perpetuò & sine variatione, vt suffragiorum rationi propterea ne hilum quidem accedat, decedatve. Nam vt vnius ciuitatis in Ordine suo, ita vnius præfecturæ in classe suâ vnum est suffragium, siue à duobus id feratur delectis, siue à pluribus, siue ac vno. Sed vt facilior ratio sit, confusioq; vitetur, hoc tenetur vt plurimùm, quod ante dixi. Comitia etsi lege certam cedem non habeant, tamen ob loci commoditatem rarò alibi quàm Leonardiæ etiam nunc, vti olim sub principibus & ante Principes, aguntur. Aguntur autem quoties res aliqua postulat: sed anniuersaria ac stata quotãnis semel mense Frebruario aut Martio, & ea plerunq; ob negotiorum multitudinem diuturniora. Nam in ijs Ordinum Dpeutari 9. viri, quos collegiũ propriè vocant,

quo-

quotannis eliguntur eo modo quo ante est expositum; item 4. viri rationum censores, quos ἐξετάζοντες aut ærarij tribunos dixeris; eos qui in collegio Ordinum generalium sedent Hagæ, quiq; in Ordinum eorundem senatu, & in rationum camera, quæ Hagæ est omnibus prouincijs socijs communis, & in collegijs rerum maritimarum. In his vt plurimùm, si quis locus vacet in summâ curiâ, aut senatu prouinciali, si quis, qui collegio 9. virum, aut senatui eidem prouinciali, aut 4. viris rationum censoribus aut præfectis rerum maritimarum à secretis fuit, decesserit, si quæstore nouo fuerit opus, surrogantur, qui in munus locumq; succedunt. In ijsdem de tributis, vectigalibus, portorijs si quid nouandum, augendum, minuendum, mutandum, plerumq; disceptatur ac decernitur: libelli supplices eorum, qui aliquid à prouinciâ petunt, cuiusmodi sunt penè infinita, examinantur, precesq; vel admittuntur, vel reijciuntur. Taceo alia plurima. Et hæc pleraq; aguntur summâ contentione, maximè ea quæ ad honores & fructuosa munera mandanda pertinent, in quibus ambitus supra quàm credi potest, dominatur, & varios ludos facit, varijsq; artibus res implicat & turbat. Comitia coeunt vocante Gubernatore, & collegio 9. virum. Gubernator si adsit, aut solo collegio, si idem ille absit: penes hos enim id ius est, nec penes vllos alios: quæ si extraordinaria sunt, vt hodiè vsus habet, vocantes in literis, per quas comitia indicunt, præcipua rerum agenda-

rum capita edunt, vt Vulmachti eo rectiùs potestate & mandatis instrui necessarijs possint: quod ipsum ante aliquod annos in ordinarijs ac statis quoq; fieri cõsueuit; nunc non fit. Vbi coiêre, delectis Ordinum in amplißimo conuocatis, & simul ex omni populo admistis iuris honestis cuiusuis ordinis, quibus audiendi studium est, præmißisq; ad Deum precibus praeunte verbis Ecclesiaste, nunc nomine Gubernatoris Collegijq;, quæ agenda sunt proponuntur, additurq; vt plurimùm oratio breuis, quâ grauiter ferè monentur omnes, ad quos id pertinet, vt postpositis affectibus comparent animos suos ad bene consulendum Reipub. Tum is, qui collegio 9. virûm à secretis est, inchoans ab Ostergois secundùm præfecturarum Ordinem vocat delectos πληρεξουσίους, *& à singulis mandati potestatisq; literas poscit: quas vbi ab ijs accepit, oppidanos accersit, easdemq; ab his quoq; exigit: atq; has literas omnes statim in collegium infert. Ibi præsente Gubernatore si is in vrbe sit, aut absque eo si vrbe absit, seriò inquiritur in literas pariter, & ipsos delectos. Et si qui horum deprehenduntur aut minùs legitimè designati esse, aut non esse tales, quales lex requirit, reijciuntur ilicò, iubenturq; illi, qui eos designarunt, sine morâ designare alios, & ad comitia mittere, aut si facere id negligent, pro ratis admittere, quæ delecti cæteri sint decreturi. His expeditis, ea quæ viuâ voce paulò ante in conuentu omnium proposita fuêre, vt certiùs agi posit, quaternis exemplis descripta delectis traduntur. Simul ipsi quadri-*

partitò

partitò diuisi in quatuor conclauia secedunt deliberandi causâ Ostergoi, VVestergoi, Syluestres, oppidani: designantq; hi ex ordine suo tres, cæteri binos, in collegio 9. virûm per annum sessuros. Eodemq; modo agunt in edendis ijs, qui tum in collegio 4. virûm examinandis rationibus tùm in altero virorum totidem regundis rebus maritimis, quod Doccumi est: sunt futuri, eduntq; hic singula conclauia singulos. Quod si mutandum nihil videatur vtroq; aut alterutro in collegio, prorogantijs, qui tempus explerunt, munus idem, aut mutatis quibusdam alios in munere relinquunt. At in cæteris designandis qui in numero 9. virorum, & 4. virorum non sunt, alia tenetur ratio. Nam plurium competitorum nominibus propositis in singulis primùm conclauibus certatur suffragijs: deinde conclauibus singulis ad consensionem qualemcunque redactis, si diuersa conclauia varient inter se, tantisper contenditur conclauibus iunctis donec censensus ineatur. Nec aliter fit, cùm de tributis, de legibus, de alijs Reip. partibus, de pace, de bello, de belli rationibus agitur, Habeturq; his id ratum non quod plurium delectorum suffragijs, si delectos numero censeas, sed quod consensu plurium conclauium probatur. Cuiuslibet verò conclauis hæc sententia esse censetur, in quam plures in eo delecti pluresve præfectura, aut ciuitates descendunt. Nam vt in vniuersorum delectorum conuentu & actione, cùm conclauia iuncta sunt, tot tantùm suffragia numerãtur, quot sunt conclauia, eaq; iure & potestate inter se

 paria,

paria, ita in conclauibus separatis ex numero ciuitatum aut præfecturarum suffragiorum numerus æstimatur. Sic fit, vt in oppidanorum conclaui ex numero oppidorum 11. in Ostergoorum ex præfecturarũ 12. in VVestergoorum verò 9. in Syluestrium 10. vt hodiè res habent, totidem omninò suffragia censeantur. Itaq; quo 11. pluresve præfecturæ Syluestres 5. verò VVestergoæ 7. Ostergoæ suffragijs suis eunt, id singulorũ istorũ conclauiũ sententia habetur, non secus ac si omnes præfecturæ idẽ sentiant. Idẽ in ciuitatib. valet. Pauciorum enim alia sententium ratio non habetur. Totaq; hac in re hoc mos habet, vt quanquam præfecturæ præfecturis, quæ eiusdem conclauis sunt, & ciuitates ciuitatibus multum præstent, opibusq; & hominum frequentiá procul anteeant, tamen in conclauibus suffragia suffragijs censeantur æqualia. Quod & de totorum conclauium suffragijs inter se cõparatis paulò ante dixi. Nec enim quia Leouardia rerum hominumq; copiâ tantum potest, quantũ duæ aut tres ciuitates minores, ideò tantundem suffragijs iure eas superat. Et quia Syluestres multò inferiores opibus & viribus sunt VVestergois, & præfecturarũ numero ea felicitate Ostergois concedunt, non idcircò suffragij potestate simili modo ij cedunt. Sed vtrobiq; suffragiũ suffragio pensatur. Verùm cùm disputatur de re, cùm sententia dicitur, tum maiorum autoritas vt plurimùm minores in sententiam suam pertrahit, atq; ita efficit, vt in ferendis suffragijs antecedentes illos hi quoq; penè sequãtur. Nã & æquitatis ratio huc ducit,

ducit, & hominum natura sic habet, vt quos maioribus in rebus esse vident, hos sapientiores quoq; esse, ac eorum consilia sequenda arbitrentur. Si consentiant inter se conclauia duo, & tertij pars media eodem inclinet, eorum sententia pro victrice habetur. Si duo duobus contradicant, nec se moueri proposito sinant (in quo multum potest, nec parum plerumq; efficit Gubernator, si præsens sit) suspenditur res, & infecta censetur, eadéq; aut re sumitur iteraturq; in comitijs ijsdem, aut reijcitur in tempus aliud. At si quando euenit, vt conclauia tria conspirare videantur in re aliquâ, quam in detrimentum Ordinis sui comparatã esse conclaue quartum arbitratur, non teneri se aut suos istorum illo consensu conclaue hoc existimat, nec premi se suosq; huiusmodi suffragijs patitur. Exemplo sunt oppidani, qui licet consensione trium conclauiũ aliorum vrgeantur sæpè de tributis rerum promercalium apud se, tamen vltra eum modum, in quem cõsensêre ipsi, grauari se haud quaquam permittunt. Periniquum enim censetur, non accedente assensu suo irrogari sibi onus ab alijs, qui oneris eius manent expertes. Nec id prætereundum hoc loco, fieri nonnunquam vt, cùm qui vrgetur rei grauioris, cui assentiri conclaue aliquod non audeat, aut non velit, id ipsum defectum mandati prætexat, & permitti sibi tempus & copiam petat referendi rem ad suos, atque ita id quod odit aut versatur, declinet ad tempus, interdum etiam aliorum impetum eludat. Nec silentio transmittendum, Quæ-

ſtorem generalem, & Quatuor viros rationum magiſtros, quanquam ſtipendijs prouinciæ autorati ſint, tamen comitijs omnibus intereſſe. & ſententias dicere conſilij causâ haud aliter ac ſi Vulmachti eſſent: nonnunquam etiam Quatuorviros rebus maritimis præfectos in collegio Doccumiano, ſi ſic 9. viris regunda Reip. videatur, à quorum id arbitrio ferè pendet.

NOTA. *Hæc comitiorum ratio eſt: in quâ ſi minùs ambitus valeret, minusq́ poſſent ij, quos comitiorum cenſuram metuere oportebat, meliùs forſan Reſpub. haberet. Ambitus familiare malum liberis populis, ac inprimis pertinax, quod faciliùs improbes & corripias, quàm corrigas aut profliges. Exemplo eſt populus Romanus, virtute, ſapientiâ, rebus geſtis, ciuitate benè conſtitutâ inclytus: in quo tot legibus caſtigatum hoc crimen, & pœnis correptum tamen reprimi, atq; in ordinem redigi non potuit, ſed vt peſtilens lues contemptis remedijs magis ac magis inualuit, legesq́ perrupit. Cui vbi locus eſt, ibi peſſum ire bonum publicum neceſſe eſt. Nam honores & munera inidoneis ſæpiùs & indignis, quàm idoneis dignisq́ tribuuntur: ita non ſolùm virtuti debita præmia in virtute vacuos, imò in vitiorum ſeruos ſæpè conferuntur, ſed etiam Reſp. commiſſa hominibus huiuſmodi, ingens nonnunquam naufragium facit. At iſta peſtis non ſolùm inoleuit hic, ſed regnum etiam tenet, atq; adeò tam ſubtiliter, tam multiplici viâ ac modo graſſatur, vt Romanas artes huius generis ſuperare fatearis: quinimò moribus iam ita recepta eſt, vt crimine*

mine vacare vulgò credatur. Iam verò hoc quale est, quòd ij magistratus, quos omnium maximè ὑπευθύνους esse recta ratio iubet, nō solùm ἀνεύθυνοι relinquatur, sed etiam præcipui εὐθυνταὶ fiant? An non tale, vt nihil magis cum naturâ atq; integritate libertatis popularis pugnare posse videatur? Sed desino plura de his. Plurimorum virorum virtus facit, qui iam in scenâ Reip. sunt, & patriam ac libertatem amant, vt huiusmodi Reip. vitia Reip. exitio non sint. Nunc de oppida huius prouinciæ, & eorum eorū politiam stilum verto. Oppidanus ordo quod ius in comitijs, & in collegio deputatorum 9. virûm post diuortium cum Hispaniarum rege factum teneat, iam ante à nobis est expositū. Nunc cætera eius exequemur. Saxoniæ Princeps rerū Frisiæ potius αὐτονομίαν reliquam ciuitatib. omnibus reliquit. Id tantum libertati earum decerpsit, quod iußit ipsas è ciuibus suis, quos muneri gerendo pares esse putarent, tot edere quotannis ad Calend. Ian. quot singulæ in senatu suo habebant, eosq; cum his, qui annum iam explessent, iunctos, sibi si adesset, aut se absente Proprincipi, & senatui supremo proponere, vt vel ipse, vel hi ea omni illo munere deligerent, qui anno proximo in senatu essent, & ciuitatem regerent. Addidit & hoc, vt quæ ciuitates ad id vsq; tempus Oldermannum nescissent, eum quoq; imposterum, vt aliæ admitterent ab ipso Principe nominandum, & quidem perpetuum velut senatus Præsidem, aut Ephorum. Et hæc ad Burgundos transmissa durarunt ad instauratam popula-

hamum significat, vocitati, nunc ab aliquod retrò sæculis maximâ sui parte cum ipsis fanis oppido additi, ac manibus eius prolatis inclusi, nomenclaturâ priscâ cum parœciarum iure seruatâ. Nec secus Meridiem versùs multa oppido crescenti sensim adiecta: vt iam nō minusquàm passuum 1600. ambitio eius intra fossas habeat, complectens spatium frequenti domorum splendidarum & continuarum seriè secundùm varios vicos obsitum & oppletum, cum sacris publicisq; ædibus egregijs compluribus. Habet ciuitas diploma signatum 4. Eid. Iulij anno æræ Christianæ 1432. Bolsuerdiæ, vbi tum ordines Ostergoæ & VVestergoæ comitia agebant, quo duæ istæ iam dictæ parœciæ Oldehoua *&* Hoca *totæ ciuitati sunt adscriptæ, ac senatus eius iurisdictione subiectæ non solùm, quà intra mœnia, sed etiam quâ extra, earum ædificia solumq; sita erant, idq; (vt ait diploma) omnium prouinciæ Ordinum bono: iußiq; omnes, qui in iudicatu erant, omnesq; ciuitates decreto isti sine contradictione parêre. Atq; huius decreti argumentum postremis annis à Saxoniæ Principe, & anno æræ Christianæ 1516. à Carolo Hispaniarum & Burgundiæ Principe rursus est confirmatum. Antiquitus familiæ nobiles complures valido opera contra repentinam vim structas domos in oppido habuêre, Cammingani, Vniæi, Camstræi, Minnemij, Martenij, Burmanij: sed antiquißimi ex his, & potentißimi Cammingani, quorum in sola magna oppidi pars ad Orientem æstiuum extructa est, quiq; haud procul oppidi*

di mœnibus insignem arcem tenuêre cum proximo ac pene contiguo viculo familiæ suæ, nomen ferentem. Et hæ familiæ luxuriante & diffluente libertate, ac discordiâ cuncta turbante, cùm quisque tantum sibi licere putaret, quantum posset, in possessionem aliquam iuris & potestatis publicæ se collocarunt, vt sine earum consensu vix quicquam senatus maioribus in negocijs auderet: interdum etiam senatui præsedêre. Ciuitas alioqui iam indè ab anno 1432. sanctione omnium Ordinum istius prouinciæ merum & mixtum imperium in suos habuit, nec ab eâ nisi ex pactis prouocatio fuit. Sæuientibus factionum exitialium furijs anno 1481. postridie Simonis & Iudæ, cùm fortè maior ciuium pars belli causâ domo abesset, à Sciringijs inimicis occasioni intentis capta est subito impetu, & hostilia perpessa, sed eodem die virtute ciuium, qui domi manserant, ab hoste liberata. Et quia vixdùm expulso hoste etiam ij, qui vrbe exierant, re benè gestâ, demum triumphabundi, sunt reuersi, dies is ad perennandam rei memoriam sacræ festiuitati quotannis agendæ dicatus fuit. Occisus eo tempore à Sciringijs est ciuitatis Oldermannus Petrus Aucama, iuris peritiâ ac virtute æq; clarus. Altero ab hoc anno die 13. Iun. ingens ciuitati damnum irrogatum est ab igne fortuito, qui primùm è figuli officinâ exortus non minus quàm 200. domos, si annalibus creditur, absumsit. Inhæsit vt plurimùm Leowerdia Vetroperorum partibus: & anno 1492. arctius fœdus cum Groninganis earundem partium

huius ratio Nam senatus in quolibet oppido eodem illo tempore ex se edit vnū, & collegium iuratū tribunitia potestate præditum adijcit alterum, in quos eadē illa potestas cum eodem nomine à tota ciuitate confertur. Et sic quidem regulariter ac vt plurimum. Quâ rationē viri 80. 58. nimirum ex agrarijs, 22 ex oppidanis, comitia conficiunt, totiusq; Reip. ius in manibus suis habent. Verùm fit nonnunquam, vt ciuitas aut præfectura vna pluresve delectos designent tres aut quatuor, aut etiam vnum tantùm, interdum quoq; ciuitas aliqua ex minorum numero, vt sumptibus parcat, delectis alterius ciuitatis maioris, aut cuius omninò vult, mandata potestetatemq; agendi dat pro sese: atque ita numerus ille augetur, minuiturve. Quod cùm fit; hoc tamen tenetur perpetuò & sine variatione, vt suffragiorum rationi propterea ne hilum quidem accedat, decedatve. Nam vt vnius ciuitatis in Ordine suo, ita vnius præfecturæ in classe suâ vnum est suffragium, siue à duobus id feratur delectis, siue à pluribus, siue ac vno. Sed vt facilior ratio sit, confusioq; vitetur, hoc tenetur vt plurimùm, quod ante dixi. Comitia etsi lege certam cedem non habeant, tamen ob loci commoditatem rarò alibi quàm Leouardiæ etiam nunc, vti olim sub principibus & ante Principes, aguntur. Aguntur autem quoties res aliqua postulat: sed anniuersaria ac stata quotānis semel mense Frebruario aut Martio, & ea plerunq; ob negotiorum multitudinem diuturniora. Nam in ijs Ordinum Dpeutari 9. viri, quos collegiū propriè vocant,

quo-

quotannis eliguntur eo modo quo ante est expositum; item 4. viri rationum censores, quos ἐξετάζοντες aut ærarij tribunos dixeris; eos qui in collegio Ordinum generalium sedent Hagæ, quiq́; in Ordinum eorundem senatu, & in rationum camera, quæ Hagæ est omnibus prouincijs socijs communis, & in collegijs rerum maritimarum In his vt plurimùm, si quis locus vacet in summâ curiâ, aut senatu prouinciali, si quis, qui collegio 9. virum, aut senatui eidem prouinciali, aut 4. viris rationum censoribus aut præfectis rerum maritimarum à secretis fuit, decesserit, si quæstore nouo fuerit opus, surrogantur, qui in munus locumq́; succedunt. In ijsdem de tributis, vectigalibus, portorijs si quid nouandum, augendum, minuendum, mutandum, plerumq; disceptatur ac decernitur: libelli supplices eorum, qui aliquid à prouinciâ petunt, cuiusmodi sunt penè infinita, examinantur, precesq́; vel admittuntur, vel reijciuntur. Taceo alia plurima. Et hæc pleraq́; aguntur summâ contentione, maximè ea quæ ad honores & fructuosa munera mandanda pertinent, in quibus ambitus supra quàm credi potest, dominatur, & varios ludos facit, varijsq́; artibus res implicat & turbat. Comitia coeunt vocante Gubernatore, & collegio 9. virum. Gubernator si adsit, aut solo collegio, si idem ille absit: penes hos enim id ius est, nec penes vllos alios: quæ si extraordinaria sunt, vt hodiè vsus habet, vocantes in literis, per quas comitia indicunt, præcipua rerum agenda-

 rum

rum capita edunt, vt Vulmachti eo rectiùs potestate & mandatis instrui necessarijs possint: quod ipsum ante aliquod annos in ordinarijs ac statis quoque fieri cōsueuit; nunc non fit. Vbi coiêre, delectis Ordinum in amplissimo conuocatis, & simul ex omni populo admistis iuris honestis cuiusuis ordinis, quibus audiendi studium est, præmissisque ad Deum precibus præeunte verbis Ecclesiaste, nunc nomine Gubernatoris Collegijque, quæ agenda sunt proponuntur, additurque vt plurimùm oratio breuis, quâ grauiter ferè monentur omnes, ad quos id pertinet, vt postpositis affectibus comparent animos suos ad bene consulendum Reipub. Tum is, qui collegio 9. virûm à secretis est, inchoans ab Ostergois secundùm præfecturarum Ordinem vocat delectos πληρεξουσίους, & à singulis mandati potestatisque literas poscit: quas vbi ab ijs accepit, oppidanos accersit, easdemque ab his quoque exigit: atque has literas omnes statim in collegium infert. Ibi præsente Gubernatore si is in vrbe sit, aut absque eo si vrbe absit, seriò inquiritur in literas pariter, & ipsos delectos. Et si qui horum deprehenduntur aut minùs legitimè designati esse, aut non esse tales, quales lex requirit, reijciuntur ilicò, iubenturque illi, qui eos designarunt, sine morâ designare alios, & ad comitia mittere, aut si facere id negligent, pro ratis admittere, quæ delecti cæteri sint decreturi. His expeditis, ea quæ viuâ voce paulò ante in conuentu omnium proposita fuêre, vt certiùs agi possit, quaternis exemplis descripta delectis traduntur. Simul ipsi quadripartitò

partitò diuisi in quatuor conclauia secedunt deliberandi causâ Ostergoi, VVestergoi, Syluestres, oppidani: designantq; hi ex ordine suo tres, cæteri binos, in collegio 9. virûm per annum sessuros. Eodemq; modo agunt in edendis ijs, qui tum in collegio 4. virûm examinandis rationibus tùm in altero virorum totidem regundis rebus maritimis, quod Doccumi est: sunt futuri, eduntq; hic singula conclauia singulos. Quod si mutandum nihil videatur vtroq; aut alterutro in collegio, prorogantijs, qui tempus explerunt, munus idem, aut mutatis quibusdam alios in munere relinquunt. At in cæteris designandis qui in numero 9. virorum, & 4. virorum non sunt, alia tenetur ratio. Nam plurium competitorum nominibus propositis in singulis primùm conclauibus certatur suffragijs: deinde conclauibus singulis ad consensionem qualemcunque redactis, si diuersa conclauia varient inter se, tantisper contenditur conclauibus iunctis donec censensus ineatur. Nec aliter fit, cùm de tributis, de legibus, de alijs Reip. partibus, de pace, de bello, de belli rationibus agitur, Habeturq; his id ratum non quod plurium delectorum suffragijs, si delectos numero censeas, sed quod consensu plurium conclauium probatur. Cuiuslibet verò conclauis hæc sententia esse censetur, in quam plures in eo delecti pluresve præfectura, aut ciuitates descendunt. Nam vt in vniuersorum delectorum conuentu & actione, cum conclauia iuncta sunt, tot tantùm suffragia numerãtur, quot sunt conclauia, eaq; iure & potestate inter se

paria, ita in conclauibus separatis ex numero ciuitatum aut præfecturarum suffragiorum numerus æstimatur. Sic fit, vt in oppidanorum conclaui ex numero oppidorum 11. in Ostergoorum ex præfecturarũ 12. in VVestergoorum verò 9. in Syluestrium 10. vt hodiè res habent, totidem omninò suffragia censeantur. Itaq; quo 11. pluresve præfecturæ Syluestres 5. verò VVestergoæ 7. Ostergoæ suffragijs suis eunt, id singulorũ istorũ conclauiũ sententia habetur, non secus ac si omnes præfecturæ idẽ sentiant. Idẽ in ciuitatib. valet. Pauciorum enim alia sententium ratio non habetur. Totaq; hac in re hoc mos habet, vt quanquam præfecturæ præfecturis, quæ eiusdem conclauis sunt, & ciuitates ciuitatibus multum præstent, opibusq; & hominum frequentiâ procul anteeant, tamen in conclauibus suffragia suffragijs censeantur æqualia. Quod & de totorum conclauium suffragijs inter se cõparatis paulò ante dixi. Nec enim quia Leouardia rerum hominumq; copiâ tantum potest, quantũ duæ aut tres ciuitates minores, ideò tantundem suffragijs iure eas superat. Et quia Syluestres multò inferiores opibus & viribus sunt VVestergois, & præfecturarũ numero ea felicitate Ostergois concedunt, non idcircò suffragij potestate simili modo ij cedunt. Sed vtrobiq; suffragiũ suffragio pensatur. Verùm cùm disputatur de re, cùm sententia dicitur, tum maiorum autoritas vt plurimùm minores in sententiam suam pertrahit, atq; ita efficit, vt in ferendis suffragijs antecedentes illos hi quoq; penè sequãtur. Nã & æquitatis ratio huc ducit.

ducit, & hominum natura sic habet, vt quos maioribus in rebus esse vident, hos sapientiores quoq; esse, ac eorum consilia sequenda arbitrentur. Si consentiant inter se conclauia duo, & tertij pars media eodem inclinet, eorum sententia pro victrice habetur. Si duo duobus contradicant, nec se moueri proposito sinant (in quo multum potest, nec parum plerumq; efficit Gubernator, si præsens sit) suspenditur res, & infecta censetur, eadéq; aut resumitur iteraturq; in comitijs ijsdem, aut reijcitur in tempus aliud. At si quando euenit, vt conclauia tria conspirare videantur in re aliquâ, quam in detrimentum Ordinis sui comparatā esse conclaue quartum arbitratur, non teneri se aut suos istorum illo consensu conclaue hoc existimat, nec premi se suosq; huiusmodi suffragijs patitur. Exemplo sunt oppidani, qui licet consensione trium conclauiū aliorum vrgeantur sæpè de tributis rerum promercalium apud se, tamen vltra eum modum, in quem cōsensêre ipsi, grauari se haud quaquam permittunt. Periniquum enim censetur, non accedente assensu suo irrogari sibi onus ab alijs, qui oneris eius manent expertes. Nec id prætereundum hoc loco, fieri nonnunquam vt, cùm qui vrgetur rei grauioris, cui assentiri conclaue aliquod non audeat, aut non velit, id ipsum defectum mandati prætexat, & permittit sibi tempus & copiam petat referendi rem ad suos, atque ita id quod odit aut versatur, declinet ad tempus, interdum etiam aliorum impetum eludat. Nec silentio transmittendum, Quæ-

ſtorem generalem, & Quatuor viros rationum magiſtros, quanquam ſtipendijs prouinciæ autorati ſint, tamen comitijs omnibus intereſſe. & ſententias dicere conſilij causâ haud aliter ac ſi Vulmachti eſſent: nonnunquam etiam Quatuorviros rebus maritimis præfectos in collegio Doccumano, ſi ſic 9. viris regunda Reip. videatur, à quorum id arbitrio ferè pendet.

NOTA.

" *Hæc comitiorum ratio eſt: in quâ ſi minùs ambitus*
" *valeret, minusq́ue poſſent ij, quos comitiorum cenſuram*
" *metuere oportebat, meliùs forſan Reſpub. haberet.*
" *Ambitus familiare malum liberis populis, ac inprimis*
" *pertinax, quod faciliùs improbes & corripias, quàm*
" *corrigas aut profliges. Exemplo eſt populus Roma-*
" *nus, virtute, ſapientiâ, rebus geſtis, ciuitate benè*
" *conſtitutâ inclytus: in quo tot legibus caſtigatum*
" *hoc crimen, & pœnis correptum tamen reprimi, atque*
" *in ordinem redigi non potuit, ſed vt peſtilens lues*
" *contemptis remedijs magis ac magis inualuit, legesq́ue*
" *perrupit. Cui vbi locus eſt, ibi peſſum ire bonum pub-*
" *licum neceſſe eſt. Nam honores & munera inido-*
" *neis ſæpiùs & indignis, quàm idoneis dignisq́ue tribu-*
" *untur: ita non ſolùm virtuti debita præmia in virtu-*
" *te vacuos, imò in vitiorum ſeruos ſæpè conferuntur,*
" *ſed etiam Reſp. commiſſa hominibus huiuſmodi, in-*
" *gens nonnunquam naufragium facit. At iſta peſtis*
" *non ſolùm inoleuit hic, ſed regnum etiam tenet, atque*
" *adeò tam ſubtiliter, tam multiplici viâ ac modo*
" *graſſatur, vt Romanas artes huius generis ſuperare*
" *fatearis: quinimò moribus iam ita recepta eſt, vt cri-*

mine

mine vacare vulgò credatur. Iam verò hoc quale est, ,, quòd ij magistratus, quos omnium maximè ὑπευθύνους esse recta ratio iubet, nō solùm ἀνεύθυνοι relin- ,, quatur, sed etiam præcipui εὐθυνταὶ fiant? An non ,, tale, vt nihil magis cum naturâ atq; integritate libertatis popularis pugnare posse videatur? Sed desino plura de his. Plurimorum virorum virtus facit, qui iam in scenâ Reip. sunt, & patriam ac libertatem amant, vt huiusmodi Reip. vitia Reip. exitio non sint. Nunc de oppida huius prouinciæ, & eorum eorū politiam stilum verto. Oppidanus ordo quod ius in comitijs, & in collegio deputatorum 9. virûm post diuortium cum Hispaniarum rege factum teneat, iam ante à nobis est expositū. Nunc cætera eius exequemur. Saxoniæ Princeps rerū Frisiæ potius ἀυτονομίαν reliquam ciuitatib. omnibus reliquit. Id tantum libertati earum decerpsit, quod iussit ipsas è ciuibus suis, quos muneri gerendo pares esse putarent, tot edere quotannis ad Calend. Ian. quot singulæ in senatu suo habebant, eosq; cum his, qui annum iam explessent, iunctos, sibi si adesset, aut se absente Proprincipi, & senatui supremo proponere, vt vel ipse, vel hi ea omni illo munere deligerent, qui anno proximo in senatu essent, & ciuitatem regerent. Addidit & hoc, vt quæ ciuitates ad id vsq; tempus Oldermannum nescissent, eum quoq; imposterum, vt aliæ admitterent ab ipso Principe nominandum, & quidem perpetuum velut senatus Præsidem, aut Ephorum. Et hæc ad Burgundos transmissa durarunt ad instauratam popula-

rem libertatem : à quo tempore sine Oldermannis ciuitates fuêre. Reliquum ius principis in constituendo senatu, præterquam apud Leoƀverdios & Franequeranos, quibus aliquid præcipui postea concessum; penes Gubernatorem. & summam curiam, vt ostendimus mansit In concilijs iuratis à principibus quod sciam, nihil mutatum. Hæc generatim restat de singulis ciuitatibus separatim vt agamus.

LEOWERDIA.

LEOVVERDIA *ciuitatum in hac Frisiæ parte, maxima, ditißima, splendidißima, frequentißima est sine controuersiâ. Sed vetustate nonnullis cedit. Putatur ciuitatis nomen & formam induisse anno æræ Christianæ 1190. verùm perangusto mœnium ambitu, eo loco vbi hodiè parœcia* Niehove. *est cum fano, cui patrio sermone* Niehouii / *id est, noui horti, aut aulæ nomen est, medio ciuitatis, vti ea iam habet, spatio ab Occasu in Ortum secundùm Boreum eius latus porrecto. Situm primùm id oppidum fuit in solo nonnihil supra reliquam planiciem longè lateq; porrectum se attollente ad Brachium maris tum temporis terris se insinuans, & Ostergoam à VVestergoâ derimens, de quo & prius hoc in libro de Decade primo libro nono Historiæ scripsi, cuiusmodi loca editiora maiores nostri linguâ populari* Weerde *solent appellare. Vnde oppido nomen volunt datum : vti accidit multis in omni Frisiâ vicis. Sic enim in Frisia Orientali* Langu-

uerd/

uerd / Equuerd / Visquuerd / Lequuerd / *sic inter Amasum & Lauicam*, Holuuerd / Jucquuerd / Greuuerd / Stitzuuerd / Silouuerd / Feruuerd / Adouuerd / Dorquuerd / *sic inter Lauicam & Fleuum cursum* Feruuerd / Fosuuerd / Tiarcuuerd / Hoeluuerd / Languuerd / *ex simili loco nuncupata sunt. Iuxta verò locum eum aiunt riuulum in maris brachium exisse, cui* Leæ *nomen fuerit : Hinc composito vocabulo* Leovverdiam *dictam. Ego loco illi editiori à Domino* Levvio *qui in eo ipse habitarit, nomen inditum magis verisimile puto; nomenq; id oppido esse antiquius : quemadmodum ab* Econe, Ecouuerdiam, *à* Iucone, Iucuuerdiam; *à* Feddone, Fedduuerdiam, ab Adone, Aduuerdiam; *à* Fossa *fœminâ*, Fossuuerdiam; *à* Tiarchone, Tiarcuuerdiam; *à* Bolone Bolsuuerdiam *vocatam dubitare nemo sani iudicij potest. Sunt enim ea omnia nomina propria Frisijs vsitatißima. Qui verò ex Levvio quodam caupona, quem nostrates* een Werd/ *dicunt, qui primus eo loci ad traiectum habitarit, atque insuper ex tabernariorum more Leonem in tabulâ depictum pro insigni tabernæ suæ vsurparit, vocabulum id loco tributum memorant, hos anicularum delirantium somnium referre arbitror. Erant verò tum cùm oppidum hoc nasceretur, vici duo alij, alter ad Occidentem, alter ad Orientem ei proximi, vterque cum fano suo, quorum iste ex fano* Oldehoua, *hic* Hoca, *quod angulum aut*

hamum

hamum significat, vocitati, nunc ab aliquod retrò sæculis maximâ sui parte cum ipsis fanis oppido additi, ac manibus eius prolatis inclusi, nomenclaturâ priscâ cum parœciarum iure seruatâ. Nec secus Meridiem versùs multa oppido crescenti sensim adiecta: vt iam nō minusquàm passuum 1600. ambitio eius intra fossas habeat, complectens spatium frequenti domorum splendidarum & continuarum seriè secundùm varios vicos obsitum & oppletum, cum sacris publicisq; ædibus egregijs compluribus. Habet ciuitas diploma signatum 4. Eid. Iulij anno æra Christianæ 1432. Bolsuerdiæ, vbi tum ordines Ostergoæ & VVestergoæ comitia agebant, quo duæ istæ iam dictæ parœciæ Oldehoua *&* Hoca *tota ciuitati sunt adscriptæ, ac senatus eius iurisdictione subiecta non solùm, quâ intra mœnia, sed etiam quâ extra, earum ædificia solumq; sita erant, idq; (vt ait diploma) omnium prouinciæ Ordinum bono: iußiq; omnes, qui in iudicatu erant, omnesq; ciuitates decreto isti sine contradictione parêre. Atq; huius decreti argumentum postremis annis à Saxoniæ Principe, & anno æra Christianæ 1516. à Carolo Hispaniarum & Burgundiæ Principe rursus est confirmatum. Antiquitus familiæ nobiles complures valido opera contra repentinam vim structas domos in oppido habuêre, Camminngani, Vniæi, Camstræi, Minnemij, Martenij, Burmanij: sed antiquißimi ex his, & potentißimi Cammingani, quorum in sola magna oppidi pars ad Orientem æstiuum extructa est, quiq; haud procul oppi-*

di

di mœnibus insignem arcem tenuêre cum proximo ac pene contiguo viculo familiæ suæ, nomen ferentem. Et hæ familiæ luxuriante & diffluente libertate, ac discordiâ cuncta turbante, cùm quisque tantum sibi licere putaret, quantum posset, in possessionem aliquam iuris & potestatis publicæ se collocarunt, vt sine earum consensu vix quicquam senatus maioribus in negocijs auderet: interdum etiam senatui præsedêre. Ciuitas alioqui iam indè ab anno 1 4 3 2. sanctione omnium Ordinum istius prouinciæ merum & mixtum imperium in suos habuit, nec ab eâ nisi ex pactis prouocatio fuit. Sauientibus factionum exitialium furijs anno 1 4 8 1. postridie Simonis & Iudæ, cùm fortè maior ciuium pars belli causâ domo abesset, à Sciringijs inimicis occasioni intentis capta est subito impetu, & hostilia perpessa, sed eodem die virtute ciuium, qui domi manserant, ab hoste liberata. Et quia vixdùm expulso hoste etiam ij, qui vrbe exierant, re benè gestâ, demum triumphabundi, sunt reuersi, dies is ad perennandam rei memoriam sacræ festiuitati quotannis agendæ dicatus fuit. Occisus eo tempore à Sciringijs est ciuitatis Oldermannus Petrus Aucama, iuris peritiâ ac virtute æq; clarus. Altero ab hoc anno die 13. Iun. ingens ciuitati damnum irrogatum est ab igne fortuito, qui primùm è figuli officinâ exortus non minus quàm 200. domos, si annalibus creditur, absumsit. Inhæsit vt plurimùm Leowerdia Vetroperorum partibus: & anno 1492. arctius fœdus cum Groninganis earundem partium

tium

tiũ iunxit, atq; in eo fœdere mansit, donec vi Saxonũ ab eodẽ discedere fuit coacta: quod factũ est an. 1498. quo bis à Scombergio Saxonum ductore obsessa in potestatem eius venit. Tum Castellum ei impositum cũ præsidio: quod durauit ad annum vsq; 1580. quo repetente libertatem populo funditùs est euersum. Eodem illo tempore, cùm Saxonum imperium Frisia subiret, id hæc quoq; ciuitas passa est in autonomiæ ratione, quod cateræ omnes. Etenim Leoẘerdia libertatis tempore senatum habebat virorum 12. quorum quatuor consules, duo Senatores, reliqui Scabini dicebãtur: & his decimus tertius erat aditus Oldermannus senatûs princeps. Horum media pars quotannis munere decebat circiter Calendas Ianuarias, & totidem, quod decedebant, suffragijs sufficiebantur; eone modo, quo Sneca id fieri solet, an simili alio, mihi non liquet. Oldermannum biennium in senatu sedisse etiam, arbitror magis quàm certò scio. Quem locum non ex plebe solùm homines, sed ex primaria quoq; nobilitate nonnunquam tenuisse exemplo VVattionis Camminga disco, quem anno 1476. Oldermannum fuisse binis in literis publicis reperio. Cum hoc senatu in Repub. oppidanâ erat & collegium iuratũ, vti ostendi prius, virorum 13. tribunitiæ potestatis: in quod qui cooptabantur à senatu statim post Calendas Ianuarias (hoc enim ius senatus habebat) ij aut cum anno finiebant munus, aut prorogatum retinebãt pro arbitrio eiusdem senatus. Horum partes erant, cum senatu Reipub. consulere in negotijs grauibus, senatum

tum sicubi exorbitare eum, aut cessare in officio putarent, monere, interdum etiam actis eius intercedere, sumptos publicos moderari, & ad pecunia, quæ in ærario esset, aut ad censuum modum exigere, plebem tributis ac iniurijs, Remp. ære alieno prohibere, in eligendo senatu operam suam ciuitati præstare. Saxo autem, qui tantam libertatem periculosam sibi existimabat, hoc more abrogato, iussit senatum exeunte anno totidem alios quos erant ipsi, è ciuium numero muneri gerendo pares eligere, & horum nomina cũ nominibus suis Proprincipi & senatui prouinciali, si ipse non adesset, offerre & hos ex omnibus istis 12. deligere in senatu futuros per eum annum, consules scilicet quatuor, senatores duos, scabinos sex, atq; hoc redire in orbem quotannis. Oldermannum verò senatui addidit, quem vellet perpetuum. Cætera ciuilia instituta intacta ciuitati reliquit, excepto iure gladij, quod sibi vendicauit. At Saxonis filius Georg. incommoda hæc commodis paribus compensauit. Nam & sedem senatus prouincialis & domiciliũ Proprincipis, & officinam cudendæ monetæ istic constituit: ac magnifici operis curiã ibidem extruxit, quæ post in domũ monetariam est versa nõ procul arce Saxonicâ. Quinimo cùm sequentibus annis beneuolentiam & fidem ciuitatis reb. in arctis expertus esset, adiecit quoq; alia acceptâ pecuniâ modicâ, qua opus habebat, tributũ annuũ ciuitati remisit accisã quã vocant cereuisiæ in oppido coctæ in vsus publicos eidem cõdonauit. At imperio regionis ad Carol. Burgũd. adolescentẽ 16. tunc annos natũ translato, adolescens precibus & cõmenda-

mendatione Saxonis commotus, & à suis persuasus, vt imperij noui initio clementiæ & bonitatis famam sibi pararet, non solùm eadem illa confirmauit, sed & alia superaddidit. Inprimis Oldermannū ἔφορον grauem è senatu sustulit: iurisdictionem senatûs ampliauit: omnes, qui domiciliū in vrbe haberent, nobiles simul & ignobiles pari modo cū ciuibus alijs ciuitatis onera ferre iussit: accisæ vino, exoticæ cereuisiæ, pāno impositæ semissem in munitionum & rerum similium sumptus ciuitati cessit: honoris causâ senatui oppidano permisit vinū domi suæ bibere sine onere accisæ: ciuitatem tributis in bella externa exemit. Quæ omnia, & plura alia in diplomate relata, quod signatū Leowerdiæ postrid. Non. Febr. anno 1516. Sub huius & Philip. filij imperio vsq; ad tempora Albani per annos circiter 53. ciuitas feliciter egit & incremēta fortunæ sensit, factaq; ædificijs & publicis & priuatis multo quàm fuerat ante splēdidior. Tū relictâ curiâ prouinciali à Saxone structâ à Philip. Hispan. rege alia longè magnificentior & speciosior eâ formâ, qua etiā nunc cōspicitur, est excitata loco percōmodo propè riuum maiorē, qui vrbē perluit, in eâ vrbis parte, quæ angulū ad Orient. & Merid. facit. Tum domus quoq; illa Principis luxui sufficiens, quā habitat nūc illustr. Gubernator Guilhel. Ludouic. Comes Nassauius à quæstore regio fuit ædificata ad riuū alterum in media fere vrbis regione. Inuenio tunc in vsu legem fuisse, vt si senatus Calendis Ianuarij in numero illo virorum 12. ex quibus in annum surgentem delectio

consti-

constituendi senatûs faciendus, homines inidoneos ederet, fas esset Proprincipi & summæ curiæ ijs reiectis alios substituere, ne qua fraus prauis consilijs fieret Reip. Aptum namq; hoc reprimendis ambitiosis ingenijs, quæ gustata honorum & commodorũ potestatisq; dulcedine, continuationem eorum subdolâ ratione quærunt. Quinetiam alterũ tunc institutum viguisse cognosco, nescio an à libertatis temporibus tractum, vt 13. viri iurati tribus potestatis mox à Kalendis Ianuarijs totidem sibi adsciscerent ex honestiorũ ciuium ordine, maximeq; ex ijs, qui senatu tum decesserant, vt ex istis, & ipsis adsciscentibus numero 26. senatui nouo copia esset diligendi 13. qui tribunitiâ potestate eo anno Remp. curarent. Excusso Hispaniæ regis, Burgundiæ principis, iugo, restitutâ pristinâ libertate, potestas constituendi quotannis senatus vt in cæteris omnibus huius regionis ciuitatibus, ita quoq; Leowerdiæ penes Gubernatorem & curiam summam mansit per annos aliquot. Sed cum libertatis statu crescente etiam ambitione cùm curiæ supremæ ius collegium 9. virûm ad se niteretur trahere, cõtenderetq; merè politicum id esse, nec iurisdictioni insitum, quæ curiæ competeret, curia verò decedere iure & possessione suâ nollet, curiamq; sequerẽtur ciuitates omnes, quæ hanc in se potestatem permittere agrarijs Ordinibus, quos inimicos statui suo dictitabant, non posse, non velle se iactabant, exarsit contentio vehementiùs. Ita factum, vt ciuitates 10. in eum tantùm annum (is erat 1585.) rem permitterent Gubernatori, vt intereà NOTA.

G concor-

concordiæ ratio iniretur. Sola Leoůuerdia propositi pertinax fauente curiâ, ijs, qui tum in senatu erant, munus in annum prorogauit. Interim adiunctâ quoq; sibi Franekerâ, magno studio connixa istuc peruenit, vt pristinis moribus, quibus vsa erat antè Saxonum imperium, permitteretur viuere, velificante præsertim desiderio & studijs eius Ordinum Generalium fœderatorum fauore & autoritate, à quibus diploma in hanc rem ei datum, signatũ die 19. Nouemb an. 1586. Quo iure hoc ab his sit factũ inconsultis prouinciæ Ordinibus, meum non est dicere. Factum solummodò dico. Sed modus in diplomate præscriptus, seruandus in constituendo quotannis senatu, quo ad hoc vsq; tempus ciuitas vsa fuit. Modus est huiusmodi. Sunt in senatu, vti antè quoq; fuerant, consules quatuor, scabini sex, senatores, quos ædiles etiam nuncupant, duo. Hi annum in munere versati prid. Kal. Ianuarij in curiâ oppidanâ congregati nominant totidem alios ex toto corpore ciuitatis singuli scilicet singulos, quos senatorio loco dignos iudicant, potißimùm verò eos, qui priùs eundem locum tenuêre. Sed ijdem mox singulorum iudicium iudicio vniuersorum subijciunt: nec quenquam in nominatis habent, qui nõ suffragijs plurimorum fuerit probatos. Itaq; si qui aliquos nominarunt, quos collegium respuit, ij ad nominandos alios transire coguntur, nec antè hoc missum facere, quàm eos ediderint, quos plurimorum consensus nõ improbet. Postquam consensêre, 12. nominatos è vestigio in curiam vocant, & vnà cũ his ex ordine meliorũ ciuium

designant

designant alios 12. profunda iam nocte, eosq; cōfestim in curiā quoq; adesse iubent. Qui vbi venêre, sine morâ adhuc sex alios ex eodem ciuium ordine sibi adsciscunt, vt sint omnes numero 18. Ii per sortem ex sui medio 9. educunt: quibus cōclaui inclusis potestas permittitur ex ijs, quorum iam annus exit, & totidem paulò antè per eosdē nominatis eligendi consules quatuor, scabinos sex, ædiles duos per annum tum surgentem Reip. præfuturos: nec antè 9. viris his conceditur è conclaui egredi quàm res ista fuerit confecta. Quæ cuncta vt rectiùs & religiosiùs fiant, coguntur singuli in totâ hac actione iureiurando Reip. se obligare, nihil se gratiæ, nihil odio daturos, non munera accepturos, non cum alijs consilia communicaturos, sed secuturos dictamen cōscientiæ suæ, & ad solam Remp. respecturos, ac non nisi optimos, & maximè idoneos quosq; se suffragijs suis designaturos. Atq; ipsi electi consules, scabini, senatores conceptis verbis apud deputatos iurant, se integrè & cum fide ac diligentiâ munere suo defuncturos. Verùm anno 1610. surgente ipsis Kalend. Ianuariis, cùm non & pridem simultas ac factio contra senatum in ciuitate esset orta, leuißimi & vilißimi quique è plebe à factionis ducibus commoti in curiam per vim euadentes diffugiente senatu, posthabito hoc more constitutionem noui senatûs eo tempore sui arbitrij fecerunt. Senatu per tumultum constituto, vehementißimis in factione ac plebis flabellis in eum allectis, ciuitas tota in partes fuit scissa, odia mutua grauiùs incensa, verbis & factis

animi exacerbati. Et quanquam proximè ſecutis Ianuarij Kalendis, atq; etiam deinceps per annos aliquot redintegratus ad ſpeciem ſit legitimus mos, tamen eâ arte actum, vt haud facilè cuiquam, niſi qui partium earundem eſſet, aditus ad curiam patuerit. Verùm cùm ij, qui curiam tenebant, eadem facerent, ob quæ priorem ſenatum criminati apud plebem fuerant, & moniti pergerent nihilominus, imò grauiora committerent, atq; inſuper imperio vterentur aſperiùs inſolentiusq́;, nonnullos vel verbo ſibi aduerſantes, aut eum modum, quo in curiam ipſi peruenerant, improbantes, ac penè ad nutum non parentes, aut mulctas poſcerent, aut carceribus includerent, multos muneribus publicis priuarent, accidit vt haud paucorum animos, quorum dudum duces fuerant, à ſe alienarint. Deniq; cùm res iam parturire maiora pericula videretur, illuſtris Gubernator, & primores viri graues, ac patriæ amantes, precibus moderatiorum exorati interceſſêre, conatiq́; ſunt concordiam reparare. Sed actum egêre. Adeò feruens contentio, & pertinax partium ſtudium erat. Poſtremò ne quid grauioris mali ex hoc fonte exiſteret, atq; in vniuerſam Remp. proflueret, in comitijs anni præſentis 1615. menſe Februario cura hac, agendiq́; poteſtas decreto omnium Ordinum commiſſa eſt eidem illuſtri Gubernatori, & collegio 9. virûm, ſummæq; curiæ: mandatumq́; ijs, darent operam, vt partes in concordiam reducerent, aut ſi id minùs ſuccederet, quoquo modo diſſidium finirent, ne quid ex eo Reſp. detrimenti caperet. Hi,

amicâ

amicâ compoſitione per aliquot menſes fruſtrâ tentatâ, operâq; illâ perditâ, tandem die 5. Iulij decretum interpoſuêre in hanc ſententiam, vt qui in ſenatu iam eſſent, in eo manerent vſq; in Kalendas Ianuarias *proximas: tum decreti autores conſules, ſcabinos, ædiles facerent, quos vellent, qui per annum eum 1616. ciuitati praeſſent: dein ſecuturis* Kalend. Ianuar. *& in omne tempus poſterum talis ratio teneretur: ne quis in ſenatum, aut in concilium iuratum poſthac cooptetur, aut etiam inter eos nominetur, ex quibus ſenatus, aut concilij iurati participes futuri, erunt eligendi, niſi qui cum* Eccleſiæ *doctrinâ in hac regione publicè in templis ſonante conſentiat, atq; hunc conſenſum ſuum aut ſacræ ſynaxeos vſu, aut iuramento cōfirmet, quiq; poſſeßiones immobiles in ciuitate aut ciuitatis territorio habeat, hoſtiq; ſit Hiſpanorum, ac factionis Hiſpanicæ, vitæ fideiq; integræ, & conſeruandi ſtatus præſentis ſtudioſus: vt ſenatus exacto anno muneris ſui prid.* Kalend. Ianuarij *ex melioribus ciuibus nominet 12. deinde ipſis* Kalendis *edat alios quatuor, qui non ſint in concilio iuratorum, nec in numero vicenorum arma in ciuitate curantium centurionum & vexilliferorum, moxq; in curiam vocet ipſum concilium iuratum 13. virum, ac vicenos armorum curatores, iubeatq; tùm hos tùm illos ex ordine ſuo quaternos edere per ſortem, qui non ſint in numero 12. eorum, quos ſenatus primùm deſignauit: & ſi accidat fortè in eos ſortem cadere, vt denuò ſors tentetur, aliiq; extra eum numerum deſignentur: hoc autem modo tùm ſuf-*

fragijs senatus, tùm reliquorum sorte editi ex ciuium honestiorum ordine adsciscant sibi alios sex, vt fiant omnes 18. qui sortiti inter se reiectis 9. totidem reliquos designent constituendi senatûs potestatem habituros: vt ex senatu quotannis decedant tres, consul nimirum vnus, & ex cæteris duo, sed neuterq́; sit ædilis: vt his decedentibus electores 9. ex numero illo 12. quos senatus initio actionis huius nominauit, totidem sufficiat: vt decedentes è senatu cooptentur in concilium virorum 13. virûm; senatusq́; reliqua ad id concilium pertinentia peragat ex more priore, & pro conditione rerũ præsentium: elector nemo fiat, qui in munere aut fide speciali prouinciæ, aut in quæsturâ ciuitatis aliáve functione simili sit: ne qui præcedẽte anno elector fuit, sequente rursum elector designetur: vt senatus in eam formã iuret quotannis, quá fit in ciuitatibus reliquis: finiendis litibus eo modo sententias pronunciet, qui cõformis sit ordine vsitato, in summâ curiâ, & alijs huius prouinciæ tribunalibus: vt ἀμνηστία, cum initio noui senatûs promulgetur: contra quæ omnia si quis nitatur, aut se opponat, reus fiat criminis turbatæ quietis publicæ. Hæc decreta, sed nondum in vsu posita. De cõcilio iurato iam dixi: in quo mutatũ hactenus nihil, præterquã id, quod iam notaui, vt imposterũ tres senatu exeuntes adsciscãtur quotannis in hoc cõcilium, quod hactenus in more nõ fuit: vndè sequitur, totidẽ alios oportere cõcilio vicißim decedere. Cætera ex more prisco antè exposito, nõ solũ quæ ad eligendi modũ attinẽt, sed etiã quæ ad partes muneris & curæ.

Hæc

Hæc duo collegia huius ciuitatis magnum momentum afferunt ad res toti prouinciæ communes, de quibus in comitijs agitur. Nam vt in his ciuitatis totius potestas vertitur, ita ciuitas in toto Ordine oppidanorum huius prouinciæ summam obtinet autoritatem, & consiliorũ funem ferè ducit; nec parum potest gratiâ ac existimatione propter opes & opinionẽ sapientiæ apud reliquos prouinciæ Ordines: idq; sic habet magno sine dubio Reip. bono. Porrò senatus vniuersus ciuitati præest, & singuli in eo, cùm decernendum aliquid, suffragijs pares sunt. Verùm consules dignitate & autoritate eminent, & per vicos in singulos anni quãdrãtes toti collegio præsident: præsesq; qui est, sigilli clauiumq; ciuitatis custos est, literas publicas signat; portas omnesq; in vrbem aditus per præfectum vigilum claudi recludiq; curat, per eundem tesseram nocturnam vigilibus mittit; potestatem citandi, vocandi in ius, sontes prehendendi & in vincula dandi habet; ea quæ senatus decernit, mandatve, per apparitores exequitur. Scabini quondam in subsellijs versari potissimùm, & litigantibus operam dare solebant: quod tamen nunc aliter habet. Senatores, qui & ædiles audiunt, ærarij res præcipuè tractant, opera publica, structuras, templa, domos ministrorum Ecclesiæ, &

 quia-

Triduò antè Kal. Ian. anni 1616. mutata nõnihil primâ de reti parte, sic cõuenit, vt non omnes, qui in senatu, quique in concilio iurato tum erant, muneribus decederẽt, sed ex semisse tãtùm, quos sors esset designatura: vtque in eorum loca pro arbitrio suo decreti autores darent alios. Idque Kal. factum. Et quoniã consules duo intra semestre fato concesserant, & superstitum alter sortitò honorem relinquebat, præter scabinos tres, & ædilem vnum, consules etiam noui tres, qui olim honorem eundem gesserant, ab ijsdem decreti autoribus sunt suffecti. In reliquo decreto placuit mutari nihil. Sic pacata in ciuitate omnia. Hæc acta post libellum hunc conscriptum. Ideò libuit in margine adijcere.

quicquid huiusmodi, vicos etiam, vias, aquaeductus, semitas vrbis curâ suâ complectuntur, quaestorũ ἔφοροι sunt, qui stipendia à ciuitate capiunt, his vt ea maturè soluantur, prouident. Senatus à consilijs loco vnius, quem habere solebat, nunc habet iurisconsultos tres Doctura titulo ornatos, quos Syndicos vocant, perpetuos, honesto stipendio autoratos. Per hos senatus lites ciuium grauiores cognoscit, dijudicat, sententias format, sed easdem suo nomine pronunciat. Ex horum numero vnus plerumq; eidem senatui à secretis est, & chartarum ciuitatis custos, qui collegam honore & commodis minorem, ac amanuenses plures habet, conditione omnes haud vili. Quaestores ciuitas habet quatuor. Horum primus aerarij ciuilis curator & praefectus census ciuitatis omnes, & quicquid eò pertinet, colligit, curat, conseruat, ex voluntate & praescripto senatus, imprimisq́; aedilium duorum, qui senatûs nomine hoc curant, erogat, apud hos & consules quotannis quaesturae rationes reddit. Creatur à senatu, ab eoq́; totus pendet: & licet omnibus annis exspiret eius munus, tamen si gratus senatui sit, si industrius, & Reip. fidus, in multos annos in munere perdurat. Alter ab eodem senatu editus, census sacros tractat, eos per coactorem exigit, ex ijs stipẽdia ministris Ecclesiae, rectori scholae & eius collegis, literarum studiosis iuuenibus haud paucis ciuitatis huius alumnis, aedituis templorum custodibus soluit, & vt hoc faciat tempestiuè, ab aedilibus ijsdem compellitur. Is coactore & ministro vtitur templi Oldehouij custode. Tertius curam habet colligen-

Leowerdiae tres Syndici, I. Cti.

Quaestores quatuor.

colligendi censu, qui ex agris suburbanis senatus iurisdictioni subiectis penditur singulis trimestribus. Quartò publicani consumptionum vrbanarum redemptores (sic tributi genus, quod capitur ex rebus certis, quæ in vrbe consumuntur, vulgò nuncupamus) id numerant, quod ex eo tributi genere ciuitati debetur. Quam quæsturam qui administrat, ex more iam recepto summam pauperum curam quoq; sibi commendatam gerit, quam archidiaconiam dicunt, ex commodis nihil percipit. Vterq; horum similiter, vt priores, in potestate senatûs sunt, sumuntq; ac ponunt munus, cùm senatui libet. De publicanis omnis generis, qui in fide sunt ciuitatis, & eorum coactoribus ac ministris speciatim dicere non libet, neq; de trutinæ publicæ magistro: quorum plerig; periculo suo vectigalia redempta colligunt, quidã colligendis ijs stipendio autorati hanc operam ciuitati nauant. Sunt enim ferè communia hæc cum ciuitatibus & Rebusp. alijs. Vectigalia ciuitas capit, quæ quondam Principi de rebus importatis, vino, cereuisiâ, panno pendi solent, maximè de vino & cereuisiâ, quæ in tabernis cauponarijs distrahuntur. His triens accedit eius summæ, quam redemptores vectigalium vrbanorum, de quibus iam nunc dixi, ordinibus prouinciæ coguntur soluere, qui & ipse in ærarium ciuitatis infertur. Vtrumq; ciuitas studio ac beneuolentiæ laudatißimi Principis Aurantij, Belgarum liberatoris debet: cuius consilio & autoritate effectum est, vt non Leowerdiæ solùm, sed cæteris quoq; omnibus huius regionis oppidis reliqui

Ordines temporibus difficilibus id in comitijs concesserint. Quod è trutinâ prouenit, id inter vectigalia non numero. Est etiam in ciuitate collegium aliud curæ armorum ac vigiliarū præpositum, his periculorū plenis temporibus natum, atq; apprimè necessarium: in quo cobortium præfecti aut ductores sunt 10. & totidem vexilliferi paulò antè nobis memorati, cùm de nouâ eligendi senatûs ratione ageremus. Nam in 10. cohortes tota est ciuitas diuisa: tenenturq; omninò oēs ciues in cohortes descripti pro rerū & fortunarum suarum modo armis instructi esse, ac per vices sub signis suis, præeuntibus præfectis suis in armis se ostendere, & præcipuos vrbis vicos seruatis ordinibus obire, tractandisq; longis hastis, sarissis, gladijs maioribus & minoribus, lanceis, scloppetis assuescere, vigilias nocturnas, diurnasq; agere: exceptis Anabaptistis quibus quia religioni sibi esse dictitant, homines inepti ac sanctuli arma tractare, permissum est pecuniâ in armorū vsus idoneris redimere. Huius collegij est, dare operam, ne quis in toto hoc Ordine armorum & vigiliarum defectus sit, ne quid secùs fiat ac fieri debet: potestatemq; habet, mulctandi delinquentes, disponendi de ijs, quæ huc pertinent: sed coercitionem contumacium, quæ mulctæ modū excedit, consulibus senatuiq; relinquit: ipsumq; totum pendet ab imperio senatûs. Is cohortium præfectos, & signiferos quotannis constituit, hoc modo: Post Kalendas Maias migrationibus ciuium solemnes quælibet cohors è corpore suo edit viros tres quos præfecturâ, & totidem, quos vexillo dignos censet,

ſet, & in his vt plurimùm illos etiam, qui muneribus iiſdẽ tum decedunt, niſi fortè è cohortis ſuæ regione in aliam commigrent; atq; hos à ſe editos ſenatui proponit: Senatus ex iſtis præfectum, ex his ſigniferum eligit. Eadem quoq; ratio in præfecti legato, quem Gallicâ voce locumtenentem dicunt, vſurpatur. Inferiora cohortium munia arbitrio ſingularum permittuntur. Aliis verò in rebus quibus momenti aliquid ineſt, quid facto opus, ſenatus præcipit: conſilia tamen collegii huius, & eorum, qui ſunt in eo, non temnit. Certè rebus ciuitatis in hoc collegio, & eo Ordine, cui collegium præeſt, ſitum eſt. Eſt & vigilum præfectus cum hoc Ordine coniunctus, ſenatûs in hac re miniſter, & eius ſolius nutum cum nutu Gubernatoris, ſi præſens ſit, aut legati eiuſdem, ſi abſit, intuens & ſequens, velut apparitorum maximus, vigiles diſponens, teſſeram acceptam dans, portas claudens & recludens: Idem carceris quoq; cuſtos, in quem ſontes abducit in ipſo maleficio à ſe deprehenſos ſine cuiuſquam mandato, alios verò ex ſenatûs, conſuliſve præſidis iuſſu: Ad quam rem vtitur operâ & ope certi generis baiulorum, quibus ſolis licet de loco in locum mouere vinum, & ceruiſiam exoticam, quiq; ob hanc rem iureiurando Reip. obligati ſunt, ne quid fraudis ipſa in vectigali & acciſâ patiatur. Societates mercatorum, inſtitorum, opificum, quæ ſuos quoq; conuentus, ſua inſtituta & leges habent, dicere nõ libet. Sunt enim vulgaria & vilia & vbiq; gentium in oppidis ferè ſimilia, præterquam quod ad tractandam quoq; Remp. ſocietates

nonnul-

nonnunquam admittantur, quod sæpius malo quàm bono solet esse, atq; hanc ob causam in oppidis huius regionis locum non habet. Quinimo Leowerdiæ ne conuentus quidem instituere vllos negotiorum suorum causâ, nisi copiâ à consule rogatâ, ac nisi præsente & præsidente consule, cuiquam societati licet. Estq; in more apud Leowerdios positum, vt cõsules initio anni per sortem partiantur societates, vt inter eos constet, quibus quisq; eorum vacare isto anno debeat. Hactenus ciuilia aut profana dixi, nunc de sacris, & quæ mixti generis sunt, dicam. Fuêre prioribus temporibus in vrbe, quòd antè etiam ostendi, tres paraciæ sacrorum causâ distinctæ cum templis suis, & in his sacerdotum missificantium magnus numerus gradibus diuersis discretus: in quibus qui primi Ordinis erant, quos pastores vocabant, plerumq; viri erant insigniter eruditi, ac autoritatis magnæ, magnis sæpè rebus agendis adhibiti: quos inter Briconem Aitam recenseo, cuius consilio & operâ Saxoniæ Principes, & Burgundi, & ipse populus multum solet vti. Hi suos cœtus, suos conuentus habebant, constituebantq; ea, quæ ad sacra ac ritus spectabant. Præter paracias sedem ibidem fixerant sodalitates monasticæ quatuor, virilis sexûs duæ, duæ item velatarum virginum: illæ instituti Franciscani, & Dominicani, hæ Cathariniani, & sacris aut magis superstitionibus perpetuò operantes in fanis suis splendidis amplisq;. Erantq; eâdem in vrbe insignia ξενοδοχεῖα, πτωχοδοχεῖα, νοσοκομεῖα, pietatis maiorum monumenta atq; indicia, qui magnis

Paraciæ sacræ, cœnob. & alia loca publica.

impen-

impendijs ea struxerant ac dotauerant. Quas ob causas Hispaniæ Rex postremis dominatûs sui annis nouo Episcopatui hîc sedem constituerat, Episcopumq́ primum dederat Petrum Cunerum Louaniensem, sed auspicio infelice. Nam paulò pòst reuocatâ publicâ libertate nouo instituto nuncius remissus, Episcopus vrbe pulsus, superstitio profligata, religioni sinceræ ac orthodoxæ, & sacro D E I *verbo conformi locus datus: sacerdotum mißificorum, & monachorum turba verbi diuini præcones, sacrorum & Ecclesiæ ministri quatuor surrogati, qui duobus in templis ex omni eorum numero maximè aptis è suggesto populum docent, & sacramenta administrant, reliquasq́ ministerij sacri partes cum fide obeunt, pares inter se gradu & dignitate. Per hos Christus Ecclesiam sanctam in vrbe sibi colligit, frequentem numero, institutis & εὐταξίᾳ florentem, pietatis & ὀρθοδοξίας studio illustrem, vicinarum Ecclesiarũ matrem aut nutricem: Huius regimini præest presbyterium velut senatus ecclesiasticarũ peritiâ ante alios cõspicuis: in quibus ipsi sunt ecclesiastæ, qui primum in eo locum tenent, & per vices in orbem recurrentes consessibus atq́ actionibus præsident: reliqui 8. presbyteri aut seniores propriè nominantur. Presbyterij munus est intendere doctrinæ & disciplinæ, dare operam, vt omnia decenter in Ecclesiâ fiant, morum curam habere & censuram agere: scandala auertere, aut corrigere, delinquentes priuatim primùm per delectos, deinde in consessum etiam vocatos monere benignè, & si cõtumacia flagitet, asperiùs*

corri-

corripere, adeoq; cùm opus, perditâ nimirum operâ reliquâ ad abſcindendum putridum membrum à corpore Eccleſiæ, & prohibendum fidelium commercio progredi, quod excommunicationem vocant; quæ ex ſuggeſto publicatur coràm totâ Eccleſiâ: isq; eſt extremus exercendæ in Eccleſiâ diſciplinæ terminus, cætera magiſtratui relinquuntur. Ad hæc eiuſdem presbyterij eſt, ſe mutuò exhortari, etiam ipſos Eccleſiaſtas, ſicubi cõtingat eos exorbitare, aut in officio faciendo claudicare aut errare, fideliter commonere, diſsidia inter Eccleſiæ ciues componere, ſimultates tollere, vulnera, ſanare concordiam alere, deniq; curare, vt egenorum recta ratio habeatur. Cui rei alterum collegium præfectum eſt, quod diaconorum nuncupant, viros 8. complexum, presbyterij autoritati & cenſuræ ſubiectum. Poſtremò huius curæ commiſſum etiam eſt, prouidere, ne Eccleſia idoneis doctorib⁹ ſeu miniſtris deſtituatur, loco vacante de eo ſupplendo laborare, vbi de vocando aliquo cõſenſus inter ipſos, qui in presbyterio ſunt, initus fuerit, Eccleſiæ eum proponere, propoſitumq; ab eâq; probatum eiuſdem totius Eccleſiæ nomine, iuuante magiſtratu, ritè vocare, vocatumq; in poſſeſsionem muneris mittere: collegas presbyteros quoq; ſibi cooptare, ſed & hos nõ niſi ſciente & probante vniuersâ Eccleſiâ: diaconis etiam adhibitis in cõſilium, & ſuffragantibus ſimul diaconis, qui in iſto collegio ſunt, eligere, & electos cenſuræ Eccleſiæ ſubijcere, atq; ita miniſterium pauperum ijs commendare. Vtrobiq; ſuffragijs liberis res agitur à presbyterio. Munus omnium

vtroq;

vtroq; in collegio & presbyterij & diaconiæ bienne tantum est, exceptis solis verbi & sacramentorum ministris, qui vt vbiq; locorum, ita quoque hîc sunt perpetui. Itaq; è presbyterio seniores decedunt quotannis quatuor, & totidem sufficiuntur. Similiter in collegio altero. Presbyteri leguntur non ex plebe solùm ac honestiore ciuium Ordine, sed etiam ex oppidano senatu, aut ex ijs, qui sedent in summâ curiâ, interdum etiam ex 9. viris deputatis: qui nexus est, & vinculum concordiæ maximum inter eos, qui sunt in vtroq; regimine politico & Ecclesiastico. Idem fit in legendis diaconis: in quorum numerum nemo quoque adsciscitur, nisi notæ fuerit integritatis, fidei, pietatis, industriæ. Officij eorum est, egenos Ecclesiæ consortes curare, in ipsos & ipsorum res inquirere, interdum domi eosdem visitare, in eorum vsu eleëmosynas in templis colligere, ac in synaxi sacrâ à communicantibus sponte collatas, & quicquid harum simile, in custodiâ & potestate habere, eas in egenos suæ curæ commissos erogare, accepti expensiq; rationes publicè reddere: interdum & consilio presbyterium iuuare. Conueniunt singulis septimanis semel, vt de rebus suis agant, & quoties omninò res poscit. Similiter presbyterium conuentus habet vt plurimùm & ordinariè singulis septimanis singulos feria 2. & quoties alioqui vsus requirit: Et quater omninò anno paulò antè sacram synaxin ad censendos mores suosmet, & diaconorum, & eorum, qui in scholis literarijs docent, aliorumq; qui munus aliquod in Ecclesiâ

obeunt,

obeunt coit, censuramq́; agit singulorum seueram atq; incorruptam. Institutum vniuersum sine dubio longè optimum, & cum ipsis Apostolorum temporibus, vt existimat Ambrosius, in Ecclesia natum. Presbyterium ministro vtitur velut accenso aut apparitore ad expediunda iussa vno ex templorum custodibus, quorum tot sunt in ciuitate, quot sunt parœciæ, quos vacante loco presbyterium nominat, senatus confirmat: interdum presbyterium duos aut tres proponit, senatus vnum ex his eligit, & munere defungi iubet. Ecclesiæ subordinatæ scholæ sunt literariæ in totâ ciuitate, in quibus nemini concessum docere, nisi qui cum doctrinâ orthodoxâ Ecclesiæ consentiat, aut libris erudiendæ tenellæ ætati vti, nisi quorum argumentum ab eâdem doctrinâ alienum nihil habeat. Et ad ciuitatis huius decus pertinet schola primaria gymnasium eruditarum artium & linguarum, iam olim florens, ex quâ prodiêre ingenia, quæ ad summam doctrinæ gloriam peruenêre, ac literis pariter & patriæ suæ maximo honori fuêre. Nunc aucta etiam docentium numero, & discentium multitudine, & stipendiorum incremento, & ædificij paratu, ex quo libertas Reip. rediјt, atq; ita formata, vt non solùm discendis bonarum literarum aliarum fundamentis, sed etiam hauriendis veræ pietatis & doctrinæ Theologicæ principijs iam ἀσκητήριον sit. Et proximis annis singulari cum laude præfuit omni genere doctrinæ eximius, Medicus & Mathematicus, imprimisq́; Astronomus planè excellens NICOLAVS MVLERIVS, amicus meus summus, nunc in Academiâ,

demiâ, quæ Groningæ est, medicinam & mathesin docens. Ad pauperum curam reuertor. Sunt in ciuitate præter eos, quos memoraui, alij quoq; diaconi, qui non tàm Ecclesiæ consortium, quàm reliquorum egenorum ratione habent, licet ipsi vt plurimùm Ecclesiæ nomen dederint. Hi sunt numero 22. distincti in classes quatuor, secundùm quatuor vrbis regiones, quas Espelas *linguâ patriâ appellant. Earum regionum prima* Oldchouia *à sex, altera* Nychouia *similiter à sex, tertia* Hoerterana *etiam à totidem, quarta* Minnemia *à quatuor curatur diaconis. Leguntur à senatu ex honestiorum ciuium ordine in singulis vrbis regionibus, ministrantq; omnes biennium. Decedunt non omnes pariter, sed quotannis 11. ac totidem rursum succedunt, terni scilicet in regionibus prioribus tribus, bini in quartâ. Omnibus verò praest archidiaconus, qui solus est perpetuus, aut saltem in annos multos in ministerio manet, & solus stipendij aliquid capit: cæteri gratuitò hanc operam Reip. nauant. Qualibet claßis curat, ne quid egenis suâ in regione desit: omnes id agunt, ne mendicationi in vrbe sit locus. In hunc finem ostiatim stipem statis temporibus colligunt, & in egenos erogant: sæpè etiam laborantibus inopiâ aut inopum multitudine diaconis prioribus opem ferunt. Habent & conuentus suos, &, cùm tempus poscit, calculum rationum ponunt apud archidiaconum, præsentibus delectis è senatu, & eo, qui senatui est à secretis, apud quos ipse quoq; archidiaconus ex voluntate senatus εὐθύνας debet. Diaconiæ affinis*

H est

est curatio ξενοδοχείου quæ vulgò sic dicuntur, alijs potiùs vocabulis afficienda, cuiusmodi in vrbe sunt duo. Horum alterum maius in mediá vrbis regione, quod Antonianum vocant, nō pauciores quàm C inopis conditionis homines vtriusq; sexus, mundè & liberaliter alit, distinctum trifariàm: alterum à Bolone quodam primùm institutum, ac à nomine eius nomen adhuc ferent, in quo itidem sustentantur egeni, sed & tenuius, & numero longè pauciore. Prius illud præter ξενοδοχεῖον complectitur etiam νοσοκομεῖον & γεροντοτροφεῖον. Ξενοδοχεῖον hospitio excipit inopes peregrinos in vrbem venientes, sed raro binoctio diutiùs, pars cæteris multo sordidior, vt pro verbio notandis sordibus quoq; locum dederit. In νοσοκομείῳ oppidani morbis pariter egestate pressi aluntur & curantur gratis, vt & milites ægroti aut saucij, sed impendio prouinciæ totius Γεροντοτροφεῖον destinatum est alendis hominibus ætate prouectis vtriusq; sexûs, item ijs, qui mentis defectum patiuntur. Verùm in hoc haud facilè quisquam recipitur, nisi qui præfectis eius, antequam istuc ingrediatur, pendat, si ætate prouectâ sit, aureos 150. aut 200. aut 300. si iunior stolidus, 400. aut 500. pro modo fortunarum cuiusque, aut eorum, quos propinquos habet, vel qui ipse cum propinquis nihil habeat in rebus suis. Talibus enim gratuitò in hoc contubernium aditus patet, si modò ciues sint. Quinimo vsu receptū est, vt alijs quoq; ex oppidis aut vicis nonnunquam in hoc γεροντοτροφεῖον admittentur non cælibes solùm grandæui, sed etiam mariti cum vxoribus suis, si in-

ferant

ferant in id aureos circiter D. At enim omnibus his & oppidanis & peregrinis præter cibum, potum, domicilium, fomenta ignis, & quæ huiusmodi sunt, nihil heic præstatur. De lectis, lodicibus, stragulis, veste, calceis, singulos sibi oportet prospicere, nisi sint & debiles plane, & extreme inopes. Mente capti pleriq; etiam amiciuntur, qui corpore validi sunt, & operæ aliquid præstare possunt. In νοσοκομείῳ omnia ex communi totius Xenodochei ταμιείῳ sufficiuntur infirmis: nec est vlla pars supellectile omnis generis & cultu mundior ac elegantior. Culina partium omnium cura est, ταμεῖον vnum. Census in agro, pecore, fœnore. Vniuerso huic Xenodocheo præsunt viri quatuor ex spectatissimis in ciuitate, interdũ etiam ex nobilitate à magistratu oppidano lecti: quorum vnus quæsturæ munus sustinet, & ob curas molestiasq; præmioli aliquid capit. Sed hic pecuniæ nihil erogat cuiquã, nisi exhibito collegæ chirographo, qui editur ab ijs, qui aliquid petunt, cuiusmodi sunt coqui, coquæ, promi & cõdi, promæ & condæ, aut horum ministri. Collega autẽ chirographi à se dati argumentũ statim refert in ἀναγραφὰς suas in vsum examinis rationũ reddendarum. Et quæstor ipse tabulas censuum ξενοδοχείου in potestate & custodiã habet, cẽsus colligit, cõdit, accepti expensiq; indices conficit, ex his rationes quotannis apud senatum reddit præsentibus reliquis collegis. His verò præfectis quatuor totidem adiunctæ sunt matronæ viduæ, ætate graues, in viduitate mansuræ, administrandæ rei familiaris peritæ, non ex plebeio solùm sed ex nobili

quoq; genere lectæ, quæ curam & inspectionem supellectilis lineæ, laneæ, lectorum, vestium stragularum, rerum culinariarum & similium, quæ fœminæ magis quàm viri curare solent, in νοσοκομείῳ commendatam habent. Vtuntur hi omnes operâ dispensatorum, promorum & condorum, coquorum, vtriusq; sexûs, perq; eos omnia administrant. Alterum ξενοδοχεῖον à fœminâ prædiuite moriturâ ortum primum habuit, quæ res suas omnes testamento in vsum inopum legauit, simulq; societatem quandam instituit, cui testamenti sui curam & tutelam demandauit. Ei nomine Iesu nomen Impositum. Iussit verò testatrix, in hanc sententiam: vt scilicet viri 12. è præcipuis totius ciuitatis, quos ipsa tum primùm nominauit, hæreditatis vniuersæ, quæ in censu annuo non minùs quàm aureos habet 1200. dispensatores sint, iidemq; potestatem habeant in locum eorum, qui aut morte aut casu alio è societate decedent, alios cooptare: vt vnus ex iis quæstor sit annuus, atq; is domi suæ cæteris epulum det solenne die 15. Ianuarij ex pecuniâ hac eâdem legatâ ad conseruandam rei memoriam: reliqui census omnes conferantur ad iuuandos egenos veste, & rebus aliis maximè necessariis. Atq; hoc institutum posteà auctum à Ritscone Bolemio, qui & ipse res suas istuc contulit, ab eo, vt dixi, nomen inuenit & retinuit: manetq; ad hoc vsq; tempus. Verùm quæstor nunc est perpetuus. Oldermannus autem, & ipse vnus ex 12. annuus iam est: idq; munus, vt olim quæstura, per omnes in orbem decurrit. Hic egenis, qui tesseram exhibent,

bent, qualibet hebdomade panes distribuit: socios quotannis conuocat bis sumptu suo: daturq; interdum etiam nunc epulum, cùm gratulandum nouis socijs in locum defunctorum surrogatis, verùm ex symbolis, ne quid solatijs inopum decedat. Singuli verò socij non ex lege sed ex more stuferos 28. de suo in egenos suos conferunt. Quid de ὀρφανοτροφείῳ dicam? quod in vrbe quoq; hac est luculentum & amplum, & nutriendis educandisq; tenuis fortunæ pupillis, & alijs pauperculis pueris & puellis dicatum; cuiusmodi ad 70. capita honestè istic habentur & instituuntur, atq; insuper, vbi adoleuerint, etiam dote aliquâ aut pecuniâ egredientes ex eo iuuantur. Sed qui hoc modo heic aluntur, tertiâ ferè aut quartâ parte ex agro capiuntur vicino ob legatum in hanc rem quondam collatū à fœminâ nobili: reliqui sunt ex ipsâ vrbe. Quamobrem ex quatuor qui ὀρφανοτροφείῳ præsunt, tres quoque tantùm è ciuium honestiorum numero eduntur, quartus ex agro, & ferè ex familiâ aut cognatis eius, quæ legatum istud huc contulit. Qui verò semel præfecti heic editi sunt, manent plerumque in hoc munere, quamdiu in vitâ manent, aut quamdiu obire munus possunt: quanquam quotannis in his etiam editionis fiat instauratio, velut noua editio, aut muneris prorogatio. Institutum omni modo præclarum, siue pietatem spectes, siue Reip. vtilitatem. Accedit ijs omnibus & λοιμοκομεῖον egregium nō ita nuper magnis impendijs extructum in secessu vrbis loco amœno ad cœmiterium Iacobæum, destinatum ijs, qui peste corri-

giuntur epidemiâ, auertendi maioris contagij gratiâ: statutumq; vt qui istuc inseruntur, habeantur commodè, & publico sumptu curentur. Demùm in vrbe hac eadē est ἐργαστήριον spatiosum, & commodis ædificijs instructum, sed toti prouinciæ commune, ideoq; senatui prouinciali subiectum, in quod velut in carcerem dantur profligatorum morum homines vtriusq; sexûs, & cuiusuis ætatis, quorum vitæ & corpori adhuc parcendum iudices arbitrantur, ac de quibus emendationis spes superest. Exercentur verò omnis generis studijs & operis, pro cuiusq; captu ac modo, docentur, aut quæ didicere, tractare coguntur: alij alia facere, alij duros labores laborare compelluntur: nec cuiquam omninò ignauo ac otioso esse licet, ni famescere velit. Instat enim seuerus exactor, nec cibum potumq; concedit nisi ijs, qui dimensum expleuerint. Accedunt monitiones, nunc laborum augmenta, nonnunquam etiam verbera ad domandos feroces animos. Acciditq; hac ratione non rarò, vt qui perditissimi esse, & domari haud posse videbantur, ad meliorem mentem redierint, atq; ex ergastulo dimissi; gratijs etiam actis, frugi deinceps vixerint. Cæteri verò, qui corrigi non possunt, labore suo impendia victus sibi sufficiunt, ac sine Reip. onere velut in carcere detinentur, ne cuiquam noceant. Huic ἐργαστηρίῳ præfecti 4. ciues quidem Leovverdiani sunt, sed in fide sunt vniuersæ prouinciæ; & his addita sunt quoque matronæ totidem, quarum eadem cura heic cum eâ, quam habere dixi illas, quæ præsunt νοσοκομείῳ

nec quiſquam ferè aut in ἐργαστήριον detruditur, aut ex eo liberatur, niſi ex voluntate ſummæ curiæ.

Vrbs hoc tempore eſt ampla, elegans, opulenta, ſplendida, populoſa, ædificijs magnifica tum publicis tum priuatis, imprimis Curiâ prouinciali, domo Gubernatoris, virorum nobilium ædibus illuſtris, templis egregijs & ſublimibus viſenda, hortis amœna, vijs munda, fluentis & riuis variè ſecta, atq; hinc nauigijs mediocribus, ſcaphis ac lintribus omni ſui parte permeabilis permagno habitorum ac Reip. commodo, eademq; viciſsim ponticulis plurimis latis, validis, ſilice vt plurimùm inſtar viarum ſtratis iuncta, vallo terreo lato & alto, foſsâq; item latâ ac profundâ, quæ vallum ambit, & radices eius foris ſtringit, circumcincta; propugnaculis inſuper terreis quinque, foſsâ etiam præcinctis, quatuor maioribus, vno minore, munita: quorum duo per collum prominens vallo connexa ſunt, reliqua foſsâ perpetuâ circumflua, omnia formæ ferè trigonæ. Ambitus vrbis in valli ſupercilio, vt ſupra notaui, paſſuum eſt circiter 1600. figuræ quadrangularis ac quadrilateræ, ſed laterum imparium: quorum laterum maximum Septentrioni obiectum, paulò minus oppoſitum ad Auſtrum, & adhuc breuius eo Ortum ſpectans, breuiſsimum Occidenti obuerſum. Portæ in hoc ambitu ſunt tres, obiectu totidem propugnaculorũ tectæ, VVirdumana in latere Auſtrino, Mariana in Occiduo, Cathariniana iuxta angulum Ortui æſtiuo expoſitum: canales verò ſub vallo ſtructi, quâ nauigijs exitus & ingreſſus patet, quatuor.

Subur-

Suburbium vrbi adhæret vnicum, quá ab Oriente venitur, ædificijs ac hortis frequens, cui à fluente præcipuo vrbem illic illabente, ac nauium statione Vleti nomen datum. Forum in vrbe longum magis quàm latum fluenti appositum, cum trutiná publicá ponderandis mercibus in fluenti orâ, negotiantium propria area. Ciues moribus comes & compositi, vrbani, industrij elegantiá ac nitore supellectilis, quá omnes domus intus fulgent, gaudentes, ingeniosi, opificijs varijs ac negotiationibus multum dediti. Negotiationes factitant non in vrbe solùm & agro circumiecto insigniter vbere, sed per vicinas quoq; & longinquas regiones, commerciaq; cum Frisijs omnibus Hollandis, Selandis, Geldris, Brabantis, Flandris, Britannis, Gallis, Hispanis, Danis, Suedis, Borußis, Polonis, Lituanis, Rußis habent. Situs Leoẅerdiæ, est in agro fœlicißimo, ac maximè vbere, præcipuè, quá Boream & Occasum spectat, fluentis & riuis nauium patientibus quaquaversùm distincto & irriguo: cuius pars ea, quæ in Occiduo latere est, & ab Austro in Septentrionem tractu longo, sed non æquè lato porrigitur, nunc superficie summá cum reliquo agro æquata, pingui limo sensim vi fluctuum oppleta, quondã, vt dixi, maris brachium fuit terris se insinuans, quam sumen Frisiæ non malè dixeris ob graminis & frugum vbertatem, in Septentrione clausa agro Bilthano, dono Oceani nouißimo, inclytæ fœcunditatis.

Sumen Frisiæ.

E fluminibus, quæ Leoẅerdiam ingrediuntur, maximum est id, quod Doccumum fertur; duobus ingentibus

gentibus milliaribus Germanicis Leowerdiâ disiunctum, vnde porrò post aliud milliare simile in profundum maris æstuarium inter insulas & continentem diffusum exit, mediocrium nauium eius generis, quæ Oceanũ quoq; ferre possunt, quas Carauelas *vocant, ad ipsam vsq; hanc vrbem patiens. Hinc commercia ciuitati expedita & facilia cum Husumanis, Hamburgensibus, Bremanis, Emdanis, Groninganis. Alterum ab Ortiuo vrbis latere, vbi Vletum dicitur, Orientem versus aliquousq; rectâ progressum, deinde in Meridiem cõuersum per ambages in lacus se fundit tum varijs riuis ad dextram emißis, per quos Sneca, Ilsta, VVorcumum, Hindelopa, Bolsuerdia acatijs & scaphis adiri possunt; demùm bifido meatu, altero Stauera in angustias Fleui, altero, quo Slotam diuidit, per emissarium Taconianum in sinũ Austrinum egreditur. Id tritum nauibus Amsterodamo, Monachodamo, Edamo, Hornâ, Enchusâ, Medenblico, itẽ Dauentriâ, Suollâ, Camponâ, Hassolta, Haderwico, Elburgo venientibus, atq; istuc euntibus. Quinetiam idem hoc fluentum, tùm antequam lacubus ingressum est, riuos nauigabiles recipit à sinistrâ, ac quicquid Ostergoæ pars ad Ortum & Meridem late patens, quicquid Syluestrium tractus gignit, frumentum, butyrum, caseos, lignum, cespites bituminosos in vsum foci, magnâ copiâ, ac facili negotio per eos delatum vectat ad vrbem, magnamq; vtilitatem non oppidanis tantùm, sed etiam agrarijs præstat. Adhæc hyberno quoq; tempore, cùm viæ canosæ atq; impeditæ sunt vt nec curribus*

nec equis, nec hominum pedibus pateant, ab omni parte, adeoq; Groningá se mouentibus iter expedit. Tertium in Occidentem porrectum nec procul vrbe valuis compressum. Franekeram, atq; indè Harlingam fertur, ibiq; per * canales ingentes alternis clausos & apertos in Oceani æstuarium effunditur. Quod ipsum tanti quoq; vsus est, vt nec nauigijs, nec vectoribus vltrò citroq; commeantibus vllo vnquam tempore diurno nocturnove, nisi gelu obster, vacet. Quinetiam minoribus riuis aliquot ex se emissis, quæ Snecam, Bolsuerdiam, VVorcumum, Stanorum deferuntur, istuc scaphis ac lintribus eundi copiam facit. Franecara Leowerdiá distat milliaribus Germanicis duobus sed minoribus, Harlingá Franecará vno tantùm. Cæteros aquarum riuos, qui agrum vicinum hac illac permeant, & vrbem subeunt, quamquam huiusmodi sint, vt scaphas & lintres importandis & exportandis rebus ferant, tamen, ne fiam prolixior, consultò prætereo.

* Canales Autor claustra aquarum appellat, alij cataractas dicunt.

VIRI DOCTI Leowerdiæ nati.

Ciuitas virorum eruditorum admodum ferax est, multosq; aut genuit aut aluit qui magnum sibi nomen ex literis peperêre, & patriæ vsui ac honori fuêre; in quorum numero est Petrus Aucama ille paulò antè memoratus, iurisconsultus insignis, qui cùm Oldermanni honore in ciuitate fungeretur, à Scieringijs anno 1481. per tumultum ciuitate oppressâ, fuit interemptus. Est & GEORGIVS RATALLERVS Ioanne Ratallero monetario natus, adsessor in magno senatu Mechliniensi, dein legatione functus apud re-

gem

gem Daniæ pro Margarethâ Parmensi Belgij gubernatrice, deniq; præses in curiâ prouinciali apud Vltraiectinos designatus; cùm eum locum aliquandiu cùm laude tenuisset, in eâdem dignitate vitam finijt anno 1581. Cuius eruditionem etiam nunc testantur libri ab eo editi. Nec *minor doctrinâ fuit* HAYO CAMMINGA *vir patriæ suæ nobilißimus, insulæ Amalandiæ dominus,* Erasmo Roterodamo *familiaris quondam & percarus, ex istius epistolis notus: qui infelici cæde peremptus apud suos perijt anno 1500. Et potuisset aliquod nomen tulisse ex literis Græcis & Latinis, quarũ nõ vulgari peritiâ imbutus fuit, quasq; Erfurti &* Louanij *publicè docuit,* SVFFRIDI PETRI *nisi & credulo nimis ingenio fuisset, & in scribendâ Historiâ, ad quam se senex contulit, iudicio claudicasset. Sed omnes, qui iam è viuis abiêre, longè superauit* VIGLIVS ZVICHEMVS *nõ in ipsâ vrbe, sed in agro vrbi proximo natus, in vrbe verò à teneris educatus: de quo tacere, quàm non paria gloriæ eius dicere, præstat. Paria autem dicere, difficillimum. Viuentes non attingo, quia scribere de ijs obtrectationi & inuidiæ est nimis obnoxium.*

Hæc fusius de Metropoli prouinciæ LEOVVERDIA: De *cæteris, vti par est, dicémus breuius, quia pleraq; ex ijs quæ de metropoli dicta sunt, intelligi possunt.*

FRANEKERA.

LEOVVERDIAM *meritò sequitur* Franekera *non ob antiquitatem, aut magnitudinem,*

aut

aut opes, sed quod Musarum sedes hodie sit in hac Frisiæ regione, & Leowerdiæ sit proxima, & mundicie reliquas regionis ciuitates superet. Sita est in solo vberrimo & lætißimo ad arandem simul & pascendum, vicis, quibus ipsa vrbs velut in orbem cingitur obsito frequentibus ac insignibus, quorum nonnulli oppidorum speciem tenent. Aspicit ad ortum Leowerdiam, ad Occasum Harlingam, in meridiem Bolsuerdiam, in Euroaustrum Snecam, nec procul hinc dextrorsum apparentem Ilstam: è quibus maximè vicina ei est Harlinga dein Bolsuerdia, tū Leowerdia, postea Sneca, longißime remota Ilsta. Condita traditur anno æræ Christianæ 1191. imperante in Germaniâ & Italiâ Henrico VI. Friderici I. filio. Asseruat in curiâ suâ patentes literas binas in solenni cōuentu Herwerti prope Bolsuerdiam alteras, Lundinkercki iuxta Harlingam alteras, ab antistitibus vtriusq; loci signatas, anno æræ eiusdem 1323. die 12. Iunij, ex quarum sententiâ Harlinga subijcitur iurisdictioni ciuitatis huiusce. Et testes sunt literæ aliæ scriptæ anno 1470. die 13. Maij, decreto publico tributam esse eidem potestatem iudicandi de causis omnis generis, ciuilibus & criminalibus mulctandi, coercendi, capitis supplicio afficiendi: constitutam eam sedem tribunalis superioris, comitiorumque: datum ei soli in tota hac Frisiæ parte ius binarum nundinarum quotannis habendarum emendis vendendisq; equis ac bobus. Ego verò arbitror ad iurisdictionem quod attinet, non tum demum eam eius esse cepisse, sed iam olim eiusdē fuisse;

ius

ius autem tum fortè fluctuans, aut iamdudum ambitione familiarum nobilium turbatum tempore periculoso, quo Carolus Burgundus Frisiæ imminebat, oppidumq; beneuolis toti populo erat opus, firmatum rursum isto decreto, aut restitutum esse. Ad hæc aiunt, quondam præfecturas vicinas, Franekeranam, Barranam, Barderanam Menaldumanam, Hennarderanam, iudiciorum suorum sedem in hoc oppido habuisse, illic earum præfectos singulis septimanis alios alijs diebus ius suis dixisse, amptmannum oppidanum tum præfecturæ Franekeranæ Grietmannum fuisse, tum inter Grietmannos reliquos principem locum, velut ephorum, tenuisse; atq; inde adeò esse, quod hæc ciuitas etiam nunc archipolis eiusdem illius viciniæ nuncupatur, & præfecturæ distinctos iudiciorum dies adhuc obseruent, quanquam primatus ille inter Grietmannos iam à longissimo tempore desierit, ac penè ex hominum memoriâ abierit, & Grietmanni non alibi quàm in præfecturis suis forum agant, excepto eo, qui præfecturæ Franekeranæ præest, qui ne nunc quidem desinit in oppido ius agrarijs dicere. Delectata quondam singulari loci huius commoditate & salubritate nobilitas valde frequens domicilia hic posuit, vt penè nusquam tota Frisia frequentius. Quam ob causam à nonnullis nobilium sedes hoc oppidum est nominatum. In ijs Botnyai, Marteny, Decemai, Ockingij, & ante cæteros Siardai fuere. Et horum quidem adeo hic potentia creuit ante annos 200. vt omnia in ciuitate pro libitu suo administrarent, ac ius publicum in se ver-

terent,

terent, senatum & ciues in potestate haberent. Familiæ caput fuit Sicco Siarda Sciringiorum tota regione princeps, vehemens in partibus & aduersariæ factionis persecutor grauißimus: à quo exstructa arx est in aditu oppidi, quâ ab Occidente venitur, opere lateritio firmißimo, profundâ latâq; fossâ circumfluo, ex cuius aquis opus assurgit, ita locata, vt eam qui teneret, oppidum ipsum sine dubio teneret. Hæc ea est, quam primã sibi sedem domicilij cepit Albertus Saxoniæ princeps, in qua relictus Henricus filius grauißimam obsidionem sustinuit anno æræ Christianæ 1500. fretus & subnixus potißimum singulari fide & fortitudine huius ciuitatis. Ciuitas pro modo virium suarum nõ segnis in armis, ac in fide partium, cui se dedit, constans. Argumento sunt gesta bello Groningano anno 1496: cum penè sola reliquias fortunæ partium Sciringicarum sustentauit, & hoc, quem iam dixi tumultu populari, commotâ contra Saxones totâ natione, & proximis quoq; annis bello Hispanico, imprimis eo tempore, quo prœlium Buxumanum est commissum. Itaq; à Saxonibus quoq; honoris causa 200. agri Bilthani iugeribus, & immunitate vectigalium vini ac ceruisiæ donata fuit. Reip. status ei similis cum ciuitatibus cæteris & ante principatum & sub principibus fuit. Restitutâ libertate, secuta partes Leovverdiensium, ipsa sibi quotannis prid. Kal. Ianuarij consules sex designat, eodem omninò modo & ex eodem generalium Ordinum indulto, quo senatum suum Leovverdia. Nam sex consulatu decessuri ante omnia

sex

ſex alios ex vniuerſo corpore ciuitatis nominant, ſibiq́; iungunt: dein totidē edunt præter hos, iisq́; in curiam vocatis priorum illorum nomina aperiunt, atq; ita è curia decedunt. Editi verò per ſuffragia continuè tres ſibi adiungunt, qui nec in numero ſint eorum, qui conſulatu tū abeunt, nec in illorum, quos illi primum nominarunt. Hi 9. quatuor ex ſe per ſortem reiiciunt. Reliqui quinque conclaui incluſi è ſex conſulatu deceſſuris, & totidem per eoſdem primum nominatis ſex eligunt conſules nouos: nec prius è conclaui diſcedunt, quàm re confectâ. Electi conſulari nomine ornati ſoli totum ſenatum heic conficiunt, & Remp. oppidanam adminiſtrant, ius ciuibus dicunt: cum cauſa paulò difficilior, & quæ quæſtionem iuris habet, agitur, operâ iureconſulti vtuntur, qui Syndici vicem tenet, ei acta examinanda tradunt, ex eius conſilio ſententiam vt plurimùm ferunt: à qua prouocare ad curiam ſummam prouinciæ licet. De maleficiis grauioribus non iudicant. Scribam à ſecretis habent perpetuum: qui cum ingenio valet, ſenatum ferè regit, & quouis conſule plus poteſt, quanquam conſulum ipſe miniſter ſit, & ſuo nomine nihil agat, nec ſuffragium ferat. Semel in conſulum numerum allecti plerumque ſæpius reficiuntur, & conſulatus multiplicant: interdum in collegium 9. virûm, quod Leoværdiæ eſt, cooptantur, nonnunquam etiam Hagam, vt ſedeant in ſenatu Ordinum, aut collegio ſupremo, aut munera obeant alia honorata & fructuoſa, mittuntur. Præter conſules in Rep. ſunt 8. viri iurati, plebis

patroni,

patroni, quos ipsi consules quotannis mox à Kalendis Ianuarijs eligunt more Leowerdiano: quibus idem quoq; munus est hic, quod Leowerdianis istic. Plebs reliqua quieta res suas curat, à Rep. abstinet. Ordo tamen armorum heic etiam idem qui Leowerdiæ, ac eadem eligendi eos, qui in cohortibus præsunt, ratio. Verùm cohortium numerus heic quaternario non maior. Itaq; & præfecti tantum quatuor, ac totidem signiferi, totidem præfectorum legati: minorq; in collegio hoc autoritas. Nec deest vigilium magister apparitoris instar senatus nutum intuens, acceptis à Consule clauibus portarum & portuum seras aperiens & claudens: nec quæstor pecuniam publicam ciuitatis curans. Tota verò ciuitas paræciâ vna continetur, templumq; paræciæ vnum habet structurâ magnificâ & amplâ, cum turri excelsâ, in conum latè spectabilem surgente. In eo duo docent verbi diuini ministri & sacra peragunt; habentq; sibi adiunctos Ecclesiæ seniores 4. cum quibus presbyterium conficiunt: cuius munus idem etiam hic, quod Leowerdiæ: atq; eadem quoq; hic diaconiæ pauperum ratio: verum numerus diaconorum etiam heic quàm est Leowerdiæ, dimidio minor. Seniores in munere manent quadriennium: diaconi biennium: ex istis quotannis decedit vnus, ex his duo, ac totidem decedentibus sufficiuntur, seniores quidem à verbi ministris & senioribus tantum, diaconi verò ab ijsdem symmystis & senioribus, & diaconis pariter. Sed nec horum, nec illorum electio habetur rata, nisi Ecclesiæ vniuersæ iudicio probetur. In hunc

finem

finem tribus, qui proximè ſequuntur, diebus Dominicis electi Eccleſiæ proponuntur: ſimulq́ monentur omnes, qui adſunt, vt ſi quid habeant, cur in electione peccatum arbitrentur, id dum correctioni adhuc locus, indicent. Silentium omnium pro approbatione accipitur: & tum ſequitur ſolennis electorum confirmatio. Hæc electio quotannis fit die Dominicâ, qui proximè Kalendas Nouembris præcedit, qui ſtatus quoq; iſtic eſt celebrãdæ ſacræ ſynaxi: quando etiam publicè ante ipſam electionẽ preces ad Deum concipiuntur pro felici eius ſucceſſu ad nominis diuini gloriam, & Eccleſiæ incrementum. Eccleſiæ miniſtri etiam heic pares inter ſe ſunt, nec alter alterum gradu aut honore antecedit. Si eorum alter aut morte, aut diſceſſu locum vacuum fecerit, alter qui reliquus eſt, ac ſeniores, & diaconi iure ſuo deſignant ſucceſſorem, deſignatumq́ ſenatui offerunt, vt is factum ipſorum probet, ac vocationem promoueat. Dein deſignatus Eccleſiæ ternis quoq; vicibus proponitur, auditur, niſi quid obſtet, aut offendat, ſolenni ritu in ſacrum munus, vti ſymmyſta immittitur. Habet & hæc ciuitas egregium ὀρφανοτροφεῖον, in quo 30. pueri puellæq́ tenuis fortunæ educantur honeſtè, & cum ad ætatem peruenerint, pecuniâ modicâ in dotem aut res alias adiuuantur: habet ædificium aliud alendis ſenioribus comparatum inſtituto nupero. Quid de ſchola literaria dicam? in qua pueri adoleſcenteſq́ bonas literas, linguas, artes liberales, rudimenta doctrinæ cœleſtis diſcunt, donec aut aliud vitæ genus occipiant, aut Academiæ iungantur:

cui præfuit non ita nuper Ioannes Fungerus eruditis scriptis celebris. Nulla vrbium Frisiæ amœnitate & elegantiâ cum hac potest cõtendere, quanquã magnitudine, quædã eam vincant. Aër benignus & salubris, vici omnes, quos plateas vulgò dicimus, mundissimi & cœni prorsus expertes, tam hyeme quam æstate: riuis vt plurimum dirempti longitudinem eorum percurrentibus, & nauigia ferentibus, quæ commeant per omnes oppidi partes, sed ijdem pontibus multis & latis, & silice ferè stratis iuncti, domus ciuium pleræq; nitidæ & pulchræ, nobilium amplæ & superbâ specie, numero nõ paucæ: quarum vetustissima & nobilissima ac maximè spectabilis post arcem Siardaam Botnyæa è regione curiæ sita cum horto cohærente spaciosissimo: & post hanc Martenia ab Hesselo Martena Saxonicis temporibus structa in meditullio oppidi: tum Decaniæa ad forum, & Siardæa altera templo proxima, item altera Botnyæa, & Ockingia: reliquas mitto. Ipsa curia pro oppidi modo pulchra & magnifica, loco sita commodo, vbi in oculos hominũ in oppidum venientium maximè incurrit: forum quadratum templo vicinum: horti multi. Franekera spacio oblonga, nec in circulum se sinuans, nec quadrilatera, forma mixta, cincta fossa & vallo terreo conchis ita strato, vt aëre etiam pluuio cœnoso luto careat. Portas habet tres, in ortum, in occasum, in Septentrionem mittentes: canales magnos per quos nauigia subeunt in vrbem, & exeunt, quatuor, suburbium quoq; haud temnendum, à vento circio vrbi imminens, vtriq; ripæ fluminis Harlingam euntis

adsitum,

adſitum, oblongi vici ſimile. Annona nunquam non copioſa & facilis, frumenti omne genus, caro, piſces, butyrum, lac, caſei, vinum, cereuiſia, ſerum lactis: quæ per riuos ex omni agri parte & totâ regione commodiſſimè huc importantur. Nec negotiationes cum exteris deſunt eorundem riuorum commoditate conciliatæ. Mercatus omni hebdomade feriâ quintâ: ſed quolibet anno bini multo maiores, die 25. Iulij, & 10. Octobris confluxu exterorum frequentiſſimi; ad quos compellitur numerus ingens pecoris bubuli, equinique. Ob hæc & olim comitia gentis aliquando hic acta ſunt, & proximis annis, cum diſcordia Ordinum multa nouaret, pro Leouerdiâ hic comitiorum locus electus eſt, & collegij 9. virûm ibidem quoq; ſedem cepit: verum id durabile non fuit. Hoc vero maioris momenti eſt, quod cum conſtitutum Ordinibus eſſet, φροντιστήριον publicum ſacris & bonis literis ſuâ quoque in prouinciâ aperire, & huc magnam partem cenſuum monaſticorum conferre, prælata cæteris omnibus oppidis Franekera ſit, quæ ſedem ei daret. Plura enim hic huiuſmodi rei commoda cõcurrere viſa ſunt, quam vſquam alibi: oppidi totius munditiες rara, hortorum & qui circum circa ſunt camporũ arridens amœnitas, aëris ipſius ſingularis bonitas, cõmeatuum, & omnium rerũ neceſſariarum affluentia, remotus à fori, & magnarum negociationum ſtrepitu ſeceſſus. In quo ſuſpicienda Ordinum iſtius temporis pietas & virtus eſt, qui exemplo optimo vicinorum cum bellum atrox his locis maximè ferueret, & rerum

summa nutare, ac in summo periculo esse videretur, hanc curam susceperunt, & quod ornandæ firmandæq́; Reip. & illustrandæ ac propagandæ religioni esse norant, maximis sumptibus instituere non dubitarunt. Factum hoc anno 1585. auspice ac suasore maximo D. Guilhelmo Lud. Comite Nassouio, Principe pientissimo & sapientissimo fortissimoq́;, & amatore ac patrono bonarum literarum præcipuo, qui nuper adeò prouinciæ gubernationem inierat. Locus in cœnobio Crucigerorum, quod in occiduâ oppidi regione erat nõ procul mœnibus haud paruis impendijs adornatus: fanum monasticum actionibus Academicis solemnioribus, & exercitijs eorum, qui docendæ Ecclesiæ se paraturi erant, dicatum. Academia ipsa fœlicibus auspicijs die 29. Iulij eiusdem anni solenni ritu introducta, verba Ordinum, & gubernatoris nomine faciente D. Abelo Frankena, & orationem eius excipiente ac fusius perorante Henrico Antonide Theologo. Professores designati 7. quorum tres Theologi, Martinus Lydius Lubecensis ætate iam maturâ, primus Academiæ Rector, Henricus Antonides Nerdenus, vir insigniter facundus, Sibrandus Lubbertus non obscuris maioribus in Frisiâ Transiadana ortus, ætate minimus, sed priorum famam cum progressu temporis docendo, disputando, scribendo supergressus; reliqui in suo doctrinæ genere singuli tantum, Henricus Scotanus Frisius iurisconsultus, Allardus Auletius Frisius medicus, Ioannes Drusius Flander linguæ Hebrææ, Petreius Tiara Frisius linguæ Græcæ professores. Et hic quidem, qui in

scholâ

ſcholâ illuſtri Louanienſi adoleuerat, atq; illic ſe exercuerat, non ſolùm in primos exorientis Academiæ Duacenſis profeſſores, ſed etiam naſcentis Academiæ Leidenſis primus Rector fuerat. Verùm creſcente Academiæ recentis fortunâ, auctis quoq; ærarij ſacri cenſibus, numerus Profeſſorum cum tempore etiam factus eſt maior. Primum inter omnes nomen doctrinâ, induſtriâ, morum grauitate, tuendæ orthodoxiæ ſtudio indefeſſo paratum retinuit, & adhuc retinet Sibrandus Lubbertus Academiæ huius oculus, & columen, qui niſi rem fulciſſet diſciplinæ vitio labentem, fortuna eius minor, quàm iam eſt, ſine dubio fuiſſet. Hoc ei elogium debetur quemadmodũ egregium ita verum, vt angat etiam ſe propterea, crepetve inuidia. Ne quid verò inſtituto huic prouehendo à ſe deeſſet, ijdem Ordines haud paruâ in hanc rem conſtitutâ pecuniâ literarum ſtudioſis mẽſam publicam etiam aparuêre, ad iuuandos, qui his ſtudijs quidem gauderent, & ingenijs eſſent commodis, ſed domi res anguſtiores haberent, quàm vt ſtudiorum ſumptus neceſſarios de ſuo ferre poſſent. Menſæ modus ſtatutus eſt, vt pateret iuuenibus 60. Datus œconomus, qui eam cibo, potu, rebus cæteris, quantum ſatis eſſet, inſtrueret quotidiè ter, & à ſingulis, qui eâ vterentur, non amplius exigeret in annum, quam aureos Carolinos 45. reliquum caperet ex publico. Additæ leges ad Ordinem pertinentes ſeruandum in menſâ, ad honeſtatem pariter & pietatem comparatæ. Res tota vtiliſſima, & ſumma laude digna, quâ adiuti multi, qui à fortunâ deſtituti emer-

gere non potuissent, ad præclaram frugem peruenêre, & Ecclesiæ ac Reip. non vsui solùm, sed ornamento quoq; & honori fuere. Et huic luculento beneficio in rem literariam aliud quoq; non minus beneficium Ordines addidere. Nam ingeniis melioribus quæ spem frugis præmittunt, stipendia insuper liberalia constituere non paruo numero, eaq; pro cuiusq; conditione & fortunâ tum his, qui in patria studiis incumberent, tum iis etiam, qui Academias adirent peregrinas.

HARLINGA.

HARLINGA nunc ciuitatum huius prouinciæ post Leowerdiam maxima, populosissima, ditissima. Quondam viculus obscurus in extremo litore VVestergoæ ad Occidentem situs iuxta ipsos aggeres, medius inter domos duas lateritii operis maiores, virorum nobilium sedes, quarum alteri vocabulum Harliga, alteri Harns erat. Vnde dubia aliquandiu vici appellatio fuit, aliis hoc, aliis illo vocabulo eum afficientibus: donec tandē excisâ domo Harliga à Ludingkerkiis monachis, & vico in excisæ solum extenso huius nomen præualuit, ex quo vsus sensim Harlingæ vocabulum fecit. Harligæ excidium commentarii quidem non optimæ fidei ab Andreâ Cornelio congesti ad annum in ærâ Christianâ 1234. referunt. Sed Oceani sæuities litori incumbens vici solum cum ædificiis abrasit sensim, atq; vndis obruit,

vicusq;

vicusq; instauratus ædificijs introrsum retractus Orientem versus, Almenoq; vico celebri proxime admotus fuit; Franekerano olim territorio adscriptus. Creuit paulatim, & fori aut conciliabuli speciem induit: demum auctâ fortunâ ciuitatis ius accepit, etiam cum mœnibus cincta non esset. Quod quando factum sit, affirmare certò non possum. Andreæ quidem Cornelio adhibere fidem non audeo. Arcem illic vallo & fossa munitam, & opere lateritio validam struxere Groningani in Austrino oppidi latere, anno 1496. Quadriennio post Albertus Saxo qui anno priore ex Hollandia istuc appulerat, ibiq; primum pedem posuerat in Frisiâ, absens per filium, aliam multo validiorem ac maiorem in litore ibidem condidit: quam castellum appellarunt. Quæ velut frenum fuit oræ illi impositum: integrataq; sæpè, & maioribus operibus ornata & firmata durauit ad vltima vsq; principatus tempora: cum cuius fine ipsa quoq; à populo capta & magnam partem solo æquata est, frenumq; hoc oppido ac toti viciniæ demptum. Munitionum oppidum ambientium initium mihi ignoratum. Hoc tamen scio, id non admodum vetustum esse, nec procul memoriam nostram antecedere. Oppidum ipsum ampliatum ob hominum istuc confluentiam copiam anno 1543. & nouâ rursum accessione auctum anno 1579. & eo, qui proxime est secutus, consilio & studio Guilhelmi principis Aurantij: cui mens erat, non solùm rerum maritimarum emporium nobilius illic Frisiis aperire, sed

etiam per hunc locum maximè idoneum Hollandiam arctius cum Frisiá coniungere, ac portam eam immittendis in regionem exercitibus contra Hispanos in potestate habere. Ideo ingens vallum terreum, cum latá profundâq; fossá ampliato oppido circumductum, & Almenum totum, quem vicum fuisse dixi oppido vicinum, ambitu nouarum munitionum comprehensum, oppidoq; additum. Nec hic modus huius rei stetit: sed crescentibus negotijs, crescente fortuná ac populo, anno 1597. rursum mœnia prolata, spaciumq; negotijs & opificijs laxius apertum, naualia recipiendis pluribus nauibus hyemandi causâ duplicata, reliquiæ arcis mœnibus inclusæ, portus maioribus operibus instructus, oppidum in eam formam redactum, vt iam quartá sui parte à mari alluatur. Eâ verò parte operibus firmissimis contra maris vim est munitum, ne quid inde detrimenti ei eueniat. Figura ferè quadrata est: ambitus eius Leowerdiano paulo minor est in valli crepidine, quâ vallum est, Vallo autem propugnacula 8. vastæ molis è terra aggestu annexa, ita dispofita, vt defensionem & vallo & sibi inuicem præstare posse videantur facillimam & tutissimam. Solum circum oppidum humile, & inundationi obnoxium, si aquarum claustra aperiantur: atq; ita oppugnatio & obsidio ibi valde difficilis. Alioqui ager gramine & frumento fœcundus, ac vicis egregijs frequens, quàm aggeres vtrimq; in boream & meridiem oppidum attingentes contra Oceani fluctus tegunt, & riui oppidum ingredientes permeantesq; variè secant. Per hos riuos

actuarijs

actuarijs nauibus, lembis, scaphis, lintribus commeatus expeditus Harlingá patet ad omnia omninò regionis huius oppida, quæ inter Fleuum & Lauicam iacent, & ad vicos plurimos. Per mare verò holcadibus & onerarijs alijs maioribus ac minoribus, carauelis, acatijs in cunctas maritimas vrbes & prouincias propinquas & longinquas. Cui rei seruit cum situ, quem dixi, portus amplißimus. Hinc porrò incredibilis nauium omnis generis, & nautarum & maritimis rebus deditorum hominum heic copia: hinc maxima commerciorum & negotiationum frequentia. Portus tamen quanquam fœlix sit, tamen non parum fœlicior esset, si vno incommodo careret. Id est à vadoso maris æstuario, quod vrbi abijcitur, quo fit, vt magnæ naues ex Oceano venientes nisi onere leuata ad vrbem appropinquare nō poßint, coganturq; procul è conspectu interuallo ab vrbe quinq; millium paß. non minore in ancoris consistere: vbi vetus alueus, cui Iettinga nomen, haud incommodam ijs stationem, & à periculis tempestatum satis tutam præbet. Alueus enim ille non procul ostio Fleui cum Fleuo se iungens, paulò interius obiectu editiorum laterum, quæ puluinaria arenosa sunt vndis, cùm intumuit mare, cooperta, contra ventorum sæuientium vim tribus à plagis protegitur. Ad cuius exitum insula exigua posita est in conspectu Fleuolandiæ, qua parte Fleuolandia Orientem spectat, gramine vber, sed supra villas quatuor ob angustiam non habens. Hoc in alueo cùm ad ancoras stant naues onustæ, excipiunt alias ab vrbe emissas minores, quæ

vadum traijcere possunt: per quas exonerata, rebusq́ necessarijs rursum à suis instructa mare repetunt: sub hyemem verò onere leuata obseruatâ æstus marini oportunitate ad vrbem ipse contendunt, portumq́ subeunt, qui vno ore intra vrbem ingressus hodie in duos alueos latos & profundos sese diuidit, atq́ ibi hyemem exigunt. Halecum captura magno ausu magnis impendijs ante biennium heic à ciuibus instituta, sed euentu hactenus improspero. Plurima multitudo, quæ mari operam non dat, opificijs varijs dedita est. Texuntur hic telæ ex lino & cannabe omnigenæ, quarum nomenclaturas Latinè dicere non queas. Nullius verò copia maior, quàm ex quâ nauium vela conficiuntur, quæ hinc in omnes exportantur plagas. Merces, quarum importatio & exportatio quàm maximè hic feruet, exotici generis sunt triticum, secale, hordeum, auena, frumentum tostum coquendæ cereuisiæ: item, linum, cannabis, pix, axungia, carbones fossiles, quibus fabri ferrarij vtuntur, & ante omnes reliquas materies Norwegica, mali pinei, trabes, asseres, tigna abiegna: ἐπιχώρια, frumenti species variæ, legumina, butyrum, casei, lardum, adeps, caro salita, equi, pecudum opimarum omne genus. Sunt etiam heic officinæ multæ excoquendo sali copiosi quæstus, & extra mœnia oppidi ad riuorũ oras molitrinæ conficiundæ chartæ, & serræ secandis trabibus, fornaces calcariæ, tegulariæ literariæ: in quarum simul & officinarum salariarum, ac totius oppidi huius vsum tantũ cespitum bituminosorum absumitur, quantum vix in reliquis

omnibus

omnibus regionis huius oppidis. Vici oppidi elegantes, mundi, recti, plerique riuis nauigabilibus bifariam in longum secti: ædificia multò plurima noua & nitētia, pulchrâ supellectile instructa. Portæ in agrum emittentes itinere terrestri quatuor: quinta in portum ducit; aquarum claustra, per quæ riui in portus effunduntur, quatuor: forum pro oppidi magnitudine non amplum; curia quoque modica: templum vnum eo loci, vbi Almenum quondā fuit, cuius vsui etiam, antequā oppidum factū esset Harlinga, seruijt. Regitur ciuitas à senatu annuo virorum 8. quos omnes cōsules vocant. Hi exeunte anno totidem legunt ex ciuium numero, maximeque ex delectorum concilio, quod iuratum dicunt, & horum nomina cum nominibus suis mittunt ad summam curiam. Tum curia suo & gubernatoris nomine per senatorum vnum Harlingam missum inquirit diligenter in omnes, & eo Leouerdiam reuerso auditoque, ac adhibito in consilium gubernatore, ex 16. illis 8. deligit, qui ciuitati per annum proximum præsint, siue eosdem, qui annum iam aut amplius in senatu fuere, siue alios. Id enim ex lege liberum. Et non rarò fit, vt quatuor noui quatuor veteribus addantur, interdum veteres omnes in munere relinquantur, interdum omnes noui designentur, interdum hi aut illi pauciores, & contra. Quo facto, idem ille, qui ante, Harlingam remittitur instructus literis mandati ad senatum veterem, annoque surgente in senatu futuros coram populo edit, ac hos Reip. iuratos apud se, in possessionem muneris solenniter immittit.

Tum

Tum senatus munus suum occipiens 8. viros tribunitiæ potestatis nominat siue eos, qui in cõcilio iam sederunt siue alios è numero reliquorum ciuium: quorum officium est in hac ciuitate, idem, quod est Leowerdiæ & Franekeræ. Senatus ius dicit ciuibus, & Reip. consulit. Hi senatum monent, & si res poscat, actionibus eius intercedunt. Senatui aßidet, qui ciuitati à secretis est, iurisperitus: autoritate magnus ob perpetuum munus, senatus consilia multum regens, & sententias eius, quæ ciuibus iure experientibus feruntur, in hanc aut illam partem non parum inclinans: quanquam habeat etiam heic senatus, vt de Franekera dixi, iureconsultum alium, cuius consilio in concipiendis sententijs huiusmodi solet vti. Quæ sententiæ si partibus non placeant, prouocatio ab ijs datur ad summam curiam. Ciuitas diuisa solet esse in cohortes ciuium sex: nunc auctis eius rebus diuiditur in octo. Præfecti harum cum vexilliferis immediatè designantur à senatu, & eius iussa intuentur: annui quidem, sed vt plurimùm sæpè refecti per complures annos munus continuant. Vigilias obeunt ex senatus voluntate nunc armatâ productâque, ac per oppidum dispositâ totâ cohorte, nunc solo semisse, aut quadrante, alij post alios, ordine in orbem redeunte. His adiunctus est præfectus vigilum, idem munus heic gerens, quod eiusdem generis alij in alijs Frisiæ oppidis. Habet Harlinga & quæstorem suum ærarij magistrum, & ædilem fabricas publicas curantem. Parœcia ciuitatis vna. Ecclesiam docent verbi ministri duo: quibus labor maximus tum

ob

ob exuberantem in hoc oppido Anabaptistarum variorum numerum, qui suos quoq; cœtus manifestos hic habent. Cætero qui gubernatio Ecclesiæ, seniores, diaconi, eorum ordo, electio, succeßio, & quæ eo pertinent omnia, non aliter comparata sunt, quàm Leowerdiæ & Franekeræ. Nec dißimilis ratio in reliquis pauperum curatoribus. Sed Harlinga ad proximos vsq; ad annos expers nosocomij, expers orphanotrophei fuit: quod accidit ob fortunæ eius nuper adeò nascentis nouitatem. Nunc verò senatus & bonorum studio vtriusq; fundamenta præclara iacta sunt, ædificiaq; in hanc rem structa in areâ dirutæ arcis, & vtrumq; institutum, liberalitate ciuium indies non parum augescit. Nec destituuntur Harlingani literario ludo egregio, in quo præcepta discenda Græcæ & Latinæ linguæ, initiaq; liberalium artium, ac simul fundamenta doctrinæ Christianæ fideliter traduntur à Rectore & hypodidascalis tribus. Verùm quia monasticos reditus ipsi nullos habent (nec enim in oppido hoc vllum fuit vnquā monasterium) nec quicquam decerpere sacerdotalibus poßunt, quippe quæ vix alendis duobus tribusve Ecclesiæ ministris sufficiunt, hoc impetrarunt, ab ordinibus prouinciæ, vt à sacri ærarij quæstore capiant quotannis tantum, quantum stipendijs scholasticis satis esse tum visum fuit. Id verò nunc senatus auget ex æquo & bono adijciens aliquid de suo.

BOLSVER-

BOLSVERDIA.

BOLSVERDIA ex vetustissimis Frisiæ oppidis in VVestergoâ sita, magno milliari Germanico à litore maris, loco paulùm supra planiciem circumiacentis agri & pascua pariter & sementem felicis adsurgente, qualem locum Weerdt vocari linguâ patriâ dixi. Dicta non à Bolsuinâ Radbodi Frisiorum regis filiâ Haraldo nuptâ, vt fabulatur Andreas Cornelius scriptor ineptus, nec à voce Bodel, quâ olim profundū maris aut fluuij significatum fuit, sed à Bolone, aut Bodelone, vt vetustas locuta est, conditore aut loci istius quondam domino. Ad quem locum editiorem aquarū sinus è maris brachio Ostergoam & VVestergoam longo tractu dirimente se olim infudit, nunc limo inuecto refertur, & in agrum fœcundissimum conuersus est, cui nouo nomen ex re inditum, cum paræciâ nominis eiusdem: restantq; etiam nunc aggerum veterum vestigia, qui sinum eum olim præcinxêre. Distat Leoverdiâ tribus magnis milliaribus Germanicis, Franekera duobus, Harlingâ totidem, Sneca vno, VVorcumo itidem vno, Hindelopâ vno cum semisse, duobus cū semisse Stauerâ. Leoverdiam intuetur versus ortum æstiuum, Frankeram in Septentrionem, Harlingam in Corum, VVorcumum, Hindelopam, Stauerum in Austroafricum, Snecam in Vulturnum. Portum habet nō incommodum imò milliari Germanico ab oppido disiunctū rectâ in occasum iuxta Maccumum vicum celebrem & magnū, quem portum canalis Maccumanus in aggere eius ora defossus &

sus & valuis compressus efficit, aquas in Fleuum effundens: vnde riuus nauigabilis ad ipsum oppidum pertinet. Et præter hunc portu quoq; vtitur VVorcumano in eadem orâ, sed vno milliari simili magis in meridiem vergente, à quo etiam riuus ad oppidum ducit. Horum portuum oportunitate res maritimas quoq; olim vsurpauit, & per eas auxit fortunam suam. Nunc res maritimas vix attingit, sed commercia cum oppidis cæteris iam nominatis, & cum omni circumposito agro exercet. Ad quã rem magno vsui sunt riui in omnem partem ab oppido hoc se extendentes, & reliqua omnia totâ regione & cum his maximum numerum vicorum alluentes, lemborum & scapharum patientes, Bolsuerdia Ansiaticarum ciuitatum Germaniæ socia est, quod cum solá Staurâ in hoc prouincia commune habet: varijs quondam casibus iactata fuit sæuientibus anarchiæ tempore infandis factionibus, & post bello Saxonico ac Geldrico, quos in historia exposuimus. De cuius imperio dum ludxo ludxingius contra fratris filium Gostlicum decertat arma ciuilia sunt commota, quæ Saxones Gostlico suppetias ferentes in Frisiam duxerunt, & libertati finem attulere. Præter alia ex bello mala bis intra 40. annos graue detrimentum ab igne passa est, semel anno æræ Christianæ 1475. cum incendio fortuito propè media oppidi pars est absumpta; iterum anno 1515. cum à militibus legionis nigræ igne iniecti, paucis ædificijs exceptis tota pene flammis perijt. In potestatem domus Burgundicæ venit anno demum 1523.

sub

ſub qua alas rurſum mouere cœpit: at à reparatâ libertate non ſolùm nitori priſtino reſtituta eſt, ſed priorem quoq; fortunam exceßit. Habet in ambitu circiter duo paſſ. millia, quātum quis hora dimidio inambulans obire poteſt: olim muro cincta factionum pudendarum tempore: dein ante annos iam plus minus 150. vallo terreo circumdata cum foßá foris vallum ſtringente. Populoſa, ædificijs elegans & frequens: riuis perflua, atq; inde nauigijs minoribus peruia, annonâ omnigenâ abundans. Curia eius vetuſta magis quàm ampla, ſenatus ſedes: cui perampla & magnifica domus cum veſtibulo hortoq; ſpecioſo, quæ Longamœorum quondam fuit, vicina eſt. Templum commune in vſum totius populi vnum tantummodò ſatis magnificum cum areâ amœnâ, quam cœmitorium vocant: in quo conciones ſacræ habentur, & reliqua ſacra peraguntur à miniſtris aut myſtis duobus. Sed præter hoc monaſtica clauſtra cùm fanis tribus Franciſcanum conditum anno 1281. Ioanniticum ex parœciâ Pingumanâ, quæ eſt in vicino agro, anno 1509. huc tranſlatum ob eluuiones parœciæ iſti infeſtas, tertium id, quod Spiritus S. vocatum, virginibus velatis dicatum, fortunæ tenuis, ortus incerti. Ex his Ioanniticum, cenſibus eius Epiſcopatui nouo Leovverdiano adſcriptis, & cœnobitis alio traductis, quod acsidit anno 1570. ſenſim concidit. Ad hæc in oppido eſt ξενοδοχεῖον egregium, quondam ſitum eo loco vbi poſt ſtetit cœnobium Ioanniticum, cui in oppidum tranſlato ceßit, dedicatum cum fano modico, autore Paulo II. Papâ

Romano

Romano cùm annus flueret 1474. Et fani huius appendix sacellum exiguum, beatæ virgini Mariæ, apud sylvestres Frisios superstitiosis aut fictis miraculis claræ consecratum, cui superstitio etiam hic mirifica quædam adscripsit affinxitve, nunc ad forum positum. Est etiam πτωχοδοχεῖον ab isto diversum. In istud recipiuntur cives & peregrini vtriusq; sexus, adulti, depensâ pecuniâ modicâ, & honestè ac mundè ibidem habentur, & aluntur. In hoc pauperculi oppidani partim durâ egestate pressi, partim senio confecti, partim vitijs corporis aut mentis alijs obnoxij admissi, habitatione, cibo, potu, pecuniâ, veste, fomentis ignis pro cuiusq; conditione iuuantur. Accedit ὀρφανοζοφεῖον à consule oppidano Nannone Reinsio, eiusq; coniuge Hidda Herenia anno 1542. structum, & liberaliter dotatum, in levamen & solatium fortunæ orborum. Populus oppidi huius moribus compositis, pecuariæ rei, aut artificijs sedentarijs commercijsq; deditus, industrius, libertatis amans, cæteroqui naturâ quietus. Status Reip. oppidanæ, cùm staret prisca libertas, aristocraticus. Penes 36. cura & potestas publica fuit, quos ex numero isto 36. viros appellarunt. Horum quatuor Consules res ciuitatis curabant, quatuor Scabini ciuibus ius dicebant, totidem alij senatores dicti pecuniæ publicæ praerant, criminum reos arcessebant, sententias Scabinorum exequebantur. Ac hi omnes numero 12. senatum conficiebant: sed singuli non nisi biennium honorem & munus tenebant. Quotannis enim duo Consules, duo Scabini, duo Senatores ineunte

K Ianuario

Ianuario senatu decedebant, iisq; totidem alij sufficiebantur, ea, vti credo, ratione (nam certius quod dicam, nō habeo) quam aperui, cum in genere de politiâ omnium ciuitatum huius prouinciæ ante imperium Saxonicum, proposito exemplo Snecano agerem. Idq; perpetuò redibat in orbem. Reliqui 24. concilium iuratum dicebantur, plebis patroni: quos seminarium senatus fuisse, & mediâ sui parte quoque, exemplo senatus, è munere mox post Kalendas Ianuarij quotannis abijsse, nouosq; collegas totidem accepisse existimo. Senatui verò pariter & concilio iurato praerat velut ciuitatis princeps aut gubernator Oldermannus. Quam potestatem ex annuâ aut bienni perpetuam paulatim fecerat ambitio, eamq; sensim in se solam verterat familia Longamæa præpotens iam olim in hac ciuitate, arte, gratiâ, vi nixâ, vt is qui familiæ istius caput erat, hanc dignitatem teneret. De cuius administratione, familiæ principe Goslico adhuc impubere, contentio orta inter impuberis matrem viduam & patruum arma ciuilia commouit, quæ Saxones tandem in Frisiam attraxerunt, ac libertati finem dederunt. Libertate sublatâ idem ciuitati huic accidit, quod de omnibus est dictum. Postremus à principe datus Oldermannus hic fuit Geroldus Herema, Longamææ familiæ per matrem insitus, Numerus Consulum, Scabinorum, ædilium siue senatorum prior retentus: sed electio succedentium quotannis in locum decedentium principi, aut ijs, qui pro principe praeerant, data. Nunc rediuiuâ libertate ciuitati præsunt Consules, &

Sce

Scabini sex, qui Reip. consulunt, ac ius dicunt, & cum senatores aut ædiles duo, quorum munus est ædificiorum & reliquorum operum publicorum curam gerere, delinquentes apud tribunal postulare, pœnas exigere. Quotannis iureiurando, quo Reip. se obstrinxerunt, soluuntur. Eligendi ratio similis cum ea, quæ est in cæteris oppidis excepta Leoŭwerdiâ & Franekerâ, quam in Harlinganis explicui. Idem qui à gubernatore & curiâ summâ Harlingam mittitur, huc quoq; it, & ad cæteras ciuitates, eademq; ac eodem modo atq; ordine hic agit. Obseruatur verò hic, vt qui ab ijs, quorum annus in senatu iam exijt, nominantur totidem numero, quot sunt ipsi, non aliunde capiantur, quam ex concilio iurato. Quod nescio an vbiq; habeat eodem modo. Concilium iuratum hoc tempore, quo hæc scribo, est virorum tantùm 18. anno priore habebat viros 20. ante biennium 24. interdum crescit numerus ad 28. Electio eorum quotannis fit à senatu: eaq; prima est senatus nouiter iurati actio: cuius arbitrij est vel reficere eosdem, vel alios præteritis ijs surrogare, numerumq; vel augere vel minuere. De munere in ciuitatibus alijs dixi. Par enim & hic ratio. Oldermanni nomen & munus abdicatum. Ecclesiastica quoq; hic, vt Leoŭwerdiæ, vt Franekeræ & Harlingæ. Præcones sacri verbi duo pares inter se populum in templo docent, sacramenta administrant, per vices in presbyterio præsident. Presbyteri quoque idem munus, sed minore numero quam Leoŭwerdiæ, eadem conuentuum ratio, eadem cætera.

Nec aliud in Ecclesia diaconis valet. Omnia εὔτακτα Ecclesiæ salutaria, nec tamen Reip. vt quidam delirant, noxia. Ecclesiæ subiuncta est schola litteraria, in qua Rudimenta doctrinæ Christianæ, linguam Latinam Græcamque, fundamenta liberalium artium docent præceptores tres stipendiis haud temnendis autorati: quorum primus recturā habet, duo reliqui huius præscripto parent. Docentur in ea non solum ciuium liberi, sed etiam multorum, qui agrum vicinū colunt, aut ex proximis oppidis suos istuc discendi causa mittunt. Mitto de scholis aliis dicere ista minoribus, quæ lingua patria literas, & Arithmeticem communem non excedunt. Satis, aut plus satis de Bolsuerdia.

SNECA.

HAEc milliari Germanico vno Bolsuerdiâ distat versus Orientem in eadem VVestergoâ, sita in agro humili, aquis obnoxio, & vliginoso, riuis pluribus scisso, attamen pascuis læto, sed sementi minus commodo: quem contra illuuiem aquarum lacustrium & palustrium aggeres hic illic protegunt. In eo lacus est ad Orientem ab oppido remotus spacio medij milliaris Germanici, longus circiter mille passus, latus D, in ambitu complectens plus quam passuum millia duo. Et vltra eum in eandem plagam minores alij stagnorum instar: omnes piscium copiâ abundantes, qua non solum Sneca satiatur, sed alia quoq; Frisiæ oppida pleraque vbertim fruuntur. Maior Snecanus vocatur, ex quo

quo riuus rectâ lineâ Snecam influit, nauigabilis, eamq́; perluens cum mœnia rursum reliquit, in meridiem, aut Libonotum declinans Ilstam oppidū proximè vicinum ingreditur, eaq́; sectâ brachio vno Bolsuerdiam petit, indeq́; Franekeram & Harlingam, brachio verò altero in austrum decurrens, & plures vicos allapsus post VVoldesendam vicum celebrem lacui Slotano, qui Snecano non paulo maior est, infunditur, atq; hinc rursum emersus Slotam oppidū agri Geestani defertur, progrediensq́; in meridiem post milliare medium per canalem Taconis in mare, quod sinum austrinum dicunt, exit. Ex eodem lacu Snecano riuus latus & profundus in ortum æstiuum primùm porrectus, dein etiam bifariam se diuidit, & parte alterâ Aelsumum vicum maiusculum stringens in Septentrionem longo tractu extenditur Leoƀerdiam vsque, cuius mœnia ad meridiem versa subit: parte alterâ Acrumum attingens in Syluestres abit, eosq́; pererrat. Vnde commeandi cōmoditas Snecanis, atq; ipsis etiam Leoƀerdianis in omnes plagas. Sneca vetus ciuitas, populo frequens, ædificijs pulchra, probè munita, annonâ diues; imprimis quæ ex piscibus lacustribus qua omnes alias Frisiæ ciuitates superat, piscatui multum dedita, nec à mercatura ac opificijs sellularijs abhorrens: ingenium etiam populo literis & disciplinis aptum: vnde non aspernanda illic literaria schola, Leoƀerdianæ, vti creditur, frequentiâ discentium, & stipendiorum modo proxima: ex qua multi doctrinâ non incelebres viri prodiere, quos inter Ioachimus

 Hoppe-

Hopperus seu hesperus inter reliquos cœli ignes emicat, atq; antecellit, iurisconsultus vix vlli suo sæculo secundus, Viglio Zuichemo penè par scriptis doctißimus illustris, prudentiâ in gerẽdâ Reip. eximius, atq; eam ob causam regis Hispanici priuato consilio, vt vocant, id est, senatus à secretis rerũ Belgicarum, cui Bruxellæ sedes solet esse, adscriptus: & domum in Hispaniam euocatus senatui regio, qui perpetuò regem comitari solet, Præses summus à rege est datus: quo in munere vitam finijt, ingenti post se gloriâ relictâ. Fortunæ vices varias, quas perpessa hæc vrbs ambitu non magna, in historiâ recitaui, temporibus præcipuè Groninganis & Saxonicis, ac Geldricis, quibus afflicta est grauißimè. Sciringicarum partium defensatrix pertinax ob Bocconem Aggonis filium, Reniconis nepotem, Haringææ familiæ, potentiorem quàm par erat, ac per leges libertatis licebat in vrbe, factionis principem. Qui cum penè pro libitu suo illic dominaretur, consilia publica regeret, Scabinatum sibi sumeret, quoties vellet, alijs daret, quibus & quot luberet, tandem murmurante populo, cum gratia eius tum forte opus haberet, cum eo pacisci, & intra certas metas redire coactus fuit. Quod factum esse anno Christi 1456. ante ostendi. Metas quoq; illi positas, ac formam Reip. oppidanæ, & constituendi senatus modum aperui, atq; eo exemplo, qui status libertatis in oppidis huius prouinciæ tùm fuerit, demonstraui. Itaq; repetitione heic non est opus. Nec sub principibus cuiusmodi conditio fuerit, scribere necessum habeo. Potest ex toto genere,

nere, quod exposui, intelligi. Hoc tempore in senatu Snecano sunt Consules quatuor, Scabini quatuor, ædiles, qui & senatores, duo. Hi Remp. gerunt partiti munera, Consules summam rerum curando, Scabini ius dicendo, ædiles senatoresve pecuniam publicam tractando, delicta persequendo, mulctas poscendo, operum publicorum curæ intendendo. Senatui hic quoque additi sunt iurati, numero 26. plebis curatores. Eligendi ratio non alia, quàm Bolsuerdiæ aut Harlingæ. Scriba senatui à secretis, imò à consilijs, perpetuus: cuius quæstus in procliui, autoritas magna. Ecclesiæ res similiter cum prioribus pares. Oppidum hoc contra hostem muro hodiè cinctum intra fossam, cui vallum è terrâ intus additum.

WORCVMVM.



Orcumum in orâ Harlingam sequens, plus quàm duobus magnis milliaribus Germanicis in meridiem ab eâ remotum, vltra Maccumum vno, agro circum vbere ab omni plagâ, sed Fleuo ab occasu infesto, maximè cùm spirat vehemens Fauonius aut Corus. Portum habet ad aggerem vicinum, sed admodum exilem obiectu puluinaris ora appositi: vtcunque tectum: ob quem rebus quoque maritimis pro modo fortunæ incumbit. Portum ei efficit riuus è vicino lacu, qui oppidum penè contingens ab angulo eius

ortum æstiuum spectante in boream se extendit, emergens cum oppidum perluit, in æstuarium Fleui per canalem in aggere defossum penè deficiens, & aquarum penuriâ laborans effunditur. In locum verò hunc, quem VVorcumanum dicunt, riui complures ex alijs lacubus, qui ad Septentrionem, Orientem, Meridiem totum illum agrum inter Maccumum, Ilstam, Hindelopam, Staueram, Slotam obsident, aquas deferunt, & nauigiolis cursum præbent. Vnde & commeatus hinc inde facilis, & piscium prouentus incredibilis. Oppidum hoc diu ἄφρακτον fuit, ac proinde prædonum iniurijs expositum: interdum castellis pressum aut defensum, & Hottingiorum potentia, quorum res ibi magnæ olim, & arx iuxta templum. Templum oppidi vnicum, in quo sacra peragunt Ecclesiastæ duo. Ecclesiastica Bolsuerdianis, Snecanis, Harlinganis conformia. Ciuilia ante Saxonum imperium cuiusmodi fuerint, non possum dicere. Fuere enim obscura. Hoc tantum constat, iam tum in oppidorum numero VVorcumum fuisse, senatum & consules habuisse. Sub principatu communis fortuna, & status cum oppidis cæteris. Hodie consules 8. senatum constituunt, designanturq; modo sæpius iam dicto, qui res oppidanos moderantur. Præter hos in populo concilium est virorum 24. ante annos 80. imperante tũ & hoc probante Carolo V. introductum ex sententia Gubernatoris Teutoborgij, & summi prouinciæ senatus, cum oppidanus senatus ipse, turbatus absurdis & cõfusis actionibus plebis in negotijs publicis hoc petisset. Electio eorum.

rum.

rum, quæ quotannis fit, permissa senatui est, cui etiam electi iusiurandũ dicunt, promittuntq́; vna cum senatu re poscente Reip. se consulturos. Sed nomina eorum statim ad senatum prouincialem mittuntur. Ex concilio verò hoc hodiè quotannis eduntur quatuor viri, qui, cum placet consulibus, in curiam vocantur, & cum iisdem de Rep. consultant, & sententias dicunt: totum verò concilium vocare nec mos habet, nec è Rep. esse consulibus videtur. Antiquitus hoc oppidum linguâ patriâ VVolderkum est dictum, vt docent vetustæ literæ, & ipsum sigillum in circumferentia nomen sic scriptum habens: vnde per contractionem in pronunciatione factum est VVorcum.

DOCCVMVM.

D*Occumi nomen primum in historiâ Bonifacij Primi Archiepiscopi Moguntini inuenio, qui hic verbum Dei annuncians ab idolatris occisus scribitur. Nam quæ antiquiora de eo recitantur à nonnullis ex fictio Scarlensis commentario deprompta, tam manifestæ vanitatis sunt, vt me recitationis istorum pudeat. Bonifacij verò cædes patrata traditur circiter annum æræ Christianæ 755. regnante in Gallia Pipino Caroli Magni patre, quem ipse Bonifacius quinquennio ante Suessione Galliæ regione declaratum coronâ insigniuerat. Cædem eam, & quæ cum eâ cohærent, in Historiâ exposui prolixè. Doccumum à scriptoribus istius rei gestæ, & in actis Episcoporum*

 Vltra-

Vltraiectinorum, qui proximo sæculo rem gestam secuti sunt, vicus vocatur. Post Bonifacium Euangelium de Christo illic docuit VVillehadus primus Bremensium Episcopus; & post hunc Ludgerus non procul Doccumo nobili domo in vico VVirumano natus, qui & pastor Ecclesiæ nascentis ibidem datus, & post aliquot annos primus Episcopus Monasteriensis est à Carolo Magno designatus. Et cùm numerus fidelium istic creuisset, claustrum monasticum in memoriam & honorem Bonifacij, eodem loco, quo fusus eius sanguis fuerat, est exstructum, antiquissimum, vt opinio habet, in totâ Frisiâ: quod à posteris crescente superstitione maiore luxu renouatum ad nostra vsque tempora peruenit. Cum religione verò Christianâ fortuna vici creuit, paulatimque eò progressa est, vt vicus oppidi formam induerit. Munitum credo primum cõtra factionum pericula, cum Sciringij, Vetcoperos & hi vicissim illos crudelibus odijs persequerentur, & in partibus tota oppida, toti vici, ac agrorum partes censerentur. Primas munitiones disiectas tradunt anno Christi 1414. easdemque instauratas quinquennio post, & rursùs à triennio euersas. Sed quibus auctoribus id factum, non addunt. Ab hoc tempore per annos 94. Doccumum sine munitionibus fuit. Excitarunt eas rursum Burgundici contra Geldros anno 1516. & quas excitarunt iubente Carolo Cæsare, cum belli vicissitudo sic posceret, anno 1531. disturbarunt. Deniq; bello hoc nupero pro libertate contra Hispanos oppidum idem maioribus quàm vnquam operibus ab Ordinibus fœderatis

deratis est munitum: vallo ingenti terreo, cum sex haud parua molis propugnaculis circumdatum, vallumq; ipsum & propugnacula latâ ac profundâ fossâ foris cincta. Quod factum anno 1582. Sed enim decennio ante id tempus ingenti clade afflictum fuit à Caspare Koblesio Hispanicarum partium ductore, cum is aduersarios persequens actis in fugam militibus & ciuium magnum numerum trucidauit, & magnam oppidi partem flammis dedit, quibus plus minus domus 400. periere. Ambitus eius non magnus (vix enim mille passus superat) sed situs fœlix in agro diuite, ad pascua non minus quàm sementem idoneo, qui vicis & villis & nobilium magnificis ædibus obsitus collucet. Accedit flumen Ea oppidum secans alueo lato & profundo, & ingentium nauium patiente, quod Leowerdia veniens, & supra infraq; oppidum pluribus amnibus ac riuis auctum in æstuarium Lauicæ primum, deinde in Oceanum se vasto ore, quod Sculbalgam vocant, inter insulas Amalandiam & Schiormonachum eijcit. Hinc commercia maritima, & nauigationes quaquauersum, in Hollandiam, Selandiam, Britanniam, Norwegiam, Daniam, Sueciam, Liuoniam, Borußiam, reliquasq; regiones mari Baltico circumpositas: vt de Amaso, Visurgi, Albi taceam. Per hæc aucta sunt augenturq; oppidarum res publicè & priuatim. Oppidum ipsum elegans, vici mundi, ædificia non tam ampla & magnifica quàm amœna & nitida intus ac foris, multâ & eleganti supellectile instructa curia perelegans

fluminis

flumini proxima, & pons ingens eidē flumini impositus iuxta curiam, lōgus pariter & latus è lapide structus, vtrimq; crepidine modicâ contra pericula lapsus præseptus, altè se tollens supra aquarum superficiem silice stratus, cum proximis platearum, quas flumen dirimit, partibus fori rerum venalium vicem præstans, subtus verò arcuati operis cum aquarum claustris, quibus flumen coërcetur, per quæ naues Leowerdiâ venientes, aut Leowerdiam tendentes valuis apertis commeant Et præter hunc duo quoq; alij pontes eidem flumini instrati sunt intra oppidi munitiones pari fermè interuallo hinc inde ab hoc maximo disiuncti, alter ad egressum oppidi, quâ Leowerdiam itur operis sublicij, quo vallum istâ parte flumine interruptum iungitur, alter ad ingressum, in parte oppositâ vallum similiter iungens, cuius medium ita aptatum est, vt catenis ingentibus cum machinis adiunctis, subduci in altum, & ponte dirempto nauibus magnis quoq; non submissis malis transitum queat dare. Flumen verò & quá oppidum ingreditur, & quâ egreditur, propugnaculis ripæ vtriq; proximum contra hostiles conatus commodè protegitur, ac simul ingētibus tignis à ripa hinc inde depactis, atq; inter se contectis præcingitur in ipsum vsq; alueum, & quod spacij reliquum est in aluei medio, quâ se tigna non contingunt, id interdiu nauibus patet, noctu trabali mole fluitante, & ferro probè munitâ clauditur. A flumine oppidum bifariam quidem diuiditur, sed partibus haud quaquam paribus. Nam quæ ad meridiem vergit, alterâ

alterâ multò minor est, & ab arce vallatâ, quæ quondam istic fuit, castelli nomẽ etiam nunc retinet. Borea pars multò maior curiam, templum, trutinam publicam, domicilium collegij rebus maritimis præfecti habet: quam riui scaphis nauigabiles per fornices sub vallo structos subeunt, & permeant ex agro venientes ponticulis hic illic strati magno ciuium commodo: omnesque in flumen Eam supra aquarum claustrum paulò ante descriptum exeunt. Eadem parte in vallo portæ duæ sunt cum pontibus mobilibus impositis fossæ, & tertia sine ponte, quâ agger in orâ fluminis oppido conseritur, erinaceo protecta, in agrum boreum, atque itinera diuersa omnes emittentes. In parte austrinâ porta tantum vna Collumum spectat & Groninganos, cum riuo similiter vno partem eandem permeante, & in Eam se effundente. Vtraque fluminis huius ora intra oppidum modicè assurgens (agger quippe olim ad coërcendum alueum contra inundationes istic fuit) non solum in modum plateæ silice constrata, sed etiam, quâ labrum est, saxo Benthemio ad decorem & firmitudinem adornata. Claustra aquarum, quæ nunc in oppido esse ostendi, ante bellum Hispanicum, supra oppidum, Leowerdiam versus, sita, & curæ antistitis Clarocampij, cuius magna quondam autoritas, subiecta fuere. Regiones in oppido distinctæ sunt quatuor, & totidem tribus, quæ regionibus definiuntur, totidemque & cohortes ciuium & cohortium præfecti: paræcia tantùm vna, & templum eius vnum, cœmiterio spacioso ac amœno cinctum, sacris dicatum: quibus

vacant

*vacant symmystæ duo: sed præter hoc fanum quoq; monasticū cum vniuerso cucullatorū claustro superbè structo, de quo iam ante dixi, ibidem fuit consecratum memoriæ Bonifacij, altero maius & turri sublimi arduum ac conspicuum, nunc turri solâ exceptâ solo æquatum: cuius antistes pastor quoq; Ecclesiæ oppidanæ ante religionis statum mutatum audijt, & opera vicariâ in peragendis sacris duorum sacerdotum inferiorum vsus fuit. Est heic & ξενοδοχεῖον & νοσοδοχεῖον & ὀρφανοτροφεῖον pietati in miseros & egentes destinata omnia. Annonæ copia perpetua & magna, quā riui, flumen, mare augent. Macello nihil vberius: vincit tamen forum piscarium: butyri, casei, lactis abundantia summa non solum in vsus domesticos ciuium, sed etiam ad exportationē in loca peregrina: frumenti quoq; & leguminum vbertas rara. Potestas publica toto sæculo ante dimissam libertatem solet esse penes Oldermannum, senatum, & concilium 16. virum iuratorum: quod ex monumentis veterum literarum satis liquet, in quibus nōnunquam Oldermannus cum solo senatu memoratur (*Olderman ende Raedt tho Dockum*) nonnunquam & 16. viri iurati adduntur, (*Olderman ende Raedt mit die sestien geswooren gemeente tho Dockum*) & in literis contractus cum Carolo Audace Burgundiæ principe hæc verborum forma est vsurpata ab ipsis oppdianis sermone Belgico, *Olderman/Raedt/eñ alle die gemeente gesworen der Stadt Dockum/ & vsurpata à Principe sermone Latino,* Oldermannus, Cōsules,

& com-

& communitas oppidi Doccumani. *His verò in literis Carolus promisit, relicturum se oppidanis morem solitum creandi Oldermannum & consules (ita senatū nominabat) qui ius ciuibus dicerent ipsius nomine in causis ciuilibus, ex legibus & institutis patrijs, reseruata sibi potestate admittēdi appellationes; nec se quicquam moris eius mutaturū ne in melius quidem, sine illorū consensu: promisit item præfecto totius prouinciæ huius, seu gubernatori, quem Potestatem tunc vocabant, sedem se aßignaturū in hoc oppido: voluit ad hunc deferri appellationes, & ab hoc cognosci, ac si placeat litigātibus ab istius iudicio ad sese prouocari: Gubernatorem verò statim ab initio nō interueniente senatu cognitionē criminalium habere: Euocandi verò iuri extra fines Frisiæ, iudicij causâ in solidum renunciauit. Sed hæc non sunt instituti nostri præsentis: exposui in historia. Et res cum Carolo infecta mansit. Nec hic dico de statu subsecutis principibus. Cognosci ex prioribus potest. Nunc sex Consules senatum conficiunt, quorū munus idem, quod senatus est in reliquis oppidis, sed ius paulo arctius: concilij verò iurati potestas latior. Id quanquam hodie 12. tantum virorum sit, tamen ex numero olim solito 16. virûm appellatur: Sine cuius consensu in rebus maioribus consules nihil audent, nihil possunt. Cum constituendus senatus est, id est, cum consules designandi, Kalendis Ianuarij quotannis sono æris Campani totus populus oppidanus conuocatur in templum, quo & consules tunc conueniunt, curantes, ne* quid

quid indecorè à multitudine coëunte fiat. Quibus mox secedentibus, populus quadripartito se diuidit secundum quatuor oppidi regiones, & quatuor cohortes ciuicas. Tum qualibet pars ex se edit viros tres, qui omnes iuncti concilium iuratum conficiunt numero 12. eodemq; die sub vesperam à senatu accersuntur in curiam, monenturq;, cum venere, vt terni & terni secundum easdem oppidi regiones edant ex se singulos, atq; his quatuor addant duos alios per suffragia lectos, vt fiant sex. Horum omnium nomina ij, qui in senatu sunt, atq; annum in munere iam explerunt, totidem numero, cum nominibus suis Leowerdiam ad gubernatorem & summam curiam mittunt, Gubernator & curia reliqua peragunt, quæ antea sunt exposita. Reliqua ciuilia, item Ecclesiastica, & quæ ad egenorum & orphanorum curam faciunt, ex ijs, quæ de prioribus oppidis dicta sunt, cognosci possunt: Sunt enim simillima. Idem quoq; de ludo literario lector dictum putato.

Hoc verò huic oppido præcipuum est præ cæteris, quod sedem hic habeat collegium rebus maritimis præfectum, Translauicanis & Cislauicanis commune iam ante nobis memoratum, cuius potestas & curatio latè patet: controuersa maritima iudicat, portoria rerum, quæ importãtur & exportantur, curat, exigit, ad eam rem portitores & portitorum ministros in omnibus curæ suæ subiectis portubus ab austrino sinu Fleuoq; vsq; in Amasum habet, horum operâ accuratâ vtitur, ne qua fraus fiat Reip. portorijs his bellum alit

mari-

maritimum, naues præsidiarias tuendis onerariјs instruit, alios in hostem armat, prædones submouet, persequitur, mare his, quantum potest, liberat, hostilia in mari capta in prædam vertit, fisco adscribit, commercia quorumuis hominum cum hostibus impedit, nauarchos creat, & in eos imperium habet, stipendia classiariis omnibus expedit. Sedent in eo collegæ interdum plures, interdum pauciores. Et, *quod perpetuum est, quatuor ex his dat prouincia, de qua iam scribo, Ostergoi scilicet. VVestergoi, Syluestres, oppidani singulos: quintum addit ciuitas Groninga, sextam agrarij Groningæ vicini. Atq; his senis, quibus stipendia soluuntur ex collegij huiusce prouentu, singulis prouincijs reliquis singulos licet addere, si velint, sed impendio suo. Quo fit nonnunquam, vt quidam sumptui parcentes, aut aliâ ntoti causâ neminem mittant. Ceteroqui collegæ omnes in ferendis suffragijs, & commodis alijs capiendis sunt iure propemodum pari. Seni verò illi primi in suarum prouinciarum comitijs eduntur, vti sanè & cæteri: munus ijs confertur in annum, sed sæpe in annos prorogatur complures. In possessionem muneris & potestatis immittuntur à collegio Ordinum generalium per literas, quas commissionis vocant.* Et *quidquid agunt, hoc istorum Ordinum nomine agunt, quemadmodum & ij, qui Hornæ, Amsterodami,* Roterodami, *Middelburgi sedem habent.* Proinde *si quid negotij grauioris inciderit, id primum ad collegia vicina Hornanum, aut Amsterodamense, deinde reposcente ad generales hos Ordines referunt.*

 Horum

Horum decretis, horum mandatis parent. Agunt verò suffragijs, & maiori eorum numero locum dant. Scribam habent à secretis nuncupatum, vt plurimum literis, & iuris scientiâ instructum: habent & fisci præfectum, & quæstorem suum, & ostiarium, & ministros: multos alios, quorum omnium munera, ni fallor, sunt perpetua, nisi quid acciderit, cur fiat aliter. Et fisci quidem præfectus cum est designandus loco vacante, collegium edit duos, ex quibus Ordines generales eligunt alterum, munus id obiturum. Idemq; tenetur in portoriorum magistris, quos Conuoymeisters dicimus. Scribam, quæstorem, ostiarium & cæteros his minores ipsi collegæ eligunt: Omnes verò tum priores tum posteriores sumuntur non aliunde, quàm ex ijs, qui inter Fleuum & Amasum colunt. Per hoc collegium Doccumum populo, negotijs fortunâ crescit. Vniuersum verò hoc institutum rerum maritimarum tãtum momentum bello nupero ad infringendas potentißimi hostis vires attulit, vt extremis belli annis non aliunde maior ipsi Hispaniæ terror extiterit.

STAVERA.

STauera vrbium Frisiæ totius quondam maxima, ditißima, splendidißima, sedes quondam regum gentis nostræ fabulosis commentarijs hominum vanorum plus satis celebrata: portu olim commodissimo supra modum felix, & rebus maritimis potens. Vnde opes cumulatæ, luxum, insolẽtiam, proteruiam genuere.

genuere. Hæc veteri prouerbio locum fecêre, quo vulgò insolentiæ notati sunt Staueranorum liberi, Die Dartel Kinderen van Staveren. *Exemplum nimis insolenter se efferentis, & fastidio fortunæ proteruientis animi sermone vulgi fertur in fœminâ prædiuite, quam aiunt, cùm audiuisset nauem suam è mari Baltico reuersam cum mercibus ad portum in anchoris stare, & percontatã de mercis genere, cum cognouisset frumentum aduexisse, quo tum forte hæ regiones abundabant, quasi fastidientem vilitatem rei è vestigio iußisse, frumentum in Fleuum effundi, increpitoq; nauarcho mandasse, vt repetito, mari, merces preciosiores quæsitum aduectumq; iret. Dignum certè facinus, quod ab vltore Deo penis grauibus corriperetur. Itaq; ferunt etiam, ab eo tempore, quo id nequitiæ commissum, eodem loci, vbi frumentum in flumen effusum, arenas fluctuum vi agitatas colligi cœpisse, & puluino sensim confecto os portus obturasse: Ita factum cum tempore, portu corrupto, & vsu maris in arctum redacto, commercijs propè amißis, Stauera fortunam perdiderit, eaq; aliò commigrarit, vbi reuerentius haberetur, ac Dei beneficium modestius agnosceretur coleretúrq;. Sita est in litore ad Fleuum, quâlitus maximè euehitur promontorij instar, & in appositam Hollandiæ oram, quæ quondã Frisiæ quoq; fuit, procurrit, Fleuumq; coarctat. Verum maior & melior eius pars in Fleui attrita vndis iam ceßit. Reliquiæ in longum porrectæ secundum amnis exilis decursum. Vtraq; enim amniculi ripa longâ & continuâ domorum haud*

 elegan-

elegantium serie prætexitur, aduersus earum frontibus, atq; ita geminum efficit vicum, interluente amniculo diremptum, mundum, elegantem. A quo viculi minores, angusti, breues, quos ædificia viliora obsident, vtrimq; decurrunt. Hic oppidi modus est. Amnis in oppido pontibus sublicijs cõmeandi causa iunctus in exitu valuis coërcetur, per quas aquæ emittuntur, & admittuntur, vt ratio poscit. Retinet tamen oppidum locum & ius in societatem ciuitatum Anseaticarum, in quâ olim inter primas habebatur. Cuius hoc iudicium etiam nunc superest, quod in Hellesponto Danico cùm nautæ, quorum magna sæpè multitudo illic hæret, expediri se à regijs præfectis petunt, nulli impetrare ex more id liceat ante Staueranos. Atq; hoc eodẽ iure nixum sustentat residuum fortunæ prioris, multasq; naues è genere grandiorum emittit adhuc in omnes plagas, ac maritimas regiones per Oceanum, per Balticum mare, & mediterraneum, sed & structas & instructas pecuniâ vt plurimum alienâ, maximeq́; Hollandicâ, nauarchis, ac nautis, literisq́; commeatus suis. Verum quia portu idoneo ac statione destituitur, necessum habet præcipuum quæstum ex hoc maris vsu relinquere Hollandis, in quorum portus & merces subuehuntur, & naues ipsæ hybernandi causâ subducuntur, ibidemq́; merces eædem, vbi pecuniæ copia est, & exportandi facultas cõmoda, distrahuntur. Staueràni alioqui rebus maritimis ac nauticis quasi nati, vt plurimùm, cùm per anni rationem licet, in mari & nauigijs vitam degentes, vt & plerique

vicini

vicini eorum eodem in litore. Et pauci omninò in populo, qui non hinc sese familiamq; alant, ac larem tueantur. Piscationi quoq; multum dediti, præsertim, qui in imâ plebe: quod studium auget præter alluentem Fleuum, ac mare, sinumq; vicinum stagna & lacus minuti, quibus oppidum pene obsessum est, atq; ideò à terrâ aditu difficile magisq; frequentatur commeantibus nauiculis, quàm curribus, aut itinere pedestri equestrive. Circumdata nihilominus est Stauera, & probè munita vallo fossâq; contra hostilem vim. Præsunt iam ciuitati consules anni 8. atq; hic eidem senatus est, qui totam Remp. procurat. Anno 1608. & sequente, cùm peteret id populus, ex voluntate Gubernatoris & summæ curiæ datum ei concilium Iuratum: huiusq; constituendi ius pro arbitrio suo in annos singulos concessum senatui: hoc tamen anno præsente summæ curiæ relictum.

HINDELOPA.

HAEc eâdem in orâ milliari Germanico medio infra VVorcumum, milliari non integro supra Staueram ad Septentrionem locata cum portu obscuro, fortuna tenuis, piscationi & nauiculariæ & rusticæ rei plurimùm dedita, à commercijs tamen non aliena, mœnibus carens: à consulibus regitur quinque, quorum potestas etiam, vt in alijs oppidis, annua. His appositi nuper à Gubernatore & curiâ prouinciali, rogante populo, viri 6. quos Iuratos dicunt: sed legendi deinceps à collegio consulum.

ILSTA.

Hæc in mediterraneis VVestergoæ, Snecæ proxima, à quâ non toto semisse milliaris Germanici abest, versus Austroafricum, loco ficciore quàm Sneca: porrecta in longum, sed latitudine penè nullâ. Nam vici vnius instar ab Oriente in Occidente vasta procurrit duplici domorum serie, quarum frontispicia sibi ex aduerso respondent, interuallo mediocri. Id interuallum plateæ loco est silice stratum, arcuatâ formâ modicè se curuans, quod amnis amœnus vtroq; in margine arboribus proceris septus, Sneca veniens à principio ad finem permeat, bifariamq; dispescit, iucundâ specie. Idemq; amnis cùm oppido exijt, in riuos varios & lacus diffunditur, per quos expedita commeandi copia est nauigijs quaquauersum. Amnis verò aqua vmbras frondentium atq; imminentium arborum excipiens ita afficitur, vt viridi colore relucere tibi videatur. Oppidum nec vallo nec muro munitum est, sed contra incursus solâ fossâ ambitur; Sneca distans, vt ostendi, minus milliari Germanico medio; Bolsuerdiâ, quam in Corum intuetur, milliari magno; Slotâ, quã aspicit in meridiem, milliari multo maiore: VVorcumo, quod videt in Occasum hybernum, tantundem. Domus non viles aut inelegantes, quædam etiam magnificæ, curia modica, templum vnum, cui antiquitus, atq; adeo non ita nuper cohæsit claustrum monasticum Carmelitanæ familiæ, dirutum bello Hispanico. Quod spatij inter ædes & amnem vtrimq; est, tersum & sine illuuie aut immundicie est: pontes

amni

amni instrati vtramq; oram iungunt. Volunt videri Ilstam sui oppidi fortunam Snecanâ quondam maiorem fuisse, & cum Sneca vici formam adhuc haberet, Ilstam iam inter oppida nomen tulisse, & mercatu floruisse, mariq; multùm effusam, sed incremento fortunæ Snecensium esse exhaustam, atq; ad hanc, quæ iam conspicitur, tenuitatem redactam. Credent, qui volent: autor, ista qui prodidit, mihi displicet. Oppidani rem rusticam colunt, aut naupegi sunt: quo opificij genere maxima eorum pars se ac suos alit: tantáq; copiâ nauigia varij generis hic struuntur, quanta vix in cæteris prouinciæ huius oppidis omnibus. Consules habent quinque, qui ius dicunt, & cætera curant: concilium iuratum non habent. Ecclesiæ ministro vtuntur tantùm vno.

S L O T A.

SLotani in Ordine oppidanorũ nouissimi: oppidum habent bene munitum vallo, propugnaculis, fossâ, caput agri Geestani, qui ex VVestergoa, cuius pars est, vergit in Syluestres. Perluitur ingenti riuo nauigabili, qui è lacu proximo inter Occasum & Septentrionem posito, magni milliaris Germanici circuitum habente, quem Slotanum vocant, defluens, postq; oppidum reliquit, milliare medium emensus per canalem illũ magnum Taconis, quem ante memoraui, exit in sinum austrinum. Ex quo fortunæ eius subsidium atq; incrementum non exiguum. Munitionum ambitus haud magnus, ac initium non vetustum. Ea etiam

dirutæ ante annos aliquot vi Hispanica, sed Ordinum Frisiæ studio instauratæ & validiores factæ. Quâ instauratione Haringææ familiæ domus vetusta bono publico euersa locum munitionibus nouis dedit. Portæ oppidi duæ in agrum emittentes, altera minor, altera, quæ occasum spectat maior, & illustrior. Exportatio & importatio rerum frequentior per nauigia, quam currus, ad quam ingressus & exitus fluminis patet interdiu: noctu trabium obiectu clauditur. Populus multus pro spacij modo: ædificia crebra sed modica exceptus paucis amplioribus, vici mundi, curia non temnenda, templum vnum, in quo Ecclesiastes vnus docet, & reliqua muneris sui obit. Carne, pisce, frumento, butyro, caseo, lacticinijs, omni denique commeatu abundat. Senatum habet, in quo consulari nomine quatuor, senatorio tres: delecti è plebe, aut iurati nulli. Res nauticæ in pretio, & commercia.

Hæc oppida Frisiæ inter Fleuum & Lauicam, multa pro regionis angustia. Nam sola VVestergoa, & Ostergoæ parte non magna clauduntur. Omnibus his communia pleraque, quæ de maioribus speciatim dixi. Scriba à secretis senatui, quæstor, armorum & vigiliarum ordo singulorum rebus congruus, ciues in cohortes descripti, cohortium ductores, signifer, ductorũ vicem gerentes, & id genus alij minores, vigiliarũ aut vigilum magister, fori & annonæ inspectores: omnes senatui parentes: electio qualis est exposita.

VICI

VICI INSIGNIORES.

PRæter oppida eâdem in prouinciâ sunt vici non pauci oppidorum æmuli, siue magnitudinem spectes, siue populi frequentiam, siue commerciorum vsum. In quibus Collumum eminet, agri & præfectura Collumanæ caput, in Ostergoâ non procul Lauicæ æstuario cum portu commodo: vnde negotiationum illic copia non minor quam in plerisq; oppidis: ædificijs ac vicis egregium, sed extensum in longum, atq; ideò mœnibus inidoneum, sine vllo ordine aut magistratu ciuili, præfecto tantum parens. Dein Bolcumum, quod Berlecum maiores dixêre, præfecturæ Meinaldumanæ in VVestergoâ, pari ferè spacio Leowerdiâ & Franekerâ distans, sed in boream à rectâ viâ declinans, Biltano agro proximum, structurâ, vicorum directione & elegantiâ oppido quàm vico multò similius, commercijs rerum affluens: cui iniqua fortuna ius ciuitatis & munitiones inuidisse videtur, Maccumum in eâdē VVestergoâ in orâ inter Harlingam & VVercumum, præfecturæ VVonseranæ, Belcumo etiam maius, portu fœlix, mercatu frequens, simul rei maritimæ, & agricolationi, & piscatui studens, Iovvera itidem in VVestergoâ præfecturæ Hascheranæ, quâ VVestergo Syluestribus propinquat, non magnitudine solùm, quâ se in longum porrigit, sed iure quoq; communibus vicis præcellens. Herenvena paræcia Scotanæ, in Syluestrium regione, in solo palustri, nuper adeò nata è prouentu bituminosæ glebæ, quæ in vsum ignis magnâ copiâ illic effoditur, &

per riuos nauigij: deuecta in Hollandiam & Geldriam locaq; vicina magno cum quæstu exportatur; cùm paucos ante annos ne vola quidem aut vestigium vllius ædificij istic fuisset. Post hos reliquis maiores vici sunt, pauci oppidulorum in modum contiguis domibus circa templa collecti, plures per singulas villas dispersi; in Ostergoâ, Wirdumum *Leowerdiæ vicinum meridiem versus, arcibus familiarium nobilium multis insigne, cum fano egregio duabus turribus conspicuo,* Hallumino *similiter domiciliis prædijsq; nobilium frequens,* Ænium, Holvverda, Ea, Tornerda, Neſſa *in Dongeranis circum Doccumum:* Farvverdia, Rouvverdia, *præfecturarum suarũ cognominum capita:* Burumum, Oldovvolda, Westergeesta *in agro Collumano*, Butenposta, *Octopagica. In VVestergoâ,* Witmarſumum, Altaarumum, Pingumum, Tierevverdia, *præfecturæ VVonſeranæ*, Tzum, Mimmergaum, Tycmarumum, Sixberumum *Franekeræ propinqua, hæc tria præfecturæ Barranæ, illud Franekeranæ:* Ripa Meinaldumum, Beetgumum *territorij Meinaldumani;* Ostereinda, Wommelia *Henneranæ;* Bolſumum, Lorvverda *Barderanæ;* Coldumum, Haricha, Winkela *Geasteranæ;* Nylanda, Woldeſcinda, Hechiaque *VVimbritzoranæ;* Ostersêa *Lemmeranæ;* Oldenbora *VVingeranæ præfecturæ.*

Anniuersarius, vt alibi dixi, vniuersæ Frisiæ hostis est Oceanus ventis commotus: contra quem instituti sunt

sunt aggeres terrei vasta molis, velut fluctuum obices. Nam tempestatibus intumescens Oceanus, & in vada, æstuaria, flumina sese infundens, ni obstarent aggeres, vniuersam pulcherrimæ & cultißimæ regionis faciem opprimeret, sæpè etiam armenta, greges, sata obrueret, perderetq́ʒ, villarum & hominum stragem daret. Itaqʒ haud minima curationum publicarum in gente nostrâ iam indè ab initio, quo regio hæc habitari populariter cœpit, fuit illa, quæ ad aggeres pertinet, & ad aquarũ claustra cum aggeribus coniuncta. Nam fortuna totius regionis & populi in duobus istis potißimũ posita est: de aggeribus loquor & aquarum claustris. Quod ἀξίωμα vetus patriá linguâ sic sonat; mit Dijsten eñ Dammen moet men Frießlandt erholden. *Vocabulum enim* Dam *maioribus nostris idem significabat, quod hodiè significat* Sijl, *hoc est, aquarum claustrum; forsan ideò, quod vbi, claustrum huiusmodi cõstitueretur in laxiore riui aut aluei alicuius exitu, illic reliqua exitus illius latitudo aggestu terræ vtroqʒ in latere claustri oppilaretur, quod hodiè* Dammen *dicimus, quemadmodum à deducendis aquis vox* Sijl *nata esse videtur.* Nã sijlen & affijlen *aquas deducere denotant. Per hæc enim claustra & admitti aquæ, si vsus poscat, cùm maris æstus est, & emitti deduciq́ʒ, si eo sit opus, cũ maris recessu, possunt. Ob has causas & de aggeribus & de his aquarum claustris leges quondam, cũ staret popularis libertas, latæ sunt, quas* Dijck eñ Sijl-Recht *vocant, quod aggerũ & claustrorum ius sonat. His legibus tuendis curatores aut præfectos*

populus

populus constituit, quos indices claustrorum aggerumq;, Sijl vnd Dijck Richters,*appellarunt. Inter Lauicam & Amasum priores illi claustra curantes etiam* Scheppers *sunt nominati: quod cùm de ea regione scriberem, ostendi. Aggerũ verò iudices plures, qui diuersis locis curabant, bini ferè & bini aut terni & terni, προστάτην habebant superiorem ab eodem populo datum, cum potestate maiore, quem* Comitem *aggerum (* Dijckgraue*) nuncupabant. Qui quod statuebat cum suis hac de re, id firmum ratumq; tenebatur: nec fas erat contra ire.* Hunc χωματάρχον, *illos* χωματοδικάστας *Græcè dixeris.* Omnium *horum officij fuit, aggeres curare, nouos, siccubi opus, moliri, veteres sartos tectos conseruare, certis temporibus eos lustrare, in eo esse, vt vi fluctuum cõuulsi, attriti, quoquo modo vitiati, quam primum redintegrentur, in hac parte cessantes, aut officij negligentes, imperio cogere, contumaces mulctare, alijsq; pœnis vrgere, vbique incommodis ab Oceano & fluminibus commodè occurrere.* Eorum*, qui claustris præsunt, cura minor est, quia minus inde periculum.* Hoc *tantùm agunt, ne claustra vitium faciant; si vitium fecerint, vt reficiantur: ne eorum destinato fini impedimentum aliquod inijciatur. Sed aggerum ratio non vbiq; par, alibi facilior, alibi multò difficilior est.* In *hac regione à Fleuo in Lauicam difficillima est in VVestergoâ, propterea quod ea regio longißimo tractu à meridie, ab Occidente, à Septentrione, fluctib⁹ pulsatur, maximè verò ab Occidente, vnde Fleuus ei vehemens & infestus*

infestus incumbit, ac oram eius radit. Ita accidit, vt maiorum aggerum copiâ gauetur, & mole eorũ opus habeat validiore, & pluribus quoque, magisq; varijs ventorum flabris prematur. Hinc multæ illic de aggeribus controuersiæ, & contentiones, multæ transactiones, multa pacta, multæ leges: totusq; ille ordo huic curæ præfectus ibidem multò frequentior. Et quod fuit olim, id hoc quoq; tempore perdurat: imò vt mare & flumina plus sibi spacij cum tempore aperiunt, ita incommoda & pericula quoq; fiunt grauiora, & cum oneribus periculisq; crescentibus curæ etiam, quæ his opponuntur, existunt maiores. Dijckgrauius totius VVestergoæ hodiè vnus tantùm est, ex nobilitate ferè lectus à VVestergois, & vt plurimum è numero Grietmannorum: cuius summum in hac agerum curatione arbitrium, & curæ huius præmium longè maximum: Munus verò trienne. Adiunctos habet velut curæ socios prætor Ordinem iudicum etiam assessores quatuor, & quæstorem vnicum. Illi cõsilio eum iuuant, & curæ participes sunt: hic pecuniam tractat, quæ permagna est. Nam vniuersus VVestergoæ ager, qui inundari potest, certum census modum, secundum, iugerum numerum ex æquo & bono in aggerum impendia conferre quotannis cogitur. Nec enim solum terræ agestu, & viridi cespite, vlua, stramine, arundine, quibus ædificiorum in modum decliuis superficies eius contra vim fluctuum tegitur, agger quotannis instaurandus est, sed etiam ligneis operibus ingentibus & sumptuosis muniendus. Eliguntur in conuentibus præfecturarũ &

ciui-

ciuitatum vicinarum Franekeræ & Harlingæ. In Ostergoâ res aliter habet. Nec enim illic χωμαλάρχῳ locus est, nec adsessoribus eius: sed iudices aut magistri aggerum, & cum his quæstor, curant omnia. Et similem rationẽ valere apud Syluestres, qui Austrino sunt sinui in orâ obiecti, reor. Biltani inter Ostergoos & VVestergoos in litore medij suos quoq; in hac re peculiares ac proprios curatores habent. Quæ omnia peculiariter exponere non libet, ne fiam prolixior quàm par est. Vniuersa verò aggerum huius prouinciæ curatio impendia secum trahit anniuersaria tam magna, vt fidem eorum, qui hæc ignorant, procul superet.

ECCLESIASTICA.

DE re Ecclesiasticâ in oppidis singulis dixi. Hîc pauca de eâdem toti prouinciæ communia addenda. Quondam quilibet vicus sacerdotem suum habebat, quidam etiam plures. Nunc minores vici si vicini sint, & censu sacro, non abundent, bini & bini, interdum etiam terni Ecclesiæ ministrum habent. Iis omnibus quotquot sunt (sunt autem numero sanè magno) vti & oppidanis, consensus in doctrinâ & ceremonijs constat: nec quisquam in ministerio sacro toleratur, qui in fidei fundamentis à reliquorum consensu diuersum se sentire fateatur. Eliguntur verò ab ipsis vicanis. Distincti sunt cum oppidanis in classes sex, quæ conuentus suos separatos habent: conueniuntq; per æstatem interdum octauâ quaq; die, sæpius decimâ quintâ

quinta; hyeme rariùs, propter vias impeditas nisi fortè aliud res popoſcerit: & nonnunquam per hyemem ſoli claßium deputati terni aut quaterni coëunt. Oſtergoa claſſes habet duas, VVeſtergoa tres, Sylueſtris regio vnam. Oſtergoæ conuentus locu habent Leoƺverdiæ & Doccumi; VVeſtergoæ Franekeræ, Snecæ, Bolſuerdiæ; Sylueſtris in vico aliquo maiore huic rei commodo. Et habent ſingulæ præſidem ſuum, ſcribam, deputatos, ſeruantq́; Ordinem decentem. Præſidem & deputatos quotannis ipſi ſibi legunt ex ijs, quos putant maximè rebus ijs aptos. Acta conuentus auſpicantur ſemper à precibus, ijſdemq́; eas finiunt, præeunte verbis præſide. Præſes agenda proponit, ſententias ordine rogat, vltimus ipſe dicit, & ex maiore ſententiarum numero plerumq; concludit: ſi pares ſint ſententiæ, aut penè pares, nec ad conſenſum eas inſtauratâ deliberatione reducere poteſt, rem ampliat: ſcriba redigit acta in chartam, atq; hinc deinceps in librum publicum, quem protocollum vocamus. Sed nihil intus conuentibus agitur, niſi quod purum putum Eccleſiaſticum. Talia ſunt, quæ ad doctrinam, ad ritus ſacros, ad mores miniſtrorum, Ludimagiſtrorum, Eccleſiæ ſeniorum, eorum, qui templorum cuſtodes dicuntur, & deniq; ad εὐταξίαν Eccleſiaſticam, ad auertenda & corrigenda ſcandala faciunt. Cenſent ſe mutuò ſymmyſtæ eiuſdem claßis, quod ferè actionum æſtiuarum initium eſt, exhortantur, erudiunt, offerentes ſe miniſterio in claſſe, & examinis copiam

peten-

petentes examinant, interdum singulos, interdum plures: dignos & probatos testimonijs ornant, promouent quantum possunt: indignos reijciunt, & quæ his similia. Et sic quidem ex lege: Vnde si deflectitur interdum, vti sit, hominum hoc vitio, non instituti est imputandum. Institutum est optimum: Quæ definiri aut corrigi in classibus non possunt, aut cùm classibus contra classes contentio est, ea referuntur ad synodum prouincialem, cuius iudicio classes sunt subiectæ. Hæc quotannis coit semel in aliquo maiorum oppidorum; Leowerdiæ scilicet, Franekeræ, Harlingæ, Snecæ, Bolsuerdiæ, Doccumi, idq́; seruatis vicibus. Ad eam mittuntur singularum classium deputati quaterni, bini ex Ecclesiarum ministris, totidem ex presbyteris, & quidem ex vtroq; Ordine, alter ex oppidanis, alter ex agrarijs exceptis Syluestribus, qui hanc oppidanorum & agrariorum distinctionem ignorant. Et assident auctoritatis, & seruandi Ordinis causâ duo tresve ex collegio 9. virûm. Atq; hîc etiam initium & finis actionum preces ad DEVM. Post preces Synodi eligitur, & scriba; Dein cætera ferè vt in classibus: acta in librum à scribâ referuntur & manibus omnium symmystarum præsentium subsignantur: Actorum cura synodi deputatis, qui in actionis fine designantur bini ex singulis classibus, (quorum alter Ecclesiæ minister, alter senior, & ex omni numero præcipui quatuor) commendatur: hi vt ea effectum suum sortiantur, vrgent & instant apud totum 9. virum collegium. Quod si quid maius sit, quàm vt in

synodo

synodo prouinciali expediri poßit, id reseruatur synodo nationali omnium prouinciarũ fœderatarum: quæ non nisi rarò ac ob res grauißimas ex voluntate collegij Generalium Ordinum non vocatur: ad quã huiusmodi rationem habent synodi prouinciales, quàm classes ad has. Nunc à multis annis non coijt. De quâ heic non est dicendi locus. Verto me ad alia quæ restant.

MILITARIA.

FRISIAE *hac regio Fleuio & Lauicâ terminata in ambitu vix habens milliaria 25. hoc bello contra Hispanos stipendijs suis aluit cohortes pedestres 23. & in horum stipendia quotannis impendit non minus quam quadringenta quinquaginta tria millia aureorũ nummorum, & insuper in sumptus alios militares nonaginta quatuor millia, exceptis impendijs in bellum maritimum. Atq; hoc onus sustinuit per annos plus minus 30. continuos vsq; ad confectas cum hoste inducias. Nec initis inducijs quicquam ferè mutauit ad tempus vsq; præsens. Scilicet militum numerum non minuit, stipendia eadem soluit, in alijs etiam impendijs, quæ bellum poscit, nihil admodum remittit præterquam ad apparatum expeditionum, ad castra, ad arcium oppidorumve obsidia ac oppugnationes quæ pertinent. Sic enim in hac ab armis quiete nunc agimus per omnes has socias prouincias, vt de bello nunquam nõ cogitemus, & quauis horâ in idipsum parati esse poßimus. Exercitum alimus perpetuum armis*

probè instructum, semperq; velut in procinctu degentem nec sinimus eum in otio torpescere, aut segnescere, sed in assuetudine tractandorum armorum retinemus, vigilias obimus non aliter quàm si bellum haberemus; militiæ ludicra, agminum, acierum, præliorum simulachra nunquam intermittimus: Et hoc imprimis operam damus, ne vel hilum de non solutis stipendijs quisquam queri possit. Atq; hæc dum sustinemus belli & induciarum tempore, quod incredibile ignaris videri potest, vidimus & videmus publicè priuatimq; opes nobis crescere, vrbes pomœria proferre, hominum & commerciorum frequentiâ, ædificiorum numero pariter & splendore, munitionum magnitudine & firmitate augeri, oppida fore, conciliabula, vicos incrementa sumere, villas nouas surgere, veteres instaurari, & meliores fieri, agros ipsos nitescere; leges & iudicia vbiq; florere, literas bonas non solùm nō negligi, sed etiam in medio armorum strepitu impensius solito coli, pædagogiâ dotari, gymnasia illustria, & Academias institui & crebrescere, Christi Ecclesias luculenta augmenta capere. Cuius incredibilis felicitatis causas statuimus, primùm Dei infinitam gratiam, & bonitatem, omnium bonorum perennem fontem, deinde causæ ipsius, quæ armis defensa est, æquitatem, quā secundo euentu, & admirabili fortunâ coronare ad nominis sui gloriam DEO Opt. Maximo placuit; denique acre pro libertate studium, quo populus non solum tolerauit onera & incommoda belli patienter, sed etiam superauit, difficilimisq; temporibus arctis

rebus

rebus insuescens parcimoniam didicit & in quæstum vertit: deniq; ingenium populi solers & industrium, reperiendis artificijs & rebus agendis à natura comparatum, fortunam sibi hanc cudit. Postremò maritimarum rerum scientia & vsus maximus, ac per hæc quasi maris imperium quæsitum quo vniuersi propè terrarum orbis commercia nobis aperta sunt, maximo emolumento fuere. Ordo verò militaris vt in socijs prouincijs omnibus, ita in hac, de quâ iam scribimus. Frisiæ parte tam accuratus est, vt, si fraus ei non fiat hominum nequitiâ, nihil vsquam reperiri poßit huius generis melius. Disciplina optima continendis in officio militibus, & à vitiorum vsu ac insolentiâ, licentiâque, quæ alubi ferè apud hoc hominum genus inveterato quodam malo in morem abiere, prohibendis: quâ fit, vt qui militiæ huic adscripti sunt, mitescant, & mansuetudine ac modestiâ cum benè moratis ciuibus certare videantur: & quia ex otio vitia ferè existunt, ad labores ita assuefiunt propositâ mercedis dulcedine, vt Marianorum mulerum similis esse non malè dixeris. Ob hæc prætor inter milites iudicij militaris præses liberali stipendio aditur in quauis prouinciâ, cum assessoribus duobus, & iudicij scribâ & accensis, qui, cùm causa criminalis grauior est ad vitam aut honorem pertinens, aduocat in tribunal cohortium præfectos, & cum his, quæ iudicij sunt, peragit: & præter hunc, disciplinæ militaris carcerisq; præfectus, quem Prouostum *nominant, & eiusdem optio seu vices gerens, & lictores duo:*

 item

item lustrationum magistri duo ex honoratissimis prouinciæ cuiusq; viris; qui cohortes sæpè recensent, & hoc operam dant, ne qua in numero militum, aut armorum genere, aut re simili Reip. fraus fiat. Cohortes in partes suas & ordines certos sunt diuisæ; Ordines vario armorum genere grauiore, leuiore, sclopetis, muschettis, lanceis, ingentibus gladijs, quos vtrâque manu vibrant, distincti, alij ferreo thorace & galea, alij toto corpore à vertice ad genua ferro cooperti, alij nullo ferro tecti, omnes ensibus & pugionibus accincti: & vt armis ita stipendijs quoq; diuersi, & alij alijs magis in obeundis laboribus aut vigilijs immunes. Cohors præfectum summum habet, quem capitaneum, id est, caput cohortis vocant, item vices præfecti gerentem, quem locumtenentem hodiè dicimus, optionem veteres dixerunt, vexilliferum quoque, qui vexillum toti cohorti commune gerit. Et præter hos, accensos quoq; habet duos, Sargeantes Gallico vocabulo nuncupatos, quod mandatarios significat, quorum operâ præcipuâ cohortis præfectus ea, quæ vult, mandat, & mandata peragi curat: habet item ductores tres, in quot partes maiores cohors ipsa plerumq; distinguitur, quos Corporales appellant, quorum singuli singulis illis partibus præsunt, tanquam præfecti minores: & his totidem sunt subiuncti, velut optiones, qui pro absentibus ipsis curant. Sed extra partes illas cohortis tres manus quædam est militiæ honoratioris, cui à nobilitate inditum nomen (& sunt in eá plerique nobilium liberi,) excubias quidem nocturnas ipsa non agens,

agens, sed eos, qui in excubijs sunt, & stationes seruant, in orbem visitans, eosdemq; tesseram poscens militarem. Legioni, quæ ex cohortibus pluribus constat, dux præficitur, cùm in expeditiones itur, cui colonetti, qui quaternis aut quinis cohortibus ac præfectis præsunt, parent. Exercitui toti praeest prouinciæ Gubernator, totius rei militaris caput. Cuius est non solùm στρατιωτικὰ hæc sed etiam πολιτικὰ curâ suâ complecti, atq; id prouidere, ne quid in vniuersum Resp. domi & foris, pace & bello, detrimenti capiat. Quem locum hoc tempore heic tenet, & iam per annos 31. tenuit Dominus GVILLIELMVS LVDOVICVS Comes Nassouius princeps laudatißimus, sapientißimus, fortißimus tuendæ libertatis, & sinceræ religionis longè studiosißimus. Quo prouinciam gubernante prouinciæ res afflictißimæ in hunc statum, quem iam tenemus, florentem & fortunatum peruenere. Huic, vt DEVS longam & felicem vitam & valetudinem bono Reip. & Ecclesiæ largiatur, precor ex animo.

Ad hanc rem militarem pertinet quoq; armamentarium omni armorum & apparatuum genere instructißimum, quod Ordines huius prouinciæ habent Leowerdiæ: cui sanè deesse dixeris nihil, quod ad instruendum bellum, & armandum militem poßit facere. Licet in eo videre tormenta ænea & ferrea, bono numero, quorum vsus est in expeditionibus, prælijs, castellorum, artium, vrbium oppugnationibus ac defensionibus minora, maiora, maxima, quæ non nisi

axibus imposita mouentur, & diriguntur in hostem: & præter ea etiam portatilia plurima, muschetta, sclopetta: & cum his magnam copiam pulueris sulfurei globorumq; ferreorum pondere & magnitudine differentium ad exercenda tormenta. Licet quoq; videre ingentem numerum galearum, thoracum, humeralium, brachialium, femoralium ferreorum: tum scuta, bipennes, gladios, rhomphæas, pugiones, lanceas, hastas, veruta, spicula, sagittas, scorpiones, arcus, clauas, funalia, ad hæc machinæ variæ, quas recensere longum foret, & tædium crearet lectori. Quæ supersedeo, & partem hanc hîc tandem finio.

F I N I S.

N O T A.

Supra in fine de rebus ciuitatis Leoẘerdiæ pag. 49. vers. 9. *vbi de anno mortis Hayonis Cammingæ, error in calculo est, & rescribendum:* apud suos periit anno, ni fallor, 1558.

CAPITA

CAPITA HVIVS SYNTAGMATIS.

DE AGRO FRISIÆ INTER AMASVM ET LAVICAM FLVMINA.

VRbs GRONINGA proximis aliquot sæculis amplißima, splendidißima, & validißima in Frisiis fuit: eademq; situ penè medio regionis ab Occidente in Orientem porrecta, ideoq; omnibus ferè rebus eius magnis bello ac pace implicita; deniq; Reip. formâ præ cæteris insignis, atq; optimè habens. Quapropter operæ pretium visum, seorsim quædam de eâ differere, & explicare accuratiùs, eaq; explicatione lucem affundere multis partibus Historiæ nostratis. Et primùm quidē de agro dicam breuiter, in quo vrbs sita est, deq; fluminibus agrum percurrentibus: tum de ipsâ vrbe, de iure Vltraiectino, de pactis & fœderibus eius, de conatu & armis Saxonum, de Edsardi, Geldri, Burgundorum imperio, summatim agam; pòst de αὐτονομίᾳ & præclaro iure ciuitatis addam nonnulla: postremò ordinem Magistratuum & cæterarum curationum in vrbe & extra vrbem, totamq; formam regiminis ciuilis exponam. Ager sic habet, quemadmodum & in Historiæ libro primo exposui.

Summa operis & ordo.

Agri situs & facies.

Post Lauicæ æstuarium, & alueum eius penè emortuum, Ostergoæ ac totius Frisiæ Occidentalis terminum,

nium, ad quem Visuleta vicus celebris & cœnobium Gerriconium sunt, ager hic noster, de quo agimus, venientibus ab occasu sequitur, longoq; litoris tractu non minus quinis milliaribus secundùm latus boreum, ac vadosa æstuaria in ortum porrigitur. Inde in meridiem se referens Amasi fluminis ostio, ac sinu Dullarto, quem à fluctuum rabie sic nominant, ortiuo latere clauditur, sed sinuosis admodum ac variè flexis litoribus. Nam primùm à Septentrionibus, vbi sensim per aliquot passuum millia descendit ad portum ferè Delfsilanum, inde rursum in ortum conuertitur, Amaso oram radente: mox ad Dullarti initium, in terras se insinuantis, veluti linguam aut cuneum efformans, cuius in extremitate Reida vicus quondam percelebris, nunc castellum modò militare est, inter meridiem & occasum aliquousque, deinde quasi incitantibus se in terram fluctibus, vlteriùs etiam in Occidentem longo spatio litus retrahit, iterum breui flexu in ortum redit, atq; eodem penè, quo in Occidentem ierat, spatio, in quo Midzwoldicum fanum quatuor turribus conspicuum sese offert, rursus procurrit: postremò alijs etiam minoribus sinibus receptis ad terminum austrinum contendit, vbi cœnobium est Hilligerlæum, Hispanicâ clade nuper nobilitatum, & Bellingzwoldij. Ab eo termino per palustria & arenosa ad Ostergoæ limitem longo tractu recurrit, VVesterzwoldios primùm, dein Drentiam ad meridiem habens: idq; latus meridionale omnium eius laterũ est maximum, 26. millibus passuum non breuius. Ager totus

dimidio ferè, quàm Translauicanus, minor: argilloso vt plurimum, & vbere ad pascua pariter ac frumenta solo: palustris tamen & nemorosus, quà Dullarto adiacet, quâq; Ostergois ad meridiem cohæret, sabulosus hic illic quà Drentiæ coniungitur. Hanc ego regionem à Lauicâ in Amasum ac Dullartum, minoris Frisiæ *nomine affectam interdum auorum & proauorum nostrórum memoriâ reperio. Simul vsus dudum inualuit, ab vrbe Groningâ, siue quòd in solo eius hæc sit ad austrinum limitem, (quod tamen in dubium trahant nonnulli,) siue quòd fœderibus antiquitus cum eâ connexa, seu vtramq; ob causam simul,* Groninganam *vocitare. Nunc ex decreto in actis publicis non nisi* Vmlandia, *id est, regio* περίχωρος *dicitur. Diuisa quondam in plures prouinciolas, ceu populos quosdam minores, legibus & imperio inter se distinctos, quos tamen commune fœdus & respublica quædam maior plerumque in vnum rursus colligebat. Et sunt eius diuisionis etiam nunc in vsu notißima vestigia, paulò pòst exponenda.*

Agri nomē.

Agri diuisio.

Eandem hanc regionem vel agrum duo amnes præcipui olim percurrerunt, & percurrunt quoq; hodie, quanquam nominibus iam aliis noti, nec eodem vbiq; retento meatu. Alter Hunesus *quondam dictus in Drentia exoriens, collectis primùm aquis palustribus tenuis, deinde lacum Laræum magnum profundumq; ingressus ac permensus, eiusq; copiâ auctus, iusti iam fluminis instar latus atq; altus, Gronenbergiam arcem*

Amnes. Agrum secantes.

Hunesus fluuius.

olim

olim haud incelebrem allapsus, imò penè circumlapsus, relictâ ad 4. circiter stadia Groningiâ, quæ ei ad Occidentem & Meridiem erat, in circium deferebatur: mox milliari vno magno infra Groningam flexo cursu rectâ Occasum versus se incitabat per Hunesgonios, qui ex eo nomen habuerunt, donec in æstuarium Lauicæ, vt nunc quoq; facit, exiret, & communi cum eo ostio se exoneraret inter insulas in Oceanum. Nunc oppidanorum studio oppositis aggeribus, obstructo, quâ vrbem præteruehebatur, vetere alueo, relicto ad dextram Gronenbergio solo, ad vrbem multos ante annos deriuatus magno vrbis commodo, auctusq; illic amnis Abæ aquis è Drentiâ similiter venientibus, perq; longum spatium infra vrbem eiusdem Abæ alueo vectus Vnderdwerumum vsque, atque ibi veteri alueo redditus, aggeribus ab vrbe ad exitum vtrimq; compressus, toto hoc infra vrbem spatio ab arundinum copiâ voce Germanicâ Reitdiep *vulgò iam nuncupatur, veteri nomine illo Hunesi prorsùs obliterato, & accolis etiam omnibus ignoto ac penè inaudito. Quæ verò pars eius est supra vrbem, per Drentiam & Præfecturam suburbanam means, hodiè à nauium certâ specie, quarum in eâ vsus est frequens comportandis ad vrbem cespitibus, id est, glebis palustribus in vsum ignis, vocatur* Schutendiep/ *habetq; vtrimq; agros humiles & vliginosos, per quos decurrit, & præterquam, quâ aggeribus constricta est, eosdem sæpè inundat. At alter amnis è duobus, quos dixi hunc agrum olim secuisse,*

Hunesi derivatio.

Aha amnis. Huneso iunctus.

Reitdiep.

Schutendiep.

nomen

Fiuela flu. nomen Fiuelæ *habuit, iam prorsus etiam ignotum, & è Duerswoldijs finitimis Præfectura veteri, aut ex ipsâ Præfecturâ vetere se proferens primùm, locumq́; , vbi nunc cœnobium VVerumanum est, antiquitus, deinde mutato cursu modico à cœnobio interuallo humilia camporum perluens, longo ac tortuoso meatu illam agri partem permensus fuit, quæ Amaso propinquat. cuiq́; nomen ex se tribuit* Fiuelingiæ, *vel* Fiuelgoniæ: *(vtraq; enim forma hodiè quoq; vulgò dicitur) ac demum apud Sondios (id vico tũ nomen) sese effudit. Verùm is exitus eius ante annos plus minus 4000. biecto aggere transuerso oppilatus, & alueus ipse magnam partem vnâ cum nomine paulatim extinctus est. Collegit ille ex omni ferè Fiuelgoniâ aquas eas, & exonerauit, quas iam riuus Dammonensis, hoc nomine hodie notus, eodem ex agro collectas (nam per eundem hunc agrum defluit, & multis locis eundem quoq; alueum seruat) per canales Delfsilanos in Amasum egerit. Et hunc quoq; oppidani quàm plurimos ante annos depreßâ per paßuum milliâ peramplâ foßâ ab eo loco, qui ab aggeris flexu nomen fert, ad mœnia vsq; sua deriuarunt, meabilem actuarijs nauicus maiusculis, quanta scilicet per canales Delfsilanos traduci poßunt. Quin etiam studio Casparis Roblesij Gubernatoris regij non ita multos ante annos claustra ad vrbem huiusmodi constituta sunt, vt quoties oppidani velint, amnes hos duos Fiuelam & Hunesum ad vrbem dudum deductos confundere, rursum per eadem claustra disiungere queant. Ac Fiuela*

Fiuela ad vrbem ductus.

quidem

quidem, qui nunc Dammonensis riuus est, (Dammonam quippè duobus milliaribus Germanicis magnis ad ortum solstitialem ab vrbe Groningâ perluit) non iam liber, vt Hunesus, in Amasum effunditur, sed exitum eius quatuor ingentes canales coërcent, tres ad castellum Delfsilanum continuis lateribus, quartus propè Farmsumum vicum loco proximo, paucis modò passibus Delfsilâ disiuncto. His porrò amnibus, qui hanc Frisiæ partem perluerunt olim, addiderit quis tertium haud minorem prioribus, cui Eæ nomen. Is in Monasteriensium finibus ortus, & à Meridie in Septentrionem se incitans, omnemq; agrum VVesterwoldicum primùm, deinde planiciem illam camporum per quam Dullartus sinus ingens iam se fundit, & lato & profundo alueo permensus, haud procul exitu in Occasum, & rursus in boream flexo cursu inter duas Reidas, vicos olim haud incelebres, per septem canales in aggere defossos in Amasum se exonerauit, & agrũ hunc quem iam describimus, ab eo qui Frisiæ Orientalis nomine nunc censetur, & Comitatus titulum fert, secreuit. Nunc post Bellenwoldios, qui in orâ austrinâ sinus sunt, Dullartinis fluctibus tectus, quanquam alueum sub fluctibus seruet, nusquam tamen apparet, vt & cætera omnia, villæ, vici, fana, quæ in eo spatio fuerunt. In hos autem, qui supersunt, amnes, vt & in æstuaria vicina, riui complures scaphis & lintribus meabiles se effundunt: quorum alij orti ex se, aquis viam sibimet facientibus, alij humanâ industriâ excauati, hic illic regionem secant, & vicos plerosq;

Damsterdiep.

Ea amnis Dullarto tectus.

Riui agrũ percurrentes.

cele-

celebriores alluunt, duplici regionis bono. Nam & humiles atq; vdos agros aquis leuant, & commeandi vectandiq; facultatem incolis commodissimā præstant. Sed qui Hunesum augent, aut in æstuaria aut Dallartum effunduntur, claustris in exitu coërcentur: cæteri libero lapsu Fiuelæ se miscent. Duo etiam ad vrbem ipsam Groningam longis brachijs se porrigunt, Honæus in Occidente, Botteranus à borea.

Populi regionem colentes.

Populorum minorum hanc regionem habitantium nomina, situs, ratio ita habent. Ad Occidentem & Meridiem Hunesi fluminis Langovvoldij *Ostergois finitimi, complexi vicos fanis insignes 13.* Fredovvoldij *in eadem plagâ Syluestribus ac Drentiæ propinqui, vicis 10. comprehensi, tenui in solo vtrique:* Hummertzij *in latere æstuarij Lauicani ad effluxum fluminis iam dicti, eluuionibus ad tres tantùm vicos redacti, sed agri felicis, vbi riuus ex Drentiâ descendens, & Transhunesanam omnem regionem pererrans canali nouo ad castellum militare compressus in idem æstuarium exit, & alluuio nunc reddit, quod diluuia quondam & tempestatum vis abstulerunt:* Medachij *ad eiusdem fluminis ripam introrsum magis pertinentes in vicos 9. in solo perubere ac læto sparsi, ex quibus quinq; abbati Adoardio vicino suo parent. Hos verò &* Octopagicos *olim vocatos, & Hunesgonijs sequentibus accensos deprehendo. Ad Orientem & Septentrionem amnis Hunesi deinde reliqui* Hunesgonij *secundùm litus regionis boreum longo tractu extensi, atque hinc interiora versùs,*

Langowoldij *Fredewoldij* *Hummertzij.* *Medachij.* *Hunesgonij*

Hum-

Hummertzijs & Medachijs pariter aduersâ in ripâ secundùm amnis lapsum oppositi, donec in proxima vrbis Groningana, & in riuum Dammonensem Meridiano latere incurrant, latis simul pro modo priorum, & omni ex parte tum naturâ, tum hominũ opere benè cultis finibus; quippè quibus non minùs 55. vici cum singulis fanis contineantur: Distincti in praefecturas minores quinque; quarum ea, qua ad ostium fluminis vaduniq; Lauica sita est, Marnensis dicitur; altera Vbbingana, secundùm superiorem fluminis partem Groningae in eorum vicina; tertia, quam mediam vocant, prioribus confinis, in fluminis ripâ, quâ in Occasum se vertere incipit, ad litus boreum pertinens, quarta ab aggere interiore cognominata, in aquilonem ab vrbe vergens, riuoq; Dammonensi in caeciam ventum ab vrbe defluenti contigua; postrema cunctis prioribus maior per quina passuum millia iuxta litus idẽ exterius porrectâ, pariq; ferè spatio intus patescens: Fiuelgonij *Hunesgonios ad ortum sequentes in Amasi orâ, similiter in duas diuisi partes, quarum prior 31. vicos complexa insignes nulli superiorum felicitate cedit, tum ob terrae bonitatem, tum ob commoda fluminis vicini: altera vicis rarior, quos 9. tãtùm habet, palustri ferè, & passim humili ac vliginoso solo, in austrum priorem sequens, ad interiora vergens, per quam ab ortu venientibus iter Groningam est: eam* Duersſwol*diam proprio nomine appellitant. Atq; hi sunt populi, quos nunc* Vmlandos *nuncupamus. Cuius quidem vocabuli ἔτυμον si spectas; & si exempla*

intuearis

Fiuelgonij.

Die vmbs landen.

intuearis in literarum nostratium monumentis, non verè proprium id nomen esse, huic tantum regioni competens, sed commune & appellatiuum, vt loquuntur Grammatici, nec vocem absolutam, sed in genere τ̃ πρός τι, referendam ad vrbem aut locum aliquem celebrem, circum quem ager populive siti sunt, dubitare nō potes. Sic enim est in antiquioribus literis, atq; etiam in nuperis ante exortam litem, Die Vmblanden by Gronningen / vmb Gronningen / van Gronningen : *quemadmodum alibi,* die Vmblanden / vmb offte by Franeker / Bolswerdt / Lewerden / *& similia: Item,* Gronningen met ehre vmblanden / *vt* Ocko thom Broeck / Sibet tho Kustringen mit ehre vmblanden. *Sed mitto hoc: ad rem reuertor. Omnes hi populi, quos iam recensui, in tres partes, ceu membra regionis, hodiè diuisi sunt, & dudum diuisi fuêre: quarum prima, quæ trans Hunesum ad Occidentem & Meridiem est, vsq; in Lauicam & Ostergoos, ac* Occidentalis *vulgò nuncupatur: altera Hunesgonios cis Hunesum, tertia Fiuelgonios complectitur. Hæ in conuentibus generalibus coëunt plerunq;, & coniunctim de rebus deliberant, & suffragia ferunt, sæpè etiam, si dissensio sit, singulæ seorsim, disiunctæ cellis, & quò duæ inclinant, eò tertiam quoque accedere ex more aut lege cogunt. Ad iuridicos verò consessus superiores, ad quos à tribunalibus inferioribus in singulis territorijs prouocatio est, separatim Transhunesani & Cishunesani certis anni temporibus in vrbem Groningam conueniunt, vt nunc*

Literæ in publica forma extant cum sigillis.

Tripartita eorum qui se Vmlandos vocant, diuisio.

mos

mos habet, & diu habuit: quamquam aliquando aliter quoq; habuerit. De *quâ re rursum dicetur nobis amplius, in sequentibus.* A *Fiuelingijs* Præfectura vetus, *sequitur, ab Amaso flumine initium sumens, & ad Dullartum sinum toto eius occiduo ac sinuoso latere, vt hodie res habet, strata, vimq́; ab eo quondam & iacturam passa maximam, agris & vicis fluctu obrutis, vt è magno horum numero vix 17. hodiè, ac pleriq; semilaceri mutiliq́; supersint: cuius pars borea Amaso vicina soli pinguis ac argillosi, reliqua ferè exilioris, minusq́; læti, partim palustris ingenij, partim arenosi, nemoribus frequens, quá meridionalis maximè, Reideria quondam accensa, Tiammâ riuulo è paludibus defluente à proximis dirempta, nomine hoc ne nunc quidem istic obliterato, capite eius VVinscota. Tota verò hæc ab Amaso ad austrinum limitem ciuitati Groningæ ab annis propè 200. bonis conditionibus paret. Eius austrino limiti ad Dullarti finem* Westervvoldij *connectuntur, & ipsi Reideriorum quondam pars, hinc porrò in latere ortiuo Dullarti eiusdẽ secundùm Amasum longo tractu duobus magnis milliaribus, & dimidio haud breuiore pertinentium: hi vicis censentur quinque, agrumq́; colunt, nisi quantum Dullarto sinui proximum est, haud felicem, ac paludosæ ferè naturæ: in quos imperium, aut imperij vmbram habuit multis sæculis Addingia familia nobilis, VVeddæ arcis vetustæ eodem in agro domina, VVesterwoldico cognomine posteris quàm gentili notior: nunc ad Arembergios omnia translata.*

Præfectura vetus. Olde ambt.

VVester-woldij.

Dat Gho vñ Woldrecht. Postremò territorium suburbanum *est totius regionis fines ad austrum longo tractu contra* Drentiam *tuens, vicos ambitu suo continens 12. cum fanis rusticis 6. & cœnobia duo, ambiguo inter Drentiam & eam, quam iam exponimus, Frisiam iure, quibus se debere hinc atq; inde decerptis quibusdam partibus coagmentatisq; videtur: linguâ tamen, legibus, institutis per multa nunc sæcula illam magis quàm hanc referens, & Vltraiectinum Præsulem olim summum Dominum agnoscens. Antiquißimi eius rectores Gronenbergij feruntur: ab his ad Seluerdios, à Seluerdijs vicißim ad Vltraiectinos, Geldros, Burgundos ordine peruenit; Burgundi postremò senatui populoq; Groningano, nihil imminuto veteri vicanorum iure ac libertate, attribuerunt. Atq; huius in solo, vbi arenis gleba pinguior iungitur, editiore in dorso inter camporum humilia linguæ instar se porrigente, sedem habet* GRONINGA *nostra, de quâ nunc scribimus potißimùm, vniuersæ regionis nunc descriptæ, vt & totius Drentiæ, commune velut horreum.*

GRONINGA.

Aggeres fluctibus oppositi. Regio *vniuersa ab exitu Lauicæ per ambages varias, quâ æstuarium se curuat, quâ Hunesus egreditur, quâ vadum à septentrionibus alluit, quâ Amasus, quâ Duliartus se sinuant, in orâ aggeribus perpetuis, opere difficillimo, sepitur & defenditur contra aquarum influxum: idemq;, vt dixi iam antè, secundùm Hunesi lapsum fit non ab vrbe solùm, sed & supra vrbem, vsq; ad eiusdem ostium. In eâ post Groningam nobilißima & maxima* DAMMONA *est, non*

DAMMONA.

vilis

vilis oppidi instar, si ambitum, & frequentiam habitatorum, si ædificiorum numerum, magnitudinem, formam, si viarum habitum spectes, sed honore mœnium, & iure imperij ciuilis magistratuumq; carens, amœna, in circulum ferè se colligens, fossâq; vt plurimum cingens, templo illustri cum turre latè spectabili insignis; fanum quoq; monasticum peramplum, sed extra ambitum, lateri tamen occiduo penè contiguum habens familiæ Augustinianæ, nunc ab omni cultu desertum, ac vix se sustinens: sita ad Fiuelam amnem duabus infra Groningam milliaribus cæciam versùs, eodemq; amne nauigabili media diuisa, pontibus intus connexa quinque: vnde ad exitum amnis, vbi Delfsilæus portus & castellum, milliare dimidium: vallo, fossâ, portis quondam munita ab Edsardo ante annos centum, & triennio pòst à Georgio Saxone ciuitatis quoq; iure atq; ordine magistratuum donata; sed his ab eodem post annos 12. illis à Geldro anno sequente rursus exuta nudataq;: à Tautenburgio demùm Burgundicæ militiæ duce anno 1536. excidio damnata, & vix precibus suorum incolumis conseruata. Ipsa caput quondam Fiuelgoniæ: à cuius Ordinibus iura eius qualiacunque ac statuta vetera, per manus accepta, & in more posita, quæ priuilegia sua Dammonenses vocant, solenni in conuentu, anno post Natalem Christi 1327. recensa probataq;, & mox paucos pòst dies ab omnibus quoque Frisiis in comitijs vniuersæ gentis ad Vpstallesbomum confirmata esse, in Historia exposui.

Litera de iure Dammonensium, vulgò acta.

die Buerbrieff van den Dam. *expoſui. In ſtatutis his hæc reperio*, Dammonam, vt nunc habet, ita tunc habuiſſe iudices ſuos ex indigenis lectos: his finito muneris ſui tempore (trienne id eſſe ſolet) cum primario loci ſacerdote ius fuiſſe, die 22. Februarij ſucceſſores ſibi deſignare: hoſque cognoſcendi iudicandique poteſtatem habuiſſe de negotiis & querelis omnibus omnium hoſpitum ac peregrinorum Dammonam venientium, ſine contradictione: ſimiliter de contractibus quibuſuis coram ipſis iudicibus initis, de promiſſionibus itidem apud eos factis, deciſâ æſtimationis parte quartâ; præterea de damnis pecudum vi Dammonenſi à Dammonenſi illatis: at de membrorum mutilatione & de vulneribus iudicium eorum non fuiſſe, niſi facinus patratum eſſet ipſis præſentibus, aut incendij tempore: Et tamen in eo quoque caſu Conſulis, id eſt, iudicis ſuperioris, quem Redger. *Redgerum* dicere mos eſt, mulctam ex lege fuiſſe, non ſecus ac ſi ipſe iudicaſſet: eoſdem iudices illos ter quotannis iudicia exercuiſſe per dies quinos: ter item pondera & menſuras examinaſſe; panis quoque venalis, cereuiſiæ, vini, viarum, puteorum, & ſimilium rationem & curam habuiſſe, (*quod ædilium annonæ præfectorum ſolet munus eſſe:*) litem introductam ad horum tribunal, ſi lis huiuſce tribunalis eſſet, non licuiſſe litigantibus, iudicibus his

deſpectis,

deſpectis, alij traducere: ſi quis contra feciſſet, ſeu actor ſiue reus, eum ſex ſolidos iudicibus, totidem æditruis ſoluere mulctam oportuiſſe: curæ iudicibus ijſdem fuiſſe, ne facinoroſi ſedem Dommonæ haberet: ſi quis Dammonenſium Conſulatus, id eſt, imperij ac iuriſdictionis ſuperioris ius haberet, idque in alium non Dammonenſem conferret, 30. marcas mulctã populo Dammonenſi ſoluiſſe: eandem pœnã ei fuiſſe, qui aream ſuam in oppido venderet extero; quàm ſi is ſoluere ob inopiam non poſſet, aream publico ceſſiſſe; & hæc ſi pretium mulctæ non æquaret, propinquos proximos defectui ſupplendo 10. marcas adieciſſe: vni eidemque iudici ſimul & æditruo eſſe non licuiſſe: Dammonenſem cultello vulnerantem vicinum ſuum ſex ſolidos dependiſſe iudicibus his, & totidem æditruis. *His addita* de aduenis ſedem Dammonæ componere, domos emere aut cõducere volentibus, deque nuptiis ac rebus nuptialibus, *non inepta certè. Quæ omnia ſi quis volet conſiderare attentiùs, facilè intelliget, ampliùs tum Dammonenſibus ius, & poteſtatem iudicibus eorum ampliorem in iure dicundo fuiſſe, quàm nunc eſt, & à multis annis fuit. Nam prætorium imperium, & iuriſdictionem penè omnem ſoli Ripperdæi & Houuerdæi, aut qui his ſucceſſêre, dudum nunc tenent, &, quem volunt, Conſulem, id eſt Redgerum, oppidanis dant. Iudices illorum vix*

NOTA. „ „ „ „

vmbram rei, cuius nomen ferunt, retinent, nec vocare quenquam; nec prehendere, nec coërcere, aut in vincula dare, non causas, non crimina cognoscere, nec de his, nec de illis sententias ferre possunt. De Damnona *plus satis.*

Vici & eorum numerus & cultus.

Reliqua per omnem agrum vici tenent; & in his fanis insignes plus minùs 160. quorum non pauci eâ magnitudine & cultu, vt oppidula videri queant. Cuiusmodi *sunt* Visulet*a ad Lauicam, &* Northorma *in Longewoldijs:* Winsumum *ad Hunesi flexũ vno infra Groningam milliari:* Bedumum, Vthusa, Middelsthemum, Warsumum *in Hunesgonijs:* Loppershemum, Berumum, Farmsumum, *& quæ nominata iam est Farmsumo proxima, vnaq; cum eo in orâ Amasi posita ad Fiuelæ exitum,* Delfsyla, *amplis nunc munitionibus & firmis, velut vrbs, cincta, portu quoque celebris, in Fiuelingijs:* Winscota, *& quondam florens, nunc fluctibus Dullarti attrita, peneq; hausta,* Midvvolda, *cum fano quatuor turribus latè conspicuo, in Præfecturâ veteri: vt de* Reidervvolda *ijsdem in partibus funditus deletâ, quâ medius ferè Dullartus fluctus nunc agitat, sileam, omnibus prioribus quondam ampliore ac ditiore.*

Cœnobia vel claustra monastica

Egregia adhæc ædificijs ac opulentiâ monachorum & sacrarum virginum Cœnobia in agro fuêre numero 25. ante cætera verò Adoardia *in Medachiis, quinq; vicis imperans, famosisq; opibus inclyta, superbo imprimis fano, ad modum & dimensionem ædis*

Claræual-

Claraucallensis magnificentißimè structo, visenda, ædificijs varijs ac multis frequens, munitionibus & portis, vt oppidum, clausa, familiæ Bernardinæ: tum Vetus *Dammonæ vicinum Benedictinarum virginum, & alterum eodem nomine ac eiusdem ordinis in Marnensibus:* Rottumum, Warfumum, Thesingæum, Selvverdia, Grisomonachum, Wittovverumum, Ostervverumum, Wytvverdia, Hilligerlæa, Schiltvvolda; *Essena etiam in Præfecturâ suburbanâ. Præterea Præpositur æ, sacerdotij genus opimum & honoratum, à Monasteriensi Præsule* εὐταξίας *ac quietis causâ introductum in hæc loca, quatuor,* Farmsumana, Loppershemia, Vsquerdia, Leensia: *quinta in Hommertzijs iamdudum extrita. Collegium quoque canonicorum, aut vt tum vulgò loquendi mos habebat, Ecclesia collegiata apud Bedumanos cum fano ibidem illustri, supra fanorum rusticorum modum; cui primus sacerdos non temerè alius, quàm aut genere aut doctrinæ titulo conspicuus solet dari, magno honore atque autoritate in populo. Denique pastura* Boffloa *in Hunesgonijs, itemque* Middelsthemia, *vicario munere pro Monasteriensi olim decorata. Nec ad hæc, quod mireris, Regum aut Principum liberalitas quicquam contulit, sed rusticæ plebis studia, paucorumque nobilium ista sanè, quàm pro re ac agri modo, maiora congeßêre.* Præpositura. Praweste dven. [Vide inf.] Canonici. Pastorye.

Quibus omnibus si quis addat Nobilitatis domicilia toto agro sparsa, cultu & mole magnifica, inueniet Arces familiarum nobilium.

inuenias nihil ad eius pulchritudinem ac fortunam penè posse adijci. Castella verò militaria in agri ora, Soltcampæum *ad Hunesi ostium,* Delfsilæum *sæpè iam dictum, præ cæteris ingens,* Reidanum *in Amasi & Dullarti angulo communi,* Bellingvvoldium *ad Dullarti recessum intimũ,* Buertangæum *in palustribus inter VVesterwoldios & Monasterienses medijs, integra adhuc omnia, & præsidijs insessa ad seruandos regionis aditus contra hostes: cætera complura iam exarmata.*

Iurisdictio in agro.

Iurisdictio per omnem agrum (exceptâ Præfecturâ vetere, quæ ad ciuitatem, & VVesterwoldijs, quæ ad Addingios, & ab his ad Arembergios certis legibus deuoluta fuit, & territorio suburbano, cuius etiam peculiaris ratio) cum prædijs antiquitus liberis ac immunibus connexa est, vt qui prædia illa vt sua tenet, iurisdictionem cum imperio quoq; teneat. Iuris dicundi autem causa agri totius partes illæ iam expositæ in territoria quædam minora sunt sub diuisæ. Et horum alia vicos singulos, alia binos, alia ternos quaternosve complectuntur; quædam etiam singulos vicos disiungunt. Estq; in vnoquoq; territorio certus tribunalis locus. Ac quoniam in territorijs singulis prædia huiusmodi complura sunt accidit ferè, vt per vices & successiones annuas prædiorum domini iurisdictionem cum imperio habeant, idq; secundùm modum aut numerum prædiorum, quæ possident. Nam qui prædium huiusmodi vnum tantùm tenet, vnius tantùm anni iurisdictionem in eodem territorio habet, qui duo, duobus.

duobus; qui plura, pluribus: & si quis omnia, perpetuam quoq; iuris dicundi potestatem eo in tribunali obtinet: idemq́; valet in ijs, qui ius illud prædijs cohærens à prædiorum dominis prædia ipsa retinentibus, quamquam id veteri instituto planè contrarium sit, pecuniâ, pactione, dono, cessione, deniq; quoquo modo sibi acquisiuerunt. Quâ ratione Dammonense *tribunal, quod olim multorum fuit, nunc ad solos* Ripperdæos & Houuerdæos, *aut eos, qui his successêre,* Farmsumanum *verò vicorumq́; aliquot vicinorum ad vnos etiam ac solos* Ripperdæos *deuolutum videmus. Nec desunt huius generis exempla quoq; alia, sed & pauca, & ferè recentiora. Porrò prædiorum domini aut ipsi ius dicunt, aut alijs hominibus idoneis id delegant, prout cuiq; commodum aut gratum est. Est enim hoc arbitrij ipsorum. Ius dicens siue iure suo, siue delegato patria lingua* Redgerus, *nonnusquam etiam in locis ad Occidentem* Grietmannus *more Translauicano vocatur: quæ voces iudicem singnificant. Is vnum aliquem, vt nunc lege cautum est (nam plures fuêre antè, si territorium vico vno maius esset) è territorio virum honestum dari sibi ab ijs, qui territorio comprehenduntur, curat, cui* Wedmanno *nomen est, qui non solùm assidet ius dicenti, sed iudicij quoq; minister est, & quædam momenti minoris sine iudice per se expedit. Qui in iuris dicundi munere est, merum & mixtum imperium habet, mandandi, prehendendi, mulctandi, coërcendi, capite puniendi potestate præditus est: mulctas & cætera iudicij commoda percipit* Redger. Grietman.

N 5 *ipse,*

ipse, aut cum Vedmanno pro rato communicat. Ab his tribunalibus omnibus appellatio est ad conuentus iuridicos, aut Cameram Houetmannorum Groningensium, de quibus pòst nobis erit dicendi locus. Olim autem non Houetmanni solùm, sed etiam Consules senatusq́ Groninganus plerisq́ in causis appellati sunt interponendiq́ edicta ac mandata suo tum Ordinum agrariorum nomine potestatem habuerunt, causasq́ ipsas vnâ cum cæteris in conuentibus iuridicis recognouêre & definiuêre, vt ex ijs, quæ infrà de iure ciuitatis dicentur, fiet manifestum. Sed & aliud quondam tribunal in agro fuit, & adhuc est, ad crimina grauiora, quæ capitalia putantur, controuersiasq́ de iurisdictionibus cognoscendas & iudicandas pertinens, quod vocant communiter dat Overrecht: *quod vicos complures eiusdem viciniæ colligit, è quibus ij, qui eo iure præditi sunt, (id similiter vt priùs prædijs certis cohæret) vertente anno coëunt certo loco, vbi antiquitus tribunal hoc locatum fuit, & in leges ac incorruptam iustitiæ administrationem iuramento obstringunt sese, ad quos vices illæ annuæ rediêre: ijdemq́, quoties res poscit, vocati conueniunt eôdem, causasq́ cognoscunt & sententias ferunt: tum domum in diuersa recedunt. Et sunt tribunalia huiusmodi cis Hunesum per Hunesgonios & Fiuelingios complura, sed alibi eo, quo dixi, vocabulo, alibi* die Langhrechte. *Teutonicè nuncupata, nomine non re diuersa. Atqui ius hoc, quod dixi prædijs connexum, in hac ratione nonnusquam vico quoq́ integro vni aut*

Overrecht.

Langhrecht.

alteri.

alteri, id est, toti plebi vicanæ, non prædijs in vico singulis, alicui & vni familiæ nobili pro toto vico cohæret: eiq; vico aut familiæ nobili potestas hæc est perpetua. Qui potestatem hanc tenet iure loci eius, vbi sedes iudicij est, is stato die cæteros omnes istuc coeuntes sacramenti religione obligat, eosdem, cùm opus est, conuocat, id quod ijs placet, pro sententiá pronunciat. Et accidit nõ rarò, vt qui in hoc iudicatu est, reliquam quoq; iurisdictionem eodem tempore teneat.

Præter hæc curationes quoq; sunt in hac regione binæ, honestißimæ conditionis, nec minus necessariæ Reip. quàm vtiles: Quarum altera ad aquarum claustra, & quæ cum his copulata sunt, altera ad aggeres pertinet: illa deducendis è regione aquis pluuijs & palustribus, aut rupto aggere infusis; hæc excludendis marinis aut fluuialibus est instituta: vtraque cum potestate, & quadam imperij specie; imprimis prior. In eá qui sunt, non solùm claustris ipsis, quorum maximus vsus, maxima impendia, præsunt, sed aquarum quoq; ductus, ac deriuationes, & pontes amnibus & riuis impositos curant. Diuisi in classes aut collegia plura secundùm regiones & claustra diuersa: & classes singulæ in gradus distinctæ. In his inferiores die Sijlrichters/ *superiores* die Scheppers/ *summi* die vpperste Scheppers *vocitantur. Et inferiores quidem singulis in claßibus, quas* Sijlvesten *appellant, complures numero sunt, pro multitudine pagorum, qui qualibet classe comprehenduntur. Quilibet enim vicus ex sui medio edit vnum duosve per eos, qui* *Aquarum & aggerũ curatores.* Sijlrecht. Dijck-recht.

hos

hoc ius habent, viros idoneos ac muneris capaces: qui omnes iurati in leges ad hanc rem pertinentes vicißim ex ſeſe edũt duos aut plures ſuperiores velut προεστῶτας, præditos poteſtate maiore, & ferè ex nobilitate, aut, vt ante hæc tempora res habuit, ex ordine antiſtitum cœnobijs præfectorum. Atq; his, in claßibus tribus, quæ totidem clauſtra Delfenſia curant, additus olim abbas VVerumanus, velut præſes aut rector ſummus, penes quem ſuprema autoritas: in claſſe VVinſumanâ, quæ duplex quoq; eſt, præfectus villæ, quam in Huneſgonijs Adoardij habebant: in Adoardianâ cellarius, vti vocant, Adoardius. Reliquæ claſſes hoc præſide carent. Et in vniuerſum, vt perplexa admodum atq; impedita aquæductuum ratio in hac regione eſt, dum ſibi quiſq; viciniaq; ſuæ conſulit ac ſtudet, ita varia, inter ſe diſcrepantia, intricata plurima ſunt in toto hoc inſtituto, aliudq; alijs in claßibus ac locis valet. Qui in Delficis claßibus ſunt, trienne munus habent; qui in VVinſumanâ, & Adoardianâ, bienne: alibi aliter. Poteſtas omnibus mandandi, vocandi, cognoſcendi, mulctandi ſecundùm leges. Conueniunt quotannis ter in claßibus ſuis deliberandi & ſtatuendi causâ ſtato tempore & loco. Et vt pleraq; alia communia habent, ſic hos quoq; conuentus claſſes Delficæ propter clauſtrorum ſuorum coniunctionem: habent & VVinſumanæ duæ, curantes clauſtra totidem. In his conuentibus, ſi res requirere videatur, decernitur tributum: id colligitur per inferiores: collectũm traditur ſuperioribus: ab his apud præſidem ſummum,

vbi

vbi præses huiusmodi est, deponitur: is ex decreto communi impendit, quò poscit vsus. In controuersiis mos fuit in claßibus Delficis, (puto etiam in VVinsumanâ vtraq; & Adoardianâ) si quis læsum se sententiâ aut mandato inferiorum arbitraretur, appellare superiores, post hos ad cognitionem vocare etiam cæteros eiusdem ordinis in claßibus iisdem cum summo præside, ab istis quod decretum esset, id ratum habere, nec tendere longiùs: Post ex conuentione sic institutum inter Delfenses, VVinsumanos, Adoardios, vt ab vnis ad proximos, à proximis ad tertios esset prouocatio: in tertiorum sententiâ esset litium finis. Atq; hoc nunc quoque apud eos in vsu manet. In cæteris claßibus omnibus, quæ Præfecturæ veteris non sunt, Houetmannorum Groningensium summum iudicium est. Aggerum præfecti, & ipsi secundùm regiones ac loca inter se distinguuntur, potestatemq; amplam habent, parem penè cum prioribus, sed decreta omnium extra eandem Præfecturam veterem, Houetmannis subiecta sunt. In Præfecturâ veteri, vt illi, sic hi quoque senatum vrbis summum iudicem agnoscunt. Operam dant, vt aggeres fluctuum violentiæ obiecti sarti tecti seruentur, disiecti reficiantur, interdum augeantur proferantur, contrahantur ex vsu patriæ. De quibus dicere plura non libet, ne fiam prolixior.

Deniq; Præpositi, *quos dixi, singuli suis in finibus olim descriptis eutaxiæ Ecclesiasticæ præsidebant ante hæc tempora, & sacris de rebus ius dicebant, aßidentibus sacerdotibus sacerdotum causas cognoscebant,* **Præpositi.**

delicta

delicta omnia contra matrimonij leges castigabant, ædium ac rerum sacratarum curam gerebant, rationes æditimorum examinabant, fœneratores comprimebant, pœnas ab ijs poscebant. Præter hos Officialis quoq; & Commissarius, vti vocabant, in curatione rerum talium pro Episcopo erant: sed in populo libero tantum non poterant, quantum ferè alijs in regionibus solent. Quæ omnia durarunt, quamdiu regnum Pontificium cum imperio Hispanico hîc stetit: eo verò finito, hæc quoq; interiêre. Quibus quæ successêre classibus congregandis, & habendis synodis, vt verbo diuino & primævæ Ecclesiæ propiora, sic vsu quoq; ipso, si pietas modò in vtentibus sit, sine dubio meliora.

Officialis & Commissarius.

Sacerdotes in agro numerati olim supra 222. quantulo in spatio? præter tot monachos & monachas, quot capi tam multis, & quidem peramplis ac opulentis cœnobijs potuêre: quorum numerus fide multò maior fuit.

Sacerdotũ numerus olim in Agro.

Populus vniuersus cum reliquis Frisiis à temporibus Caroli Magni ad Saxonum arma per annos ferè 700. liber fuit, suiq; iuris, Domini nescius: summi principis Cæsaris solummodò maiestatem comiter agnouit, nec tributis pressus, nec angarijs obnoxius, omnisq; adeò seruitutis ignarus. Quæ si quis cuncta consideret, intelliget sanè, haud facilè populum alium rus colentem posse reperiri in his orbis regionibus, qui libertate ac felicitate hunc antecesserit. Sed ipsa luxurians ac penè nimia libertas sæpè magno ei malo fuit.

Populi libertas.

NOTA. „ „

fuit, veramq́ & genuinam libertatem propè euertit. ,,
Nam ambitiosa ingenia factiones perperêre, pestem ,,
liberis populis propriam, sibiq́ potentiam struxerunt: ,,
inde ad tumultus & bella ciuilia ventum, regioq́ ,,
grauiter afflicta. Ad hæc singulæ regionis partes sepa- ,,
ratim sibi consulere, suisq́ commodis studere, quid in ,,
commune omnibus, & toti regioni expediret, non ex- ,,
pendere, nec istuc consilia referre: hinc rursus simul- ,,
tates, odia, iniuriæ: ex iniurijs eadem armata vis; & ,,
furor intestinus. Nec iudicia sine vitijs ingentibus ,,
fuêre, gratiâ, pecuniâ, odio, inimicitiâ corrupta: & ,,
licentia peccatũ frequenter: eâ occasione pax turbata. ,,
Quibus malis remedium societate Groningensium pluries quæsitũ, eaq́ ancorâ fluctuans, & vix se sustinens libertas periculis erepta firmataq́, eo medio iudiciorum integritas reparata, & per aliquot sæcula conseruata, ac deniq́ licentia repressa fuit.

In legibus suis populus ista habet memoratu digna, Pacta dotalia ritè inita, vt mos aut ius regionis poscit, rata sunto. Testamenta nisi de bonis acquisitis, nõ sunto. Res soli ex hæreditatibus profectæ, ædificia, & quicquid in bonis immobilibus, à defuncto relicta ad proximos sanguine deuoluuntor, nisi aliter pactis dotalibus sit cautum. Mobilia omnia, quæ coniuges matrimonium ineuntes possident, & in vsum matrimonij cõferunt, quæve stante matrimonio ex hæreditatibus accrescunt, omnia item industria cõiugum acquisita, etiam sine pactis dotali-

Quid in ex legibus.

dotalibus coniugum ſunto pari iure, alteroque defuncto ſemiſſis hæredum eius eſto, reliquum ſuperſtiti maneto. Donationes inter viuos robur habento, ſi bonorum ceſſio à donatore viuente fiat. Quæ propter nuptias fiunt in pactis dotalibus, vt ratæ ſint, in pacta dotalia hæredes proximi, imprimis parentes, aui, auiæ, fratres, ſorores conſentiunto. Minores 25. annis nuptias inire, & pacta dotalia ſcribere ſi volent, ſub curatoribus aut tutoribus agentes, eos ſcribendo adhibento. Cædes, quæ prius pecuniâ luebantur, nunc ex lege capitis pœnam habent. *Cæteris maleficijs omnibus graues quoq; pœnæ ſunt in legibus deſcriptæ. Hactenus de Agro ſeorſim: ſequitur de Vrbe.*

DE VRBE GRONINGA.

Situs Groningæ.

HVIVS ſitus ſic ſe habet. Decurrunt ex Drentiâ per Præfecturam ſuburbanam ſuperiorem duo amnes, quos dixi, Huneſus, & Aba, pariter ab Euronoto in circium euntes, non longo inter ſe ſpatio diſiuncti, nonnuſquam 8. nonnuſquam 6. nonnullibi etiam 4. tantùm ſtadijs, feruntúrq; per humiles & vliginoſos hinc inde agros. In quorum amnium medio ab ipſis humilibus agris, qui latiuſculè ab amnium ripis ſe extendunt, dorſum paulatim ſe erigit editius, ac molliter decliuè vtrimque, à Drentiæ campis ſublimibus ac ſpatioſis veniens, velut lingua exilis, ſed

sed longa, & sensim se versus finem coarctans, omnem ferè Præfecturam suburbanam percurrens. In eius dorsi parte penè vltimâ, quâ animum alter Aba ipsum dorsum propiùs accedẽs quasi stringit, posita Groninga est, arctior olim & in ipsissimo solùm dorso ædificata, deinde ampliata paulatim, & deuexa ac humiliora vtrinque largiùs complexa, loco perquàm felice, curribusq́ & nauigijs ad importandum pariter commodo, segetibus & pascuis in ambitu imprimis fortunato. Dorsum autem illud modicè ad bina circiter stadia vltra vrbem boream versùs procurrit, ibiq́ molliter se deponens in humilem & æquam planiciem desinit, mediâ ferè inter vrbem & Cœnobium Selvverdicum viâ. Et amnis quidem Aba, vt nunc dudum res habuit, & habet, in angulo vrbis, qui inter meridiem & occidentem prominet, mœnibus se insinuat per amplos fornices sub vallo structos, intraq́ mœnia occiduo in latere vrbem stringens longo tractu, & ponte arcuati operis lateritij iunctus tandem in angulo alterò occasum æstiuum spectante per similes fornices vallo subiectos ex vrbe rursum exit alueo profundo & capace multarũ nauium, ibiq́ in ipso egressu amni alteri Huneso ad vrbem deriuato, duobusq́ à lateribus ortiuo & boreo mœnia fortis complexo miscetur. Hunesus verò vrbi allapsus in ipso orientis angulo, atq́ ibi muro transuerso reiectus, ne ab Austrino quoq́ latere mœnia circumueniat, & ea parte etiam Aba vrbem ingressuro se iungat, ortiuo latere vallum radens, suburbium eius loci insigne, duabus

Aba fl.

Hunesus fl.

obie-

obiectum portis ab ipsá vrbe ſecludit, eodemq́ modo longiùs progrediens, ac à ſeptentrione in occidentem ſenſim ſe flectens tandem eo, quo dixi, loco ſub ipſis mœnibus Abæ confunditur.

Vrbis descriptio. Ambitus. *VRBS ampla hodie, & ſpatioſa, ac publicis priuatisq́ ædificijs magnifica, tum foris duobus, & munitionibus maximis ſuperba. Ambitus mœnium eius in exteriore foſſæ labro paßibus bis 1618. patebat anno 1605. cum hæc primùm, vt in lucem exirent, ſcribe-rem, ſuburbijs excluſis. Poſtea formâ mœnium in latere meridiano multùm mutata, & amplior multoq́ melior facta, cui ſimilem haud facili alibi hodiè reperias, ſiue foſſam raræ latitudinis & profunditates ſpectes, ſiue vallum duplex, inferius ſcilicet, quod & exterius minusq́ ſurgens ex ipſo foſſæ labro, & interius, quod longè maius, & ſublimius, cui alterum illud pro loricâ eſt, quæ modico interſtitio pedum 20. inter diſtant. Et nunc hoc, quo iſta recognoſcimus, ac nonæ editioni paramus, anno 1615. in oppoſito vrbis latere longè magis formâ eâdem mœnia ampliata, nouaq́ vrbis area vrbi veteri ſpatio cum eá penè pari adiecta: eoq́ opere vrbs tota multo quàm ante munitior, & contra hoſtilem vim tutior facta.* Fana. *Fana nunc in eâ ſunt in vniuersũ 12. ex quibus tria ſunt parochialia, vti vocant quinq́ monaſtica, quatuor Xenodocheis coniuncta. Parochialium ampliſsimum cum editiſsimâ & firmiſsimi ac peregregij operis turri, quãquam faſtigio iam mutila & trunca, Martinianum: Antiquiſsimum & cum vrbe ipsâ, aut antè vrbem natum,*

ac,

as, vt quidam putant, superstitioni Ethnicæ quondam dicatum VValburgicum, in eadem quadrata area, seu cœmiterio spatioso, cum Martiniano, forma penè rotundæ, ac planè diuersæ à formis templorum communium; cui etiam cohæret sublimis fastigij turris: vtrumq; hoc in parte vrbis inter orientem & boream proximè ad ipsa mœnia, & Martinianum etiam in angulo fori maioris. Tertium in parte vrbis in Occidentem vergente, ab Ahâ amne cognominatum, quondam Nicolao, nunc Mariæ virgini sacrum, (Unser lieuen Frouwen thor Aha) *foro alteri accubans, cum visendâ etiam turre altè fastigiatâ; in quâ nolæ complures egregio inter se soni temperamento, concentu harmonico horis singulis bellè præcinunt, easdemq; in semisses diuidunt, cum voluptate ciuium, & peregrinorũ audientiũ. Et secundùm hæc tria templa tota ciuitas in tres fuit distincta parochias. Nũc VValburgica Martinianæ addita est, & ex tribus duæ factæ. Ex monasticis amplissimum Franciscanum cùm cœnobio spatioso in vrbis ferè medio; quod cœnobium iam scholæ litterariæ sedes est toti ciuitati communis: alterũ Iacobæum cum cœnobio monachorum Dominicanorũ in boreo vrbis latere ad ipsa mœnia, breuissimo interuallo dissitum ab areâ, in qua VValburgicũ & Martinianum: Tertium monachorũ, quos Fratres nuncupabant, modicũ, item cum cœnobio in angulo areæ eiusdẽ VValburgicæ boreo, ac in latere vrbis eodẽ, mœnibus etiam contiguum, id cœnobiũ ante 30. circiter annos in sedem & aulam Knifij primi & postremi*

O 2 Episcopi

Epifcopi Groningani verfum; deinde Gubernatoris prouinciæ domicilium factum: quem vfum etiam nunc præftat: quartum monialium fororum S. Claræ cum clauftro item peramplo, fpatio inter Francifcanos & Iacobæos medio: quintum virginum nobilium non initiatarum multò minus cum cohærente domicilio & ædiculâ familiæ Selvverdicæ, angufto tantùm vico ab æde Francifcana disiunctum ad Boream. Ex Xenodochicis fanis maximum, & parochici inftar ad S. Spiritum in latere ciuitatis auftrino, cum Xenodocheio peramplo, ac ad Cœnobij iufti modum: fecundùm Gertrudis in oppidi parte ortiua iuxta mœnia fimiliter, cum Xenodocheio benè dotato: tertium Iacobi modicum in extremo vrbis angulo, qui eft verfus occafum æftiuum, propè portam, quæ à machina tractoria, quam Gruem vocant ex fimilitudine longi colli, nominatur: quartum Antonianum portæ Orientali cohærens, omnium minimum: vtrumq; horum poftremorum itidem cum Xenodocheo, fed poftremum anguftum. Fora. *Fora, vt dixi, in vrbe duo infignia & fpatiofa, alterum ex latitudine cognominatum (* dat brede Marfet *) raræ magnitudinis, & vix alibi in ciuitate pari inueniendæ; incipiens ab areâ Martinianæ, & 179. paffuum fpatio inde in occidentem hybernum procurrens, latitudine paulò minore; intra cuius ambitum curia modica, cum œnopolio curiâ haud paulò maiore cum turriculâ in vertice, contiguis parietibus: à quo trames perbreuis in alterum fuperiore etiam longius, Pifcarium, quòd pifcium illic merca-*

tus

tus sit, nuncupatum; in cuius fine area ac templum, quod dixi, parochiale tertium ab amne Ahâ nomen ferens. Id in longitudinem patet, si templi aream cõprehenderis pass. 241. si non comprehenderis pass. 143. Ad hac fora duo, quod mireris, capita non minùs 17. platearum, & ferè amplißimarum in totâ vrbe pertinent: è quibus pracipua 6. à totidem vrbis portis (porta autem sunt in vniuersum 8.) rectâ lineâ veniunt. Polana Orientalis, Dominica, Pontana, Botterana, Ebbingana; eadem totâ ferè vrbe longißima, exceptâ Polanâ, qua Paulò est breuior; omnes suis portis cognomines, prater Pontanam, qua à ponte Aha imposito ad Amnicam portam, vnde procedit, nomen inuenit. Catera dua porta plateas excipiunt etiam suas, sed per angulũ à reliquis deriuatas, quarum portarum altera, à grue machinâ (Kraenpoerte) *altera ab attollendis lapidibus, vt vulgus arbitratur; vt autem veritas habet, à ponticulo lapideo, qui quondam isto in latere ciuitatis fuit, quem Germani* Stenenill *dicunt,* (Stehentilpoerte) *nomen ferunt. Platea in vrbe erant, cùm hac primùm ederem, maiores ad 36. minores 7. prater angiportus aliquot. Maioribus accessit proximis his annis vicesima septima prorsus noua, adificijs elegans, à fori maioris angulo, qui occidentem & boream intuetur, per medium hortum Cœnobij Franciscani ducta, mittens in regionem, qua ad amnem porrigitur, ex ipsâ re* noua *nominata. Minorum quoq; numerus creuit. Antiquitus, cùm minor esset ciuitatis fortuna, vt omnia solent*

Via aut platea vrbis, & porta.

Vrbis incrementa.

à paruis principijs oriri, pro mœnibus vsa est septo ligneo è trabibus contexto. Deinde ante annos plus minùs 450. muro lateritio firmo cum fossâ in morem reliquarum vrbium cincta fuit, angustiore etiam tum, quàm iam est, ambitu. Nunc ab eo ferè tempore, quo tormentorum æneorum vsus percrebuit, maximè verò à Caroli bellatoris ducis Burgundiæ auo, cùm is arma Frisiæ minaretur, vallo terreo cum fossâ patentiore ampliatis terminis est circumdata: cuius valli ambitus, in summâ superficie, passuum 886. & in eo molæ, quæ ventis agitantur, 12. duæq; præter has extra mœnia in latere septentrionali. Hac amplificatione mœnium postrema versus ortum, meridiem, occasum accessio vrbi facta; solum latus boreum, ab Aba amne vrbem egrediente, portaq; vicina cum parte lateris ortiui ad portam vsq; Polonam, loco motum non est: atq; ita Botterana quoq; porta, & Ebbingana, & Polana sedem suam retinuêre; reliquæ, maximè Dominica, Orientalis, Steentillana, sunt promotæ. Rursum de portis. *Ex portis his Polona pyramidibus excelsis ac magnæ molis duabus, Orientalis etiam quatuor sed gracilioribus, Dominica quinq; similibus magnifica specie longè lateq; conspicuæ, decorem ciuitati non exiguum addidêre. Nunc duæ posteriores quondam contra Carolum Burgundum extructæ, altera à Casparo Roblesio gubernatore consulto anno 1575. altera tormentorum æneorum vi postremâ obsidione, quâ reducta ad fœderis Belgici societatem ciuitas est, anno 1594. pyramidibus priuatæ, totoq; opere lateritio superiore*

periore deiecto humiliatae sunt, vt iam supra vallum nihil earum appareat. Ad Dominicam verò Hispani ad initia belli huius Belgici validam & amplam excitauerant arcem quinquangularem, singulis in angulis ingenti propugnaculo terreo instructam, partem mœnium, ipsamq́; portam complexam, quæ tamen arx antequam perfici posset, à transactione Gandauensi publicatâ, capto à militibus suis Casparo Roblesio gubernatore, per ciues rursum euersa est. Omitto propugnacula è terrâ aggeratâ magnæ molis, quorum tria intra fossam vallum ambientem, vallo ipsi connexa, duo ad boream portas tegentia, tertium in austrinâ parte: quartum item, sed extra fossam, nec vallo contiguum, portæ Orientali obiectum: adhæc alia duo eiusdem generis, vallo coniuncta sed minora: & præter ea ex lateribus structa 7. quædam turriculis fastigiata, quædam sine fastigijs: omnia muniendæ vrbi contra vim hostilem instituta. Quinetiam durante hoc bello Belgico, suburbium, quod ante dixi, & ingens, & ædificijs non infrequens, à nauicularijs habitatum, à quorum nauigijs & amne nomen quoq; traxit (Schuitendiep enim vulgò nuncupatur) duabus portis prætextũ, Polanæ ac Steentillanæ, vallo terreo aut infirmo, & fossâ benè profunda est incinctum, vt penè non minùs vrbe ipsâ tutum sit ab hostili incursu & vi, ac quasi vrbi adiectũ. Cætera suburbia egregia, præsertim ante portas Dominicã, Botteranã, Amnicã belli iniurijs iam periêre quamquã ante Amnicam, vallũ cum fossâ, castelli in modum, ductũ partẽ

Propugnacula & turres in mœnibus.

Suburbia extra prius dictum vrbis ambitum.

suburbij etiam nunc includat, portamq́ eandem protegat. Id verò suburbium, quòd antè portam Dominicam fuit, longißimè procurrens cum pago proximo Helpenâ, qui 8. stadijs non minùs ab vrbe recessit, continua domorum seriè penè se coniunxit. Et præter suburbia hæc toto Meridionali & Septentrionali latere in eodem dorso editiore, in quo vrbs est sita, amœnis ac sumptuosis hortis, & ædificijs elegantibus totus post pomœria locus longè lateq́ obsitus ac contectus fuit. Taceo insulas virorum nobilium complures in Meridionali potißimùm plagâ. Cuncta nunc per bellum vastata, vix pauca hic illic instaurata: in Boreâ verò plagâ vrbis noua mœnia illa magnifica ac firma, de quibus paulò antè dixi, excitata, sed nondum perfecta. Commoditas situs. *Deniq́ vrbis situs in vniuersum huiusmodi, vt quemadmodum per amnes, ac riuos, quos dixi, ex Amaso fl. ac Lauicæ ostio, ipsoq́ adeò mari, itemq́ ex agro circumiecto, maioribus minoribusq́ nauigijs, sic per Drentiæ itinera nullo non anni tempore idonea, ex ipsâ Drentiâ & cæteris circumiectis Germaniæ partibus rhedis ac curribus percommodè res omnes importari in eam, & rursum exportari poßint. Tantò quidem ipsa etiam hinc felicior, quòd in omni agro in omnem mundi plagam circumfuso sola sine æmulis negotiationes poßideat.*

Antiquitates incertæ. De *antiquitatibus eius primis, & de origine quæ vulgò feruntur, incerta sunt, pleraq́ etiam indubiè fabulosa, ac inepta: qualia sunt, quæ nugator Kempius memorat.* Nomen *à viridibus pratis aut arbo-*

retis,

retis, quæ sunt circumcirca, videri potest deductum; cum quo conuenerit Græcum φυλλεῖον *(si recta hæc lectio) veteribus circiter hæc loca collocatum. Melius forte à* Gruno *aut* Gryno *principe vel conditore loci, non illo quidem Troiano, aut Frisonis nepote originis Indicæ (nugæ enim istæ sunt aniles) sed homine Frisio: Quo cum congruere videtur forma vocabuli, quo Frisij & olim & hodiè tam Occidui quàm Orientales appellare hanc ciuitatem solent,* Grinse *aut* Grense *eam vocantes. Est autem frequens in totâ hac viciniâ, deriuata nomina huiusmodi à proprijs hominum, aut fluminum, aut aliarum rerum similium nominibus in fine per* Inge *formare; vt* Husinge, Fiuelinge, Ostringe, Rustringe, Harlinge, Husinge, Esinge, Wetzinge, Thezinge, Thedinge, Appinge, Cortinge, Iemminge, Pauvinge, Baltringe, Schuringe, Mackinge, Mitlinge, Tinaldinge, *& in ipsâ vrbe* Ebbinge, Botteringe, Harderinge, Folkeringe, Gaddinge, Gelkinge, *aut patronymica infinita eiusdem desinentia in Frisiâ & Drentiâ prætercam.*

De nomine vrbis.

Vide lib. de Origin. & Antiquit. Fris.

DE CONIVNCTIONE CIVITATIS GRONINGAE CVM VLTRAiectinis.

[*In Historia & libell. de Origin. & Antiq. Frif. Vide omnino ad calcem.*]

PRimam ſub hoc nomine mentionem eius in probatis & fidis literarum monumentis (nam de tabula Romana ætate ac fide cur dubitem, demonſtratum à me alibi eſt) vſurpatam inuenio in inſtrumento quodam donationis, quod eſt in tablino Eccleſiæ Vltraiectinæ, ſcripto & ſignato anno Chriſti 1040. quo in inſtrumento Henricus III. Imperator, cognomento Niger, filius Conradi II. Salici, eidem Eccleſiæ tempore Bernoldi præſulis cōfert ius prædij quòd ipſe in villâ GRONINGA videbatur poſſidere. *Quâ de donatione pauca dicam, vt & antiquitatem & veritatem in hac re illuſtrem. Cùm Normanni vaſtatores totius tractus maritimi Vltraiectum quoq; occupaſſent, ſacraq; & profana illic diripuiſſent, cuncta ferro & flammâ peſſum dediſſent, ſucceſſoresq; Hungeri, qui manus vaſtatorum vix fugiens euaſerat, Dauentriæ domicilium ac ſedem collocaſſent, tandem Baldericus è Comitibus Cliuiæ prognatus, quintus poſt Hungerum Epiſcopus, primùm per ſe viuente adhuc Henrico Aucupe Rege, ſed paruo profectu, dein beneuolentia & liberalitate Ottonis Imperatoris, & fratris eius Brunonis, quos ipſe in* bonis

bonis literis erudierat, adiutus eadem vrbem instaurare, ac sedem ibidem frigere rursum cœpit. Sed exoleuerant ferè Episcopatus iura, quæ ex liberalitate priorum Principum ei fuerant collata, amißis vnâ cum vsu ac possessione donationum haud paucis literis; vicinaq́ Nobilitas, ceu fieri solet, pleraq́ vacantia inuaserat. Itaq́ instauratis donationibus ad restituendam Episcopatus fortunam fuit opus. Quod inchoatum à Conrado Franco Imperatore, mox ab Henrico Aucupe promotum, ab Ottone I. factum multò vberrimè, nouaq́ beneficia ab eo prioribus addita. In his & venationum ius in Comitatu Euerhardi in pago Drentiæ *fuit, quod cùm ex procerum vicinorum ordine nonnulli inuito Episcopo vsurparent, & traherent ad se, ac Imperatore soli Episcopo, & cui ille permitteret, est tributum, cùm annus flueret à nato Christo 1444. idem repetitum ac firmatum ab Henrico II. cui Claudi cognomen, in gratiam Aufridi, anno 1006. Et ab eodem* Comitatus *ipse* Drentiæ *(sic loquuntur tabulæ) Ecclesiæ eidem in gratiam Adelboldi præsulis donatus in perpetuum: eoq́ modo imperium regionis huius in genere, vti ego existimo, iuris Vltraiectini factum. Post mortuo Conrado Secundo Imperatore, cuius ipsius quoque animus Vltraiectinæ sedi ob Episcopum Bernoldum & studio coniugis Giselæ impensè deditus fuerat, cùm filius eius Henrcius Tertius cognomento Niger, intestina defuncti parentis in æde Martinianâ ibidem condidisset, donationibus nouis priores cumulauit;*

in

in quarum vna est ea, quam dixi, Groningæ huius nostra memoria celebrata. Sic enim illic scriptum,

Diploma Henrici III. Imp.

Henricum Regem Ecclesiæ Vltraiectine in honorem Martini structæ, in remedium animæ patris, & sui memoriam perpetuam, præsule tum Bernoldo, concedere & donare tale prædium, quale in villa GRONINGA nuncupata videbatur tenere, situm in Comitatu Drentiæ, cum areis, ædificijs, mancipijs, agris, cultis & incultis, pratis, campis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, piscationibus, vijs inuijs, exitibus & reditibus, quæsitis & inquirendis, cum omni eiusdem Comitatus strictione, monetis, teloneis, causis agendis, & discutiendis, cum omnibus appendicijs & pertinentijs, quæ ad præsens retineri videntur, aut quicquid imposterum ibi Deo adiuuante acquiri poterit: eo videlicet tenore, vt supradictum præditum perpetuo respondeat seruitio & vtilitati fratrum ibi Deo seruientium incessabiliter: scilicet vt ex eiusdem prædij vtilitate quotannis habeant 30. carradas vini; reliquum verò ex prædio proueniens à Præposito in vsum eorundem exponatur fideliter, nec liceat quicquam eius in vsus alios cōferre, priusquam id quod iamdictum est vinarium tributum fuerit solutum. *Quæ verba apud posteros aliter atq; aliter accepta, diuersas & dissidentes sententias peperere. Quidam sic accepêre, quasi villa*

aut

aut ciuitas Groninga (id enim sine dubio vnum & idem) in Comitatu Drentiæ dicatur sita, eademq; cum omni iure & annexis donata sit his tabulis Ecclesiæ Vltraiectinæ, velut Drentiæ membrum. In quorum numero multi fuêre Episcopi huius sedis, & canonici pleriq;, & eorum ministri, propterea quòd suis rebus eam interpretationem commodam esse arbitrabantur. Fuêre etiam non pauci nostri temporis, qui litis ergô, quam cum ciuitate habebant, vt se ab eâ seiungerent, è finibus Frisiæ hodiernæ eam exterminare voluerunt. Alij contra in alia omnia euntes, & longè quidem rectiùs iudicio meo. Nec enim dici in tabulis regijs, Groningam in Drentiâ sitam, aut ipsam Ecclesiæ Vltraiectinæ donatam, sed prædium, quod Rex videbatur in villâ Groningâ tenere, & id situm in Comitatu Drentiæ esse, *& dono Ecclesiæ ei datum, esseq; verba Regis donantis in istam sententiam planißima. Id verò prædium Præfecturam suburbanam esse volunt,* dat Gho vnd Woltrecht/ *vt appellauit posteritas, aut certè maximam huius partem, quam ego iam ante ostendi partim se Drentiæ, partim Frisiæ contiguæ debere: Eam quippe à primâ vsque memoriâ ex oppido Groninga, tanquam præfecti sede, quem dare Vltraiectini solent, fuisse administratam: atq; hoc regem voluisse, cùm scriberet,* prædium illud in Drentiæ quidem Comitatu situm, in villâ tamen Groningâ se tenere. *Atq; hæc interpratatio vel eò mihi videtur verosimilior, imò verior, quòd idem Rex eodem anno*

Diplomata eiusdem Henrici Imp. alia

anno, adeoq; eodem illo die, quo dedit has, (si me antigrapha, quæ vidi, non fallunt: is est dies 12. Calend. Iunij) binas quoq; tabulas alias signauit, quarum alteris prædia etiam alia in eodem Drentiæ Comitatu *posita, in alteris rursum alia in* Comitatu Radulfi, *& quicquid de ijs inter* Amaso & Lauesco, *id est, inter Amasum & Lauicam locatum, quæ omnia Vffonis & fratrum eius, hominum nocentium, iusto iudicio damnatorum priùs fuerint, huic eidem sedi Vltraiectinæ eodem modo cũ areis, ædificijs, mancipijs, agris, pratis, campis, pascuis, aquis, piscationibus, vijs, inuijs, exitibus, reditibus, cæterisq; priùs recitatis, dono obtulit. Sic enim sentio, has partes omnes trinis his tabulis ab* Henrico *donatas coaluisse paulatim in vnam Præfecturam, quam* Ebo & Woltrecht *nuncupamus, earumq; tribunalis sedem in vrbe esse collocatã.* De Comitatu *verò* in eãdẽ Drentiâ, *qui* Gozelonis Lotharingiæ Ducis (*is est, qui in Frisiâ & Hollandia res gessit, & imperium aliquãdiu tenuit*) *& altero* Vmbalaha *dicto, qui* Comitis Enohardi *fuisse perhibentur, & non tam Ecclesiæ, quàm Episcopo ab eodẽ rege aliquot annis post donati sunt,* ἐπέχω. *At hoc ex his omnibus, & cõpluribus alijs eorũ temporũ tabulis disco, tum morẽ fuisse, vt* Pagus *maius aliquid significaret quàm* Comitatus, *pluresq;* Comitatus Pago *vno, ac prædia plura vno* Comitatu *comprehenderentur: ita vnam eandemq;* Drentiam, *item* Tuentiam, *itẽ speciales* Frisiæ *regiones in plures tunc fuisse* Comitatus *distinctas. Quod in*

[COMITATVS vocabulum.]

Frisiâ

Frisiâ potißimũ hæsit diutiusculè, vti est à me alibi demonstratum. Dicebaturq́ Comes *vulgò in his oris, qui ab Imperatore vel Rege iurisdictionem summã in Comitatu aliquo, id est, in diœcesi habebat cum imperio. Sed de sententiarum discrepantia quod dixi, id lectores diiudicanto: ego quamquam quid sentiam, exposuerim, me tamen iudicem controuersiæ nõ interpono. Episcopi certè plerique, qui proximis sæculis secuti sunt, id quod antè etiam notatum à me est, in rem suam, Ecclesiæq́ suæ verba diplomatis traxêre, iusq́ in oppidum, prætoriumq́ in oppido imperium haud minùs quàm Præfecturam suburbanam, quæ eorum sine controuersiâ erat, sibi vendicarunt. Et tenuerunt quidem id diu, sed non sine tumultibus crebris ac difficilibus ex hoc fonte enatis, adeò vt armis arma sæpè concurrerint, sæpè castra in oppido castris opposita, bellumq́ intra mœnia gestum sit. Populus enim ad libertatem respiciens, aut libidini præfectorum, quos in vrbe Episcopi habebant, obuiam ibat, aut Episcoporum imperium indies latiùs tendens recusabat. De quibus omnibus prolixè à me in Historiâ est dictum. Attamen præualuit Episcoporum vis & potentia, quæ magna tum fuit, succincta etiam autoritate sacrosanctâ, & religionis opinione, tenuibus verò adhuc oppidi rebus. Quæ res si tantæ tunc fuissent, quantæ post factæ sunt, non minùs hic quàm in Ostergoâ & VVestergoa, in quas diplomata similia ab Henrico Quarto Cæsare impetrata extitêre, eadem ambitio & auaritia Episcopalis operam perdidisset.* Sic

COMES qui?

Episcopi quid secuti.

Præfectus Vltraiectinus Groningæ, & munus aut potestas eius.

Sic verò obseruatum de his porrò inuenio, vestigia rerum in monumentis sequens, clerum Vltraiectinum in initio præfectum Territorio suburbano dedisse, quē vellet, & in annos, quot vellet: eumq́ præfectum in vrbe sedem & tribunal habuisse: huic simul & pratorium munus gerendum in vrbe, & nomen præfecti vrbani imposuisse ipsum Episcopum, eumq́ Schultesium *summum iudicij ministrum, ceu legatū suum, constituisse: mox Præfecturam vtramq́ in feudum perpetuum esse versam: feudum rursum post aliquot sæcula in Emphyteuseos conditionem, aut Emphyteusi similem commutatum: in feudi possessione fuisse per aliquot ætates Gronenbergios, Supperochios, rursum Gronenbergios, Gronenbekios, Selvverdios, familias nobiles, interdum coniunctim, interdum diuisim. Pòst, cùm ad Couerdios hæreditas Selvverdiorum transisset cum Idâ hærede vnicâ atq́ vltima domus istius Hermanno Couerdio denuptâ, emphyteusis inducta est, iure an iniuria, nescio. Emphyteutæ facti Ioannes & Reinoldus Couerdi cum singulis filijs, & Gouerdus Houius anno Christi 1371. mortuo paulò ante Episcopo Ioanne Vernenburgio: lex his dicta, vt emphyteusis duraret ad tempus vitæ ipsorum. Verùm vt suburbanus præfectus limitibus arctis finitum imperium in plebem rusticam habebat, nec causas cognoscebat, aut sentētias ferebat sine collegio iudicium, quos plebs ei assessores dabat, plebsq́ in cæteris libertate fruebatur suâ, sic pratoria potestas in vrbe collata ab Episcopo iurisdictionem senatus & imperium eiusdem,*

dem, vt falsò quidam credunt, non tollebat. Nam senatus pacta sæpè inijt cum vicinis, quo tempore præfecti in vrbe erant, quæ sine imperio & iurisdictione haudquaquam locum habere poterant, & de foro in vrbe agendo, cognoscendisq; controuersiis fœdera habuerunt: deniq; publicæ tabulæ testes sunt, quondam anno à Christi natali 1283. cùm præfecti Gronenbergij essent, & fortè è Selwerdicâ domo nobili duo criminis publici facti fuissent rei, quæsitum in conuentu fuisse, ab Hunesgonijs, an ciuitate Groningana, an deniq; ab Egberto Gronenbergio, vt Territorij suburbani præfecto, propterea quòd vbi horum omnium fines concurrebant, arx Selwerdia sedem haberet, viderentur iudicandi: & cùm ipsis reis permissum esset, vt ex his tribus, quem vellent iudicem sibi esse in perpetuum, eligerent, hos Egbertum cum successoribus eius elegisse. Quibus omnibus locus esse nullo potuisset modo, si iudicandi potestatem cum imperio nullam senatus tenuisset. Ad hæc, quamquam præfecto, munerìq; eius locum daret apud se, tamen Episcopi imperium in sese agnoscere, eive vt principi suo aut domino iusiurandum dare, paremq; cum cæteris diœceseos ciuitatibus conditionem ac legem subire ciuitas hæc nostra multo tempore recusauit. Nec exemplis destituebatur aliarum ciuitatum liberarum, quæ & præfectos huiuscemodi à vicinis reciperent Principibus, & tamen ijsdem iureiurando, vt subditæ, se non obligarent. Et cùm ipsa in Frisiæ solo, ac Frisici iuris esset, relictâ libertate gentis alienigenis dominis se subijcere tergiuersa-

giuersabatur. Et quamuis mussarent sæpè Episcopi, præsertim si qui ingenijs erant ambitiosis, tamen ad vim discendere ob hanc causam ausi non sunt. Nam creuerant iam opes ciuitatis, & fœderum pactis de tuendâ libertate cum vicinis firmabantur. Accedebat, quod in societatem fœderis Anseatici, cuius tum & magnum robur, & non vilis autoritas, & prompta auxilia erant, ciuitas iamdudum esset cooptata, nec abiectam conditionem in sociarum ciuitatum ordine teneret. Quæ cùm sic haberent, quamquam Florentius Episcopus, familiâ VVeuelichouius, vir sapiens & industrius, à VVenceslao Cæsare diploma obtinuisset signatum anno 1382. ipsis Kalend. Maij, quo diplomate copia ei fiebat repetendi ac recuperandi omnia, quæ incuriâ antecessorum ipsius, aut quouis modo ab Episcopatu defluxerant, eoq; fretus haud segniter res suas curaret, tamen Groningam lacessere armis, aut iniquis vrgere postulatis veritus fuit. Demùm, cùm cætera desperaret, per collegium suum (nam factum hoc viuente adhuc ipso deprehendendo, etsi cùm Historiam primò scriberem, secus opinarer) alio modo sub beneficij specie obligandam sibi aut Ecclesiæ suæ ciuitatem putauit. Anno enim 1392. qui penultimus vitæ eius fuit, Collegium summum, cui propriè donatum fuisse prædium illud ab Henrico Rege ostendi, autore hortatoreq; ipso, licet pacta cum Couerdijs haberet, tamen posthabitis his, omne ius suum, quod ex Henrici donatione profluebat, siue id in vrbe, siue extra vrbem esset, certâ lege ciuitati tradidit. Lex hæc

Fœdus Anseaticum.

Florentius Episcop. Vltraiectinus.

Pactio collegij Vltraiectini cum ciuitate Groningâ de Præfectura vrbana & suburbana.

hac fuit, vt ciuitas ius & iurisdictionem istam à collegio teneret in annos proximos centum, eoque nomine eidem collegio solueret quotannis canonem scutatorum Francicorum veterum 33. cum dimidio, loco & tempore certo, & præter canonem hunc vigesimo quoque anno honorarium munus septem marcarum argenti puri offerret Vltraiecti: exciperentur census, reditus, decimæ & res hæreditariæ, qui quæve canonicorum erant in territorio hoc eodem, ex quibus pactione hac nihil ijs decederet: Exactis vero centum annis, vt eadem hæc omnia valerent in annos centum alios, si vellet ciuitas in pactorum fide manens, & eius rei gratia marcas argenti puri 50. ante Kalendas Septembris collegio eidem Vltraiecti offerret, nouasque pactionis literas ijsdem his verbis scriptas posceret, daretque: & rursum, his quoque annis finitis, repeterentur eodem modo ac lege omnia: idemque extenderetur in perpetuum. *Cautum tamen duobus Houijs cum matre ad tempus vitæ ipsorum, quorum triens totius huius iuris ex pacto priore fuerat. Ita ciuitas Groninga sine controuersiâ, vt ipsa rebatur, vndequaq; iã libera, ac sui iuris facta, & imperio quoq; Territorij suburbani aucta, canonis tantilli onus ne sentiens quidem, Episcopi modò honorem ac dignitatem, vt patroni, comiter agnoscens.* *Civitas Groninga iam prorsus libera.* *Sed Fridericus Blanchenhemius in locum Florentij suf-* *Fridericus Blanchenhemius.*

giuersabatur. Et quamuis mussarent sæpè Episcopi, præsertim si qui ingenijs erant ambitiosis, tamen ad vim descendere ob hanc causam ausi non sunt. Nam creuerant iam opes ciuitatis, & fœderum pactis de tuendâ libertate cum vicinis firmabantur. Accedebat, quod in societatem fœderis Anseatici, cuius tum & magnum robur, & non vilis autoritas, & prompta auxilia erant, ciuitas iamdudum esset cooptata, nec abiectam conditionem in sociarum ciuitatum ordine teneret. Quæ cùm sic haberent, quamquam Florentius Episcopus, familiâ VVeuelichouius, vir sapiens & industrius, à VVenceslao Cæsare diploma obtinuisset signatum anno 1382. ipsis Kalend. Maij, quo diplomate copia ei fiebat repetendi ac recuperandi omnia, quæ incuriâ antecessorum ipsius, aut quouis modo ab Episcopatu defluxerant, eoq; fretus haud segniter res suas curaret, tamen Groningam lacessere armis, aut iniquis vrgere postulatis veritus fuit. Demùm, cùm cætera desperaret, per collegium suum (nam factum hoc viuente adhuc ipso deprehendendo, etsi cùm Historiam primò scriberem, secus opinarer) alio modo sub beneficij specie obligandam sibi aut Ecclesiæ suæ ciuitatem putauit. Anno enim 1392. qui penultimus vitæ eius fuit, Collegium summum, cui propriè donatum fuisse prædium illud ab Henrico Rege ostendi, autore hortatoreq; ipso, licet pacta cum Couerdijs haberet, tamen posthabitis his, omne ius suum, quod ex Henrici donatione profluebat, siue id in vrbe, siue extra vrbem esset, certâ lege ciuitati tradidit. Lex hæc

Fœdus Anseaticum.

Florentius Episcop. Vltraiectinus.

Pactio collegij Vltraiectini cum ciuitate Groningâ de Præfectura vrbana & suburbana.

hac fuit, vt ciuitas ius & iurisdictionem istam à collegio teneret in annos proximos centum, eoque nomine eidem collegio solueret quotannis canonem scutatorum Francicorum veterum 33. cum dimidio, loco & tempore certo, & præter canonem hunc vigesimo quoque anno honorarium munus septem marcarum argenti puri offerret Vltraiecti: exciperentur census, reditus, decimæ & res hæreditariæ, qui quæve canonicorum erant in territorio hoc eodem, ex quibus pactione hac nihil ijs decederet: Exactis verò centum annis, vt eadem hæc omnia valerent in annos centum alios, si vellet ciuitas in pactorum fide manens, & eius rei gratia marcas argenti puri 50. ante Kalendas Septembris collegio eidem Vltraiecti offerret, nouasque pactionis literas ijsdem his verbis scriptas posceret, daretque: & rursum, his quoque annis finitis, repeterentur eodem modo ac lege omnia: idemque extenderetur in perpetuum. *Cautum tamen duobus Houijs cum matre ad tempus vitæ ipsorum, quorum triens totius huius iuris ex pacto priore fuerat. Ita ciuitas Groningæ sine controuersiâ, vt ipsa rebatur, vndequaq; iā libera, ac sui iuris facta, & imperio quoq; Territorij suburbani aucta, canonis tantilli onus ne sentiens quidem, Episcopi modò honorem ac dignitatem, vt patroni, comiter agnoscens.* *Civitas Groninga iam prorsus libera.* *Sed Fridericus Blanchenbemius in locum Florentij suf-* *Fridericus Blanchenbemius.*

suffectus Episcopus, vir ambitiosissimi & inquietissimi ingenij, quanquam per literas solennes fidem ciuitati dedisset initio regiminis sui, omnia se ei iura ac priuilegia conseruaturum, pacta cum suis inita rata habiturum, patronum & protectorem eius vbique ex æquo & bono futurum, alia-
Anno 1399. que facturum huiusmodi, *rursumq; à quadriennio peramicè cum eâ conuenisset, cùm metus & peri-*
Anno 1401. *culum ab armis Hollandicis vrgerent, tamen paulò pòst, periculo eo motuq; amoto, cùm videret recenti bello externo pariter ac sociali fessam ciuitatem, commodum id ratus cupidini suæ, callidissimo cõsilio nouis eam armis domi implicuit. Primùm enim pro exulibus, capitalibus ciuitatis inimicis, intercessorem se ingessit: mox non impetratâ re, quasi supplicibus deesse non posset, simul alijs quoq; causis, quas cupido suggerebat, prætextis, bellum mouit. Eo moto, quod futurum præuidebat, canonis annui ex pacto Canonicis debiti solutio est impedita. Ita rescindendæ pactionis color aliquis repertus. Inter causas alias hanc iactabat præcipuè, quòd ciuitas imperium omne, quod quoquo modo ex Henrici Imp. dono profluxisse videri poterat, redemisse se pactione nuperâ censebat, Episcopus autem ad vrbanam Præfecturam pactionem non pertinere contendebat, præfectumq; aiebat ab antecessoribus suis dari solitum, à se quoq; dari oportere. Nec antè destitit armis ciuitatem premere, omnia circùm circà infesta ei facere, maiora minitari, quàm ad dictatas conditiones descendere eam compulisset. Con-*
ditiones

ditiones hæ fuêre. Exules ad ſua, vt tum erant, redirent, nec actiones de damno haberent: Canon quinquennio nõ ſolutus collegio ob bellum, ſtatim ſolueretur: Ciuitas Epiſcopo ius Præfecturæ ſuburbanæ cederet; is præfectum pro arbitrio daret, qui ſedem & tribunal haberet in vrbe; *id eſt, vt verbo dicam, pactio prior cum collegio eſſet irrita. Id pridiè Michaëlis an. 1405. confectum. Triduò pòſt, de vrbano iure ſic porrò tranſactum*: Ciuitas Groninga è numero ciuium ſuorum *Sculthesium*, id eſt, præfectum ederet quem vellet, munus ei abrogaret, ſucceſſorem daret, continuaret, quando, quoties, quandiu placeret: editus verò, ſucceſſorve datus apud præfectum ſuburbanum Epiſcopi miniſtrum iuraret: iuramenti ſumma hæc eſſet, IVS ET IVSTITIAM SE ADMINISTRATVRVM OMNIBVS INTEGRE ATQVE INCORRVPTE, SECVNDVM MOREM FORI ISTIVS: præfecto ſuburbano vltra triduum tergiuerſante, conſuli poteſtas eſſet hoc iuramentum ab eo recipere eâdem verborum formâ. Pro hoc iure ciuitas quotannis aureos ſcutatos Francicos 28. penderet Epiſcopo ipſi Vltraiecti, & vigeſimo quoquo anno marcas duas argenti puri cum marcæ triente præfecto Couerdio Couerdiæ; vtrumque ante exitum

Tranſactio duplex cum Friderico Blanckenhemio.

Dat he malick ordel vnd recht doen vñ wedervaren latẽ ſal/na oldẽ herkamen des Gerichtes in Gronningen.

Octobris: Et hæc pactio vim haberet in annos 100. quibus finitis, si ciuitas ante exitum eiusdem Octobris offerret Episcopo marcas argenti similis 16. & trientem marcarum duarum, peteretque eiusdem iuris & pacti continuationem, eadem omnia valerent in annos totidem, & ab eorum fine rursum repetitis iisdem, & pactis purè seruatis in annos totidem alios atque alios; idque extenderetur in perpetuum, nec liceret Episcopis abnuere. *Sic Episcopi cupidini iniquæ vtcunque tum satisfactum, belloque finis impositus. Sed ne hic quidem stetit hominis istius immensa ambitio: quinimò cum successu rerum progrediens longius, eò demùm rem redegit, vt ciuitas eadem omnibus vexata incommodis, fessaque, quietis ac pacis causâ coacta demùm sit*, ipsi velut domino fidelitatis iuramentum dicere, & eandem conditionem parendi cum cæteris ciuitatibus maioribus diœceseos Vltraiecto, Dauentiâ, Campis, Suollis subire, ac subditam se, membrumque diœceseos profiteri, reliquo tamen iure omni incolumi, & saluis, quæ cum vicinis habebat, fœderibus. *Factum hoc anno post Christum ex Virgine natum 1419. Ab hoc autem tempore pax & concordia inconcussa ciuitati cum Episcopis & diœcesanis stetit, resque in eodem hoc statu mansit, quem iam exposui, ad Dauidem vsque Burgundum. Hic Vltraiectinis rebus potitus, anno Christi 1460. cùm pecunia egeret*, acceptis à ciui-

Cupido Friderici Blanckenhemij.

Dauid. Burgund. Episc. Vltraiect. & contractus cum eo initus.

tate

tate nostrâ mutuò aureis Rhenanis 1600. restituit illi suburbanæ Præfecturæ ius ac imperium ad tempus vitæ suæ, & in sexennium à finita vitâ proximum, conditionemque addidit, vt à ciuitate penderetur hoc nomine canon annuus aureorum similium centum; nec verò fas esset priùs à ciuitate repetere successores suos Præfecturam dictam, quàm mutuum omne restituissent. *Dauidi defuncto anno 1496. successit apud Vltraiectinos Fridericus Badensis: qui cùm nondum quinquennium rebus præfuisset, armis Saxonicis petita ciuitas est, belloq; diuturna æquè ac graui vexata: in quâ cùm auxilium Episcopi, patroni ac principis sui, sæpè rogasset, nec solùm non iuuaretur ab eo ita vti par erat ex contractus conditione, sed haud obscurè premeretur etiam, tandem necessitate vltimâ circumuenta, & coacta, sequens id, quod erat in pacti* * *formulâ disertis verbis nuncupatum, in fidem principis alius, Edsardi scilicet Frisiæ, quæ ad Orientem Amasi est, Comitis, concessit. Atq; hic Vltraiectini iuris in ciuitatem finis fuit. Ab Edsardo deinde ad Carolum Geldrum, à Geldro ad Burgundos imperium hoc deuolutum est. Quod quomodò factum, infra monstrabitur.*

Frider. Badensis Episc. Vltraiect.

* *In formulâ hæc erãt,* Libertatẽ pristinam, nam retineret cùm omni iure suo: Episcopo Ecclesiæ Vltraiectinæ adhæreret, vt solet: alterius principis imperium in fraudem Episcopi & Ecclesiæ non subiret, quamdiu vi maiore aliud facere non cogeretur: Episcopus vicissim in periculis eam summis viribus tuearetur.

DE CONIVNCTIONE ET FOEDERIBVS CIVITATIS CVM ORDINIbus Agri vicini.

PROXIMVM nunc, vt, quæ acta cum vicinis sunt inter Amasum & Lauicam, quæq; cum ijs iura sociata, videamus. Nec verò hic ea repetemus, quæ sunt Historiæ Decade primâ nobis exposita: sunt enim minùs congrua instituto nostro: sed quæ secunda & sequentibus exposuimus, fusè ac sparsim, eadem breuiter contrahemus, & rem totam velut in synopsi Lectori statuemus ob oculos. Finito tandem diuturno & exitiali bello, de quo Decadis primæ libro vltimo in Historiâ scripsi, quo in Gronenbergios & Gelekingios diuisa ciuitas, & intestinis armis miserrimum in modum afflicta, & cum ciuitate totâ regio vicina in partes distracta, sese attriuerant, velut calamitate cautiores factæ ab anno 1252. diu deinceps quietæ fuêre. Pòst cùm minuti tumultus in Agro inter ipsos agrarios ex ambitione hic illic rursus existerent, deinde maiores quoque, imprimis verò in Fiuelingijs renascerentur, ciuitas tamen in quiete perstitit, & quasi spectatrix fabulæ fuit. Et quoniam vacillabat sæpè iurisdictio in Agro ob partium studia, contumaciamq; potentium, quibus pro iure vis ac libido erant, simul etiam commercia

mercia actionibus violentis turbabantur, tum firmandorum iudiciorum, tum commerciorum tuendorum causa cum his aut illis agri partibus, vt occasio ferebat, pactis fœderibusq́; eadem se ciuitas iunxit, eoq́; modo publicæ pacis anchora fuit. Atq; hæc pax cùm ad annum vsq; 1332. stetisset, intereaq́; opibus & negotiationum multitudine oppidani creuissent, eo, quē dixi, anno in dissensionem cum socijs suis, ex dissensione in tumultus, ex tumultibus in apertum & magnum bellum inciderunt. Eo bello omnes, qui inter Lauicam flumen & Dullartum sinum sunt, exceptis, qui Præfecturam veterem tenent, & cum his bona Drentinorum pars, in ciuitatem coniurarunt, nec antè destitêre, quàm acceptis illatisq́; grauibus detrimentis anno demùm sexto post arma sumpta summis viribus in ciuitatem euntes in eas eam angustias & necessitatem adegêre, vt ipsa intercessorum arbitrio sub mittere sese, & deditionem facere coactis sit. Conditiones dictæ duæ asperæ ac duræ parentando hostium odio: prior, vt pars muri oppidani longo tractu à portâ Ebbinganâ versùs portam Botteranam deijceretur, locus ligneo septo rursum clauderetur: *altera*, vt sex in vrbe domus ex lateritio opere firmæ & sublimes, turrium aut arcium instar, ad medium vsque fornicem, ne nouis turbis occasioni essent, humiliores fierent. *Reliquæ æquiores: quales hæ*, vt vetusta pacta & fœdera inter partes seruarentur, omnibus iura sua cum iurisdictionibus integra vtrimque

Bellum vicinorum in Groninganos.

1338. Vrbs dedita.

Conditiones pacis.

que manerent, oppidani agrariis in defendendâ libertate auxilio essent, in collybi & commerciorum ratione fraudem ijs non facerent: quaterni ex tribus agri partibus prætores cum quatuor Drentinis, quatuor consulibus Groninganis, duobus item antistitibus Adoardiano & Werumano, quotannis Groningæ in curiâ conuenirent, & monetam examinarent, remque numariam ex commodo totius regionis constituerent. *Pronunciatum prid. Petri & Pauli Apostolorum anno 1338. sed sigillis tribus tantùm signatum, Fiuelingio, Hunesgonio, Drentino; reliquis, quibus signari debuerat, Groningano, Fredowoldio, Langowoldio, Hummertzio, Octopagico, non adiectis. Vnde suspicio mihi est, conditiones illas duriores recusasse ciuitatem. Nec tamen eâ minùs pax coijt. Ab annis deinde non multis arx Selwerdia bono Reip. à Groninganis, Hunesgonijs, Fiuelgonijs, Langowoldijs pecuniâ publicâ empta est, & solo æquata: pecuniaq; in hunc vsum à socijs omnibus collata. Periculosa quippè arcis eius firmitas non solùm vrbi, sed cæteris quoq; de libertate suâ sollicitis videbatur. Et cùm pecuniæ eius gratiâ controuersia inter vrbanos & Langowoldios enata esset, eam anno 1361. die decollationis Ioannis Baptistæ, compositam inuenio. Eodem verò anno 1361. delecti ex Hunesgonijs, Fiuelgonijs, Hummertzijs, Præfecturâ vetere, & præter hos etiam Ostergoi, VVestergoi, Reiderij, Amasani, Broecmerij Groningæ congressi cum consulibus ac senatu*

NOTA. Conuentus generalis Frisiorum Gronin-

natu huius ciuitatis, pacis & libertatis Frisicæ tuenda ergò sanciuêre, vt rata essent omnia, quæ olim in solennibus comitiis gentis ad Vpstallisbomum fuerant decreta, eademque sanctè colerentur: *Et his addidêre alia:* vt prætores omnes cum singulis assessoribus suis ac antistitibus aut sacerdotibus quotannis Groningæ conuenirent ipsis Kalendis Iulij, ac de Reip. negotijs deliberarent & constituerent, nec nisi confectis aut definitis negotijs inde discederent sub grauissimâ pœnâ: vt Selandiis, id est, partibus Frisiæ singulis ratæ essent consuetudines suæ in electione iudicum; ne socij à socijs proscriptos receptarent, neúe ijdem nouis ac insolitis vectigalibus se mutuò onerarent, vt omnes in defendâ libertate, & repellendâ notoriâ iniuriâ, si necessitas premeret, & promptè & tempestiuè pro modo virium suppetias sibi mutuo ferrent, nec absisterent antè, quàm periculum esset depulsum: denique si quæ existeret controuersia in aliquâ Frisiæ regione, ea ex specialibus illius regionis constitutionibus, consuetudinibus, priuilegiis bonis honestisque finiretur. *Hoc modo Groninga id esse cœpit, quod ante Vpstallisbomum fuerat, locus scilicet concilij aut comitiorum vniuersæ nostræ gentis velut proprius, ac Reipub. liberæ Metropolis. Certè ab hoc tempore ad Vpstallesbomum in Auricano agro conuentus huiusmodi, cuiusmodi solent,*

Groninga, relicto Vpstallesbomo.

folent, fuiſſe non reperio, Groninga verò ſæpè fuiſſe reperio: vt mirere meritò homines, qui iſta cùm ſcirent, tamen vrbem è Friſiæ regione eliminare litigijs ſuis conati ſunt. Atqui præter hæc totius gentis concilia etiam tum inualuerat mos, vt ij qui Amaſo & Lauicâ clauduntur, conuentus iuridicos ſeorſim agerent Groningæ, idq; vel quotannis, vel quoties commodum videbatur. Nam & loci commoditas alliciebat, & ciuitas opibus ac magiſtratuum ordine & ſapientiâ valida in ſocietatem iudiciorum adſcita contumaciæ potentum terrori, & fluctuanti iuriſdictioni firmamento ac ſubſidio erat. Nec enim tum quoq; æquabilis in iure dicundo ratio in ſubſellijs prætorum per agrum vbiq; ſeruabatur, & qui opibus valebant in nobilitate, non facilè ſe legum ſcitis & iudicum ſententijs ſuæ cupidini aduerſis ſubijciebant: Vnde mala metuebantur, quæ affligendæ patriæ, & euertendæ libertati poterant eſſe. Quæ cùm priori more vix iam reprimi poſſe videbantur, remedio maiore opus eſſe ſapientes in prouinciâ, ac patriæ & pacis amantes iudicarunt. Itaq; omnes omninò inter Amaſum & Lauicam, qui poteſtatis publicæ partem tenebant, quos ſeorſim per minores populos in oppido coire, & cum oppidanis ſententias iudicum recognoſcere mos ferè ferebat, ſimul Groningæ adeſſe iuſſi ſunt, cùm annus ageretur à Chriſto in terris nato 1368. Ibi conſenſu omnium decretum ſolenniter, vt bis quotannis iudices, qui inter Amaſum & Lauicam flumina ſedes habebant, in quorum numero expreſsè Reiderij

Vicinorum iuridici conuentus Groningæ.

& Weſter-

& Westervvoldij, cum ijs qui sunt in Præfecturâ vetere, recensentur, semel, die octauâ post Pentecostes, iterum die 15. Septembris, aut sæpius etiam, si res posceret, Groningæ conuentum agerent, in eoque causas cum magistratu oppidano recognoscerent. *Atq; ita legis esse cœpit, quod moris liberi esse solet. Suntq; multa alia præclara & egregia illîc sancita, ad rem iudiciariam, totumq; iurisdictionis ordinem ac modum, imprimis verò ad iudiciorum sanctimoniam atq; integritatem pertinentia, quæ nos in Historiâ Decadis 2. libro 4. expreßimus: quæ talia sunt, vt ne eruditißimas quidem & sapientißimas ciuitates eorum meritò poßit pudere. Ad hæc* fœdera vetera instaurata pacis causâ, vis omnis vetita, mulcta violatoribus grauis ære Groningano indicta. *Signatum decretum sigillis Reideriorum, Præfecturæ veteris, VVesterwoldiorum, Hunesgoniæ, Hunimerziæ, Fiuelgoniæ, Fredowoldiæ, Langowoldiæ, ciuitatis Groninganæ, die Magni Martyris. Huius fœderis & decreti beneficio pax rursum inconcussa stetit in hac regione toto penè decennio. Tum verò, cùm se factiones denuò commouissent, & vis iure potior esse cœpisset, maximè cis vltraq; Hunesum amnem, coacti sunt ij, qui partem Reip. in Hunesgoniâ gerebant, ni remp. & autoritatē suam pariter perditam vellent, arctiùs se cum ciuitate rursum coniungere. Coniunctionis præcipuum caput fuit*, factionum compressio: quarum causâ si ciuitati ad arma eundum, & in con-

Hunesgonia cum ciuitate fœdus.

in contumaces aut turbulentos ducendum eſſet, de ſumptu omni, & detrimento illic cautum per obſides ex ſociis pro arbitrio eiuſdem legendos: decretumque, vt, in quos ſumpta ſint arma, eorum bona in ærarium referrentur: horum dimidium ciuitati, reliquum ſociis agrariis cederet: agrarij ſuis ſumptibus ac periculo rem gererent: eorum præfecturæ ſi diſſiderent inter ſe, cognitio ac iudicium ciuitatis eſſet: huius ſententiam reliqui exequerentur. *Adiecta his omnibus conditio, vt tamdiu valerent, quamdiu non eſſet ijs ſolenniter renunciatum, annoq́ integro poſt renunciationem factam. Huic fœderi ſtatim ſe aſſcripsêre, qui Adoardianis parent, ipſumq́ collegium Adoardianum: & poſt ſemeſtre Hummertzij quoq́ acceßêre Huneſgonijs confines, conditionibus modò de impendijs expeditionum nonnihil variatis, & accuratiùs deſcriptis.*

Confœderati alij.

Anno deinde 1381. cùm princeps nobilitatis in Friſiâ Orientali Occo Broecmerius, ſtudio augendæ potentiæ ſuæ, in clientelam ſe Alberti Bauari Hollandiæ & Selandiæ Hannoniæ Comitis, qui iamdudum Friſiis imminebat, contuliſſet, Friſij omnes inter Fleuum & Lauicam flumina Oſtergoi, VVeſtergoi, Seuenwoldij, qui erant periculis ab Hollandis proximi, metuentes libertati ſuæ fœdus cum ciuitate Groninganâ in hoc ſummo diſcrimine percuſſerunt. Nam non Broecmerius ſolùm formidini erat nouus Bauari cliens, præpotens opibus, qui ſcindere in partes gentem, proprijsq́

Occo Broecmerius eques, Kenonis fil. Fœdus Tranſlauicanorum cum Groninganis.

viribus

viribus atterere posse videbatur, sed factiones quoq; in Fiuelgoniâ ac Hunesgoniâ se subrigentes, in quibus Nobilitatis pars eundem Bauarum ac Hollandos spectare ferebatur. His verò periculis nil validius opponi posse omnes existimabant, quàm cum ciuitate hac nostrá fœdus. Eo fœdere promisit ciuitas, fidam se sociam fœderatis, omnibusque Frisiis liberis futuram, societati huic fortunas & corpora, si posceret res, impensuram; libertatem suam & fœderatorum cõtra vim peregrinorum Principum quorumuis, & factiosæ Nobilitatis pro viribus defensuram: si qua clades sociis accideret in prælio, iis periculo perculsis & receptum quærentibus, portas se suas aperturam: factiosos in Hunesgoniâ & Fiuelgoniâ huic fœderi obnitentes, & concordiam distinentes, ne Reipub. malo sint, compressuram. *Idem fœdus anno proximo 1382. repetitum solenniter, & amplius quoq; factum, asscriptis omnibus, qui inter Lauicam & Amasum colunt, cum conditione temporis in septennium, atq; ita è curiâ vrbis præconis voce in magnâ hominum frequentiá publicatum. Idemq; anno sequente iteratum similiter. Et cùm triennio post rursus se factiones in agro vicino mouerent violentiùs, ac turbas cædesq; cierent, autoresq; à ciuitate & socijs compreßi, atq; in ordinem redacti essent, & fœdus hoc denuò sancitũ publicatumq;, & pax factiosis Fiuelgonijs & Hunesgonijs, omnibusq; omninò huic fœderi subiectis, seuerè mandata. Id factũ an. 1387. Ita motus.* 1390.

tus, & res noua à Frisiâ ad tempus tum auersa. Post annos deinde nouem Albertus, expeditione in Frisiam susceptâ, & pugna ad Scotersilam commissâ, vicit quidem Frisios, sed longiùs tamen cùm propter cruentam victoriam, tùm propter tempestates, & inclinans in autumnum anni tempus progredi non fuit ausus. Sed à biennio reuersus maiori cum apparatu & exercitu, anno nimirum 1398. victoriâ rursum partâ, & Staurâ, ciuitatum tunc temporis in ijs Frisiæ partibus validissimâ, obsessâ, & deditione captâ, omnem regionem indè vsque in Lauicam redegit in potestatem omniq; à populo iusiurandum accepit. Sed deditioni qui assentiri nolebant, Groningam & in agrum vicinum se contulerunt. Quâ fortunâ Alberti commoti, qui in factione erant Vetcoperorum cis vtraque Amasum flumen, (huius enim factionis principem & patronum se Albertus profitebatur) sustulerunt animos: Et cùm istuc quoque ab Alberto legati de deditione venissent, filius Occonis Broecmerij iam extincti VVidseldus, & cum eo Folcmarus Allena Osterhusanus, ad ipsum profecti, se & totam illam Orientalem Frisiam, quæ Comitatus nomine hodiè censetur, ei tradiderunt hac lege, vt eandem in feudum ab ipso mox reciperent, fierentq; eius beneficiarij. Hoc verò fecêre, cum faciendi eius ius omnino nullum haberent. Cùm his idem fecêre horum exemplo animati è Nobilitate quidam in agro hoc Groningano, numero sex, Ailco Onstenius Ferhildemaus, Reinerus Eizingius, Tammo Gockingius, Menno Howerdaus, Ontco Snelgeri, Haijo

Frisia omnis ad Occidentem Lauica Alberto Bauaro dedita.

Pactio quorundam è nobilitate cum Alberto Bauaro, contra libertatem patri.

Haijo VVibenius, quorum animi iamdudum factionum & rerum nouarum studio prurierant: à quibus totus inter Lauicam & Dullartum ager velut ex æquo & bono diuisus, ac Alberto datus, ab Alberto verò ipsis in feudum redditus. Quæ omnia literis comprehensa, signataq́ sunt 3. Idus Septembris. Et hi ipsi noui clientes polliciti Alberto sunt, datis ei literis, ad subigendam Groningam, si in recusandâ deditione & obsequio ea perstaret, (nam istuc etiam legatos Albertus miserat, & optimis propositis conditionibus, ostentatâq́ beneuolentiâ summâ, ad deditionem hortatus ciues fuerat, ac vi deditio fieret, obsidionem & vim denunciauerat) summis viribus auxilio se futuros. Quæ omnia cùm vulgò innotescerent, vt erant iniqua & inuisa, meritò magnas turbas in agro circum Groningam dedêre. Nam diuersæ factionis viri nobiles, & quotquot libertatis amantes erant, exagitato exaggeratoq́ facinore, & multitudine concitatâ, nonnullos ex factione aduersâ, atq; in his vnum alterumq́, qui regionem Alberto dediderant, per tumultum occiderunt. Sed nouis clientibus cùm ab Alberto auxilia aliquot cohortium è viciniâ subitò venissent, ij qui antè inimicos suos presserant, vicißim preßi ab ijsdem in extremâ neceßitate ad vrbem Groningam confugerunt. Quibus cùm statim portæ non aperirentur ob insidiarum metum, instantibus & terga penè cædentibus inimicis, perterrita plebs conclamare cœpit, si intra portas admissa defenderetur in hoc suo periculo, se in potestate ciuitatis imposterum

Tumultus circùm Groningam in agro.

futuram. Sic demùm propiùs discreta re, porta aperta, multitudo trepida in vrbem recepta: hostes à mœnibus reiecti: conditio tamen illa, seu quòd in discrimine confusè ac nullâ ratione iactata, siue quòd ad paucos solùm pertineret, penè pro nullâ habita. Albertus quamquam rogatus à nouis clientibus ac totâ eorum factione, exercitumq́ ingentem in viciniâ habens, & in Groninganos odio ardescens, tamen vt progrederetur eo tempore, ac ciuitatem inuaderet, persuaderi non potuit. Nam hyems suberat, & exercitus morbo infestabatur, & erat ipse ob senium tardior, & ciuitatis oppugnationem existimabat fere difficilem. Quapropter præsidio in castris Ostergoo in littore, & alijs locis relicto, cum exercitu in Hollandiam est reuersus. Nec multos post menses omnis etiam Frisia in Fleuum vsq́ duriùs à Principe & ministris eius habita, seruireq́ nescia, constantiaq́ Groningensium animata, percusso cum ijsdem Groningensibus & cæteris Sciringijs fœdere, ab eo rursum defecit, omniaq́ eius præsidia, exceptâ Staurâ, eorundem quoque auxilio expugnauit, cùm ex Hollandiâ domesticis tumultibus impedita suppetiæ venire laborantibus in tempore non possent. Eo facto in omnium ore erat ciuitas Groninga, eius penè vnius constantia accepta ferebatur recuperata libertas. Sic quippè omnes habebant, si hanc quoque vrbem suæ potestatis hostis fecisset, haud cuiquam eorum, qui iam parebant, sat animi futurum fuisse, vt se contra eum rursus commouerent; cæteros

Frisia trans Lauicam ab Alberto rursus defecit.

Groninga libertatis recuperatæ aut retentæ in Frisia causa.

verò,

verò, qui liberi adhuc erant, facilè subijci ex hac belli arce potuisse. Tum, qui Alberto se & patriam tradiderant, nec à proposito volebant discedere, tanquam perduelles à Groninganis & socijs vicinis sunt proscripti. Hi ab Alberto domi occupato deserti ad Fridericum Blanchenhemium Vltraiectinum præsulem, ciuitati proprias ob causas succensentem, vt ostendi antè, se contulerunt, eumq́ in Frisiam attraxêre cum exercitu. Qui cùm frustrà vrbem obsedisset aliquandiu, discedensq́ Blancoðveræ vno ab vrbe milliari præsidium in eam reliquisset, oppidani & socij agrarij confecto exercitu res proscriptorum inuasêre, arcesq́ redegerunt in potestatem. Hæc gesta anno 1400. & 1401. Mansitq́ res in eodem hoc statu ad annum vsq́ 1405. quo pax inter Groninganos & Episcopum Vltraiectinum reparata, exules quoq́ perduelles in patriam recepti, & rebus suis restituti, ciuitati honos quàm maximus vbiq́ habitus. Tranquilla deinde ciuitati & socijs omnia ad annum 1413. nouis turbis insignem. Nam Hisco Emdanus, oppidi eius Rector & præpositus, Sciringicarum partium in Amasanâ regione princeps, à Kenone Broecmerio Occonis filio Emdâ anno præcedente eiectus, fortunaq́ omni exutus Groningam ad ciuitatem sociam & amicam confugerat. Eius in ciuitatem aduentu factiones priscæ, iam per aliquot annos quietæ sopitæq́, sunt resuscitatæ. De reducendo enim Hiscone diuersis sententijs inter proceres contendebatur. Ea contentio vsque eò exarsit, vt Coppeno

Frid. Blanchenhemius Episc. Vltraiect.

Hisco Emda profugus Groningam venit.

Iarcao duce, qui erat Sciringicarum partium princeps, & acerbus odij persecutor, naturâq; turbidus & sæuus, aliquos aduersæ factionis proceres in curiâ, in foro, in domibus suis per tumultum sint interempti, reliqui earundem partium magno numero, & in his viri nobiles consulari & senatoriâ dignitate, eiecti in exilium: exules ad Kenonem trans Amasum sunt profecti, auxilij in inimicos communes spe. Sciringij ciuitate potiti, autore eodem Coppeno, domo egreßi ex agro etiam æmulos, aduersæ factionis homines, eiecerunt. At biennio pòst, cùm flueret annus à Christo nato 1415. Keno Broecmerius aßiduis exulum precibus exoratus, & vt suis quoq; rebus contra Hisconem & socios eius Sciringios consuleret, exercitum clam confecit, captaq; per insidias nocturnas vrbe, & eiectis cum Coppeno factiosißimis quibusq; Sciringicarum partium, exulibus & Vetcoperis cæteris Remp. reddidit. Tum Consules creati Reinoldus Hugingius, Conradus Voßius, Arnoldus Steenwicensis, Bruno Clingius: qui omnes in magistratu hoc manserunt, quoad vixere: idemq; obseruatum in Henrico Bruggio & Dutmaro Rengero, qui Voßio & Steenwicensi successerunt. Ab hoc verò tempore, quo restituti exules sunt, summâ concordiâ inter se ciuitas atq; ordines omnes, qui in agro à Lauica vsq; in Dallartum sinum sunt, egêre, penè vt vna esse Resp. videretur. Repetitaq; tum statim sunt fœdera & pacta vetera: nouaq; veteribus subinde addita, honori commodisq; ciuitatis augendis, & amicitiæ coniunctioniq; mutuæ magis ac magis

Groninga à Kenone capta.

Status reip. Groningæ mutatus.

Coniunctio arctior ciuitatis Groningæ & ordinum Agri.

magis firmandæ. Quæ cuncta vt intelligantur planiùs, distinctè singula, sed æquè succinctè, vt breuitas operis poscet, per summa rerum capita explicabo. Depulso, quod ab Hollandiâ impenderat, periculo, deinde & cum Vltraiectinis bello composito, ordines agrarij experimento edocti, quantum momenti temporibus dubijs in ciuitate esset, eiusq; amicitia ac fides quàm firmum esset contra hostes libertatis præsidium, quàm magna in eâ vis ad conseruandam simul sociorum concordiam, & iudiciorum integritatem, id consilij habuêre, vt eam indies sibi deuincirent arctiùs. Itaq; sensim concessa ciuitati aliqua, quæ decori & emolumento ei ipsi, cui tribuebantur, nec tamen detrimento ijs, qui tribuebant, esse posse videbantur. Cuius generis illud est vel maximè de Houetmannis, *quod memorabo postea, non magis honorificum & egregium vrbi, quàm ipsis agrarijs ob iuris & iustitiæ administrationem, & contumaciæ coërcitionem salutare: item illud* de stapulâ, *vti vocant, rerum ἐπιχωρίων, deq; negotiationibus & mercatus iure: & illud* de cereuisiæ *solius Groninganæ in tabernis aut hospitijs publicis vsu: Quorum alia maturiùs, alia tardiùs initium habuêre.* Houetmannos *primos, de quibus mihi cognoscere licuit hactenus, vidi in indice notatos sola nomina habente, ad annum Christi 1410. si memini rectè, qui index in chartophylacio est curiæ vrbanæ. Proximos ab his obseruaui memoratos in literis publicis* Kenonis *Broecmerij in membranâ exaratis anno 1416. quæ literæ arguunt, eos tum colligendo tributo* per

Houetmanni *indices Groningæ.*

Nota.
„
„

,, per Agrum præfuisse, quemadmodum per Vrbem
,, Consules. Et rursum nominatos inueni in literis Oc-
,, conis Broecmerij Kenonis filij anno 1417. scriptis &
,, signatis mense Augusto, atque ita nominatos, vt
,, tractasse pecuniam publicam totius prouinciæ cum
,, Consulibus oppidanis sit manifestum. Iterumq; anno
1424. nomen eorum in publico transactionis instrumento impressum animaduerti. Post quod tempus cùm exissent adhuc anni 12. iam continuum eorum indicem, qui in eo munere fuerunt ad Saxonica vsq; bella per annos circiter 63. quamdiu libera & sine principe Resp. hac mansit, curia adseruat. Sed de his infra rursum. Vrbem autem hanc emporium fuisse antiquitus vicinis regionibus, præcipuè Staueranâ fortunâ ruente, nec solùm propinquas sed etiam longinquas negotiationes factitasse, ac in possessione earum floruisse, maritimaq; non minus quàm mediterranea commercia coluisse, extra controuersiam est. Nec illud dubium, ius atq; mercatus solennis aut nundinationum in toto agro vicino, fluminibus Amaso & Lauicâ clauso, solam hanc si non lege aut pacto, quod tamen verum reor, at saltem more & tacito consensu, qui pro lege est, etiam multò ante Bauari bellum tenuisse. De stapulâ rerum venalium ἐπιχωρίων, quando cœperit, quæri potest: potest etiam de cereuisiæ Groninganæ vsu iam dicto. Priorem ego aut post Bauari arma, aut post recuperatam à Kenone Groningam statim initia habuisse, alterum posterius cœpisse existimo, & cur existimem, rationes habeo,

Vrbs Groninga emporium quondam celebre.

De stapula, vti vocant, rerum venalium, de vsu cereuisiæ Groninganæ, per agrum.

quæ

quas ex ijs, quæ sequentur, Lector etiam non monitus intelliget. Primùm post Hollandica & Vltraiectina arma à ciuitate cum vicinis percussum fœdus, quod mihi in literas relatum hactenus videre licuit, est, quod paulò ante Kenonis aduentum, cùm ipsa adhuc à Sciringijs teneretur, cum Hunesgoniorum parte, qui Præfecturæ mediæ nomine censentur, in Kenonem inijt anno 1415. mense Martio: in quo caput præcipuum est, libertatis patriæ contra Kenonem & omnes exteros propugnatio, collatis in eam subsidiis mutuis: & præter hanc, quod quisque iuris teneret, eius conseruatio, denique redituum & locariorum familiæ Onsteniæ, quoad ea exul erit, in ærarium ascriptio. *Alterum cum Hummertzijs, Langowoldijs, Fredowoldijs, ascriptis etiam Octopagicis Translauicanis, anno sequente eiectis iam Sciringijs, ipsis Nonis Iunij ictum in proximum decennium, & hoc quoq; pro tuenda libertate, & iure patrio, coniunctâ operâ & opibus contra exteros Principes: in quo porrò cautum expressè,* vt oppidani eam vrbis & finium suorum curam habeant, ne quid ex ijs detrimenti sociis possit accidere: vt controuersijs componendis arbitri à partibus designentur, qui nisi ante Trinitatis eas composuerint, eædem à conuentu iuridico omnium sociorum Groningæ definiantur: vt conuentus huiusmodi quotannis Groningæ agatur stato die, mense Iunio: nec exules Coppenus Iargæus,

Fœdus factionis Sciringiæ.

Fœdus aliud.

 Iacobus

Iacobus Scelgius cum sociis receptentur: *cetera* de pace tenendâ, de soluendis captiuis, de pœnis cœdium & iniuriarum aliarum *loquuntur. Tertium non fœdus, sed pactum cum Omcone Snelgero & Dammonensibus initum à ciuitate eodem anno, tantùm* de cædibus *aliquid determinans: in cuius formulâ Dammonenses nominatos inuenio,* die gemeene Buren van dem Damme. *In eodem verò hoc, vt & in tertio euidens indicium extat, paulò antè cum vniuersis Fiuelgonijs & Hunesgonijs in noua pacta & fœdus consensisse eandem ciuitatem: quorum exempla perijsse dolemus. Anno sequēte 1417. mense Iunio, cùm glisceret rumor de consilijs Vltraiectini (cui sederat in animo, Groningam ad iusiurandum sibi dicendum adigere) & vicissim de Occone Broecmerio Kenonis filio aliquid suspicionis esset, cum Fiuelingijs & Hunesgonijs conuenit ciuitati,* ne pars altera sine alterâ de cooptando domino consilia iniret: secus facienti, bis mille scutatorum veterum pœna esset. *Et cùm biennio pòst ciuitas importunitate Episcopi superata in fidem se eius vel inuita contulisset, agrarij ordines quoq; hi ijdem, & cùm his Hummertzij, Langowoldij, Fredowoldij, autore ciùitate Episcopum etiam eundem pactis conuentis sibi obligarunt: quorum hæc summa:* Episcopus promisit, iuri, libertati, ditionibus ordinum agrariorum, cuiusmodi tum erant, impedimento se nunquam futurum, modò ipsi vicissim in Vltraiectinos iniurij nō sint, & cum

Pacta cum Omcone Snelgero & Dammonensibus.

NOTA.

Conuentio inter ciuitatem & agri ordines.

Conuentio inter Episcopum Vltraiect. & ordines agrarios.

cum ciuitate Groninganâ in eâdem amicitiâ, societate, & institutis præsentib[s] permaneant constantes, imò contra oppressores gratiâ & consilio ipsis adfuturum, item procuraturum, ne quid iniuriæ à suis, aut per ditionem suam cuiquam eorum inferatur impunè: nec vllum se castellum vllamúe munitionem excitaturum aut recepturum in agro hoc, vnde agrariis ordinibus periculum creari queat. *Hoc factum ipso æstiui solstitij die. Et cùm suspicionis aliquid, ceu fieri in mutationibus solet, Fiuelingijs esset iniectum, seorsim rursus hi cum ciuitate, & ciuitas cum ijs pacti fuêre in fine huius anni,* minuendæ libertatis, ditionum, iuris sociorum autores se non futuros vllo tempore, imò minuere conantes alios repressuros pro virium modo, saluis tamen fœderibus, & pactis omnibus prioribus. *Interea toto hoc tempore ab eiectis Groningâ Sciringijs, graui inimicitiâ, adeoq́ hostili odio inter se arserant & adhuc ardebant Cislauicani & Translauicani (hi enim Sciringicum nomen profitebantur, & multos aduersæ factionis in exilia pellebant, quibus Groningæ & apud socios eorum receptus erat) frustraq́ legati Sigismundi Cæsaris conati fuerant in concordiam eos reducere. Qui legati cùm Frisiâ excessissent, tandem malorum ex intestinâ dissensione pertæsæ partes ipsæ anno 1422. Groningæ conuentu instituto inter se transegêre. De quâ re prolixè scribo in Historiâ. Altero anno post inter præpositum*

1417.

Inimicitia inter Cislauicanos & Translauicanos.

Conuentus generalis et transactio inter partes Groningæ.

Loppershemium & plebem vicinam lis composita est per arbitros, è quibus tres HOVETMANNOS *Groninganos in tabulis transactionis nominatos inuenio, quorum duo eodem illo tempore Consules oppidani fuêre: quod noscendæ antiquitatis causa est obseruandum.* NOTA. *Anno 1425. Groningani Hummertzij, Langowoldij, Fredowoldij, cum Vpsteranis trans Lauicam, item ijdem, & omnes socij in agro vicino cum Octopagicis Translauicanis anno 1426.* de coërcendis furibus *pacta iniêre. Deinde hac ad Orientem Amasi inter Occonem & Focconem dissensione enatâ, atque armis commotis, cùm Occonis fortuna labasceret, Focco Groninganis succensens Occoni fœdere iunctis, traiecto cum suis Amaso, & excitatâ illic factione suâ, prælio Groninganos vicit; victorque in patriam reuersus Occonem in pugnâ cœpit: iterumque primo verè anni 1428. Amaso transmisso, aspirante vndique fortunâ, totum penè agrum, qui inter Amasum & Lauicam est, à ciuitate auertit, & in nouas leges ac noua fœdera eum adegit. Sed Medachiorum, Hummertziorum, Langovvoldiorum, Fredovvoldiorum multi non assensêre, & fœdus etiam cum Groninganis, finito iam fœdere priore, pro libertate & legibus priscis rursum pepigêre,* in quo appellatio ad Houetmannos vrbanos à iudicibus cæteris in agro litigantibus permissa, & vt conuentus iuridici quatuor quotannis agantur in vrbe, vtque non nisi voluntaria tributa sint, exiganturúe ab agrariis, statutum.

Tumultus bellici cis vltraque Amasum.

Fœdus renouatum.

Quo

Quo cognito, Focco istuc cum exercitu accurrens disiectis, qui se opponere ausi erant, rem turbauit, & in eas angustias ciuitatem coniecit, vt petitis inducijs consulere sibi ipsa necesse habuerit. At domum regresso Foccone, & rebus difficilibus implicito, adeoq; in ordinem redacto, omnia priori statui restituta: nominatim cum Fiuelgonijs vniuersis, & peculiariter cum Dammonensibus, itemq; cum maximâ Hunesgoniorum parte fœdera repetita & conditionibus nouis ampliata. Sic notatum in formulis pactorum cũ VVinscotanis, item cum Holwerdiis & Mersumanis. *Simul Hamburgensibus Ennonis Grethani & filiorum eius socijs Emdâ potitis hominibus negotiationum studio deditis, quibus commodum videbatur, cis vltraq; Amasum mercari & quæstum facere, per eos mercatus ac stapulæ ius, in cuius possessione Groningani ex voluntate sociorum erant, imprimis in Amasi & Dullarti orâ, turbatum Groninganis fuit.* Turbæ ab Hamburgensibus. Stapula Groning. *Et hæc, reliquis per agrum quietis, simultatis inter duas ciuitates æmulas materia tum fuit. Hamburgensibus verò ex Nobilitate quidam, præcipuè Hajo Ripperda Farmsumanus, Ailco Hovverda Muntensis, Eppo Gockinga Brocæus, magis odio ciuitatis quàm amore ipsorum, tacitè studebant. Inter hæc Guilhelmus VVicheringius consulari familiâ Groningæ natus, tum temporis mercatorum præfectus, dum ius ciuitatis tueri vult, in ditione Ripperdæâ concursu seditiosorum est occisus.* Guilh. VVicheringius occisus. *Quod cùm vltum ire captis armis se ostenderent Groningani, Hajo Ripperda, cui cædes accepta ferebatur, timore perculsus, satiùs esse duxit, placare offensos, quàm vim eorum experiri.*

Itaq;

Tranſactio & cõuentio cum Haijone Ripperda.

Itaq, oblatâ ſatisfactione tranſegit cum ijs, & promiſit, in poſſeſſione iuris Stapulæ ſeu mercatus ſe ciuitatem non turbaturum, ſed relictu-rum ei hoc ius liberum; nec ſolùm non impedimento in hac re, ſed auxilio etiam, ſi vſus poſcat, futurum: deinde cædis Wicheringiæ, & aliorum damnorum illatorum causâ ſe cum ſuis D. Arnoldicos eſſe ſoluturum: ad hæc eoſdem cum ciuitate hoſtes internos aut externos habiturum, opem ei laturum, arcem ſuam Farmſumanam præſidio eius pariter & confugio aperturum. *Acta hæc & ſignata anno 1434. pridiè Laurentij. Hinc poſt menſes ferè duos induciæ inter Hamburgenſes & Groninganos in proximum biennium factæ, & per eas liber commeatus negotiantibus vtrinq, datus: decretum etiam, vt intereà de pace perpetuâ, compoſitis omnibus diſſenſionibus, inter has ciuitates ageretur. Anno ſequente ſeorſim cum vicis quatuor Farmſumano, VVeiſwerdico, Heuenſchæo, Oterdumæo, mox cum duobus alijs in eâdem viciniâ Holauerdico & Merſumano in eandem ſententiam, rurſumq, cum VVijnſcotanis, deniq, cum Finſeranis & Egeſtanis in Præfecturâ veteri ciuitas pepigit: Et cum his quidem poſtremis ſic conuenit*, vt ſi vniuerſa Præfectura vetus cum ciuitate fœdus iniret, tum vt ipſi quoque eo comprehenderentur, & his pactis præſentibus non tenerentur ampliùs: ſin minùs, hæc valerent in annos 12. *cum primis verò & ſecundis ſic*, ſi contingeret

Induciæ inter Hamburgenſ. & Groning.

Pacta ſpecialia quædam.

tingeret ciuitatẽ cum Dammonensibus priore fœderis tempore finito, aut etiam ante, in nouum fœdus consentire, tum, vt hæc pacta irrita essent: alioquin in annos 12. vim haberent. Vinscotani simpliciter in easdem leges consenserunt cum Dammonensibus, & reliquis Fiuelgoniis, ac Hunesgoniis, in annos similiter 12. sed expresseêre de prouocatione ad tribunal oppidanum ex formulâ fœderis Hunesgonij & Fiuelgonij, ac more prisco. *Eodemq́; die, quo cum VVinscotanis facta conuentio, (id fuit 5. Iduum Aprilis) cum Haijone Ripperdâ & filio eius Bolone, pactio quoq; prior iterata, denuoq́; ritè signata, & vinculo fidei nouo firmata validius. Sic enim obligarunt se Ripperdæi, & hæredes suos*, si quid delinquerent contra fœdus aut pacta hæc, vt bona sua omnia, & omnes possessiones caderent in commissum, cederentq́ue ciuitati. *Adiecêre etiam, placere sibi, & rata habere, quæ cum vicinis vicis quatuor ciuitas pepigisset. Nec diu post Midvvoldij, Ostvvoldij, Finservvoldij, Veenhusij, Scemedani, Egistani, Medenses, Muntendammenses, Suidbrokij, Nortbrokij, VVagenborgij, in Præfecturâ vetere omnes etiam ipsi cum ciuitate pacti sunt in annos totidem. In pactis præcipua fuêre:* vt libertas patria, & ius cuique suum, ditiones, iurisdictiones, illæsæ conseruarentur: in exilium sine causâ iustâ nemo pelleretur: iudiciis & legibus controuersiæ disceptarentur & finirentur: vis omnis

Pacta cum ordinibus Præfecturæ veteris.

omnis abesset: exteri principes, alijque libertatem pressuri, aut iniurij cuiquam futuri, mutuâ ope finibus regionis arcerentur; ad hanc rem non ferenti opem grauis mulcta esset: mulcta æqualiter inter socios diuideretur: si qua pars agri huius socij, si quis vicus, si vir nobilis ignobilisúe, in fraudem ciuitatis aut agri præsidium haberet, peregrinumúe militem intra fines vocaret, ei isúe coniunctis omnium viribus resisteretur. Deinde de maleficiis & iniuriis coërcendis prolixè, de obsidibus expeditionum tempore in vrbe habendis. *Tum porrò hac:* à sententiis iudicum agrariorum prouocatio esset ad tribunal vrbanum intra tempus legitimum, eæque sententiæ à conuentu iuridico sociorum omnium in vrbe recognoscerentur: conuentus iuridici quatuor pluresúe in vrbe quotannis haberentur: violans euntem ad vrbem mercatus causa, aut indè redeuntem triplæ pœnæ reus esset: tributum à sociis agrariis non exigeretur nisi ex ipsorum consensu. *Signata hac die 8. Maij, anno 1435.* *Eo tempore varia quoque cum Ailcone Houvverdæo, & Eppone Gockingâ Brocæo acta. De quibus res monet, vt pauca nunc dicam. Vterq. enim opibus validus in Præfecturâ vetere fuit. Ex his Ailco Mennonis Houvverdæi Ebone nati filius, Muntensis, temporibus Kenonis Broecmerij, siue irritatus à Sciringijs, seu sponte suâ impulsus, auxilio Kenonis proximos*

NOTA. (margin, with quotation marks beside "Tum porrò hac … recognoscerentur")

Acta cum Houwerdæis & Eppone Gockinga.

proximos aliquot eius oræ genere & opibus præcipuos, &, vti reor, Sciringicarum partium suspectos, fortunis & patriâ eiecerat, domos plerorumq; euerterat, ex materiâ earum ipse arcem sibi validam apud Muntenses eâ parte, quæ Holma dicitur, extruxerat, denique se Rectorem vicinorum pagorum inde vsque ad Dullarti oram constituerat. Post cùm Focco Leranus Vconis filius secessione à domo Broecmeriâ factâ, belloq; Groninganis & socijs, Broecmeriorum parti inhærentibus illato, victoriaq; reportatâ, Ailconem quoq; in ordinem redegisset rogatus ab exulibus, atq; æqua eum pati coegisset, exules quidem restituti in integrum sunt: sed eodem, domi cùm dominatum strueret, à suis vicißim in ordinem redacto, Ailco cum Hamburgensibus Focconianarum partium hostibus Emdam tum tenẽtibus societate junctâ, auxilio eorum exules rursum exturbarat oppresseratve; deinde vt gratum nouis socijs faceret, & suas res proueheret, societati ciuitatis Groninganæ, & ijs, quæ societatem sequebantur, se cœpit obijcere. Mox exemplum vicinum Ripperdæorum metuens, & simul ab exulibus formidinem habens, ac iniuriarum in diuersos, adeoq; in oppidanos sibi conscius, præsidium sociorum in arcem suam recepit. Eo fretus liberiùs iam societatem & pacta conuenta cum Groninganis turbare, commercia impedire, negotiantibus infestus esse, inter Hamburgẽses quoq; & Groninganos simultas & odia asperari. Intereà & Eppo Gockinga Aijoldi filius in eâ Præfectura veteris parte, quâ ager palustris & nemo-

nemorosus est, quæ in Austrum vergit, apud Suidbrocæos sedem habens, suorum hæreditate locuples ac potens, vt est natura hominum, à magnis ad maiora contendebat, & ius, quod multorum erat, in se solum sensim trahebat, seq; summum prætorem per totam illam oram haberi volebat: atq; hanc ad rem amicitia Hamburgensium, & Ailconis Houvverdæi, & affinitate Grethanorum, qui tum in Frisia Orientali supra reliquos in Nobilitate eminebant, quorum erat gener & sororius, abutebatur. Hinc factiones vicinorum contra ipsum, & inimicitiæ mutuæ, interdum & iniuriæ: & ipse Eppo turbidior Groninganis, & societati eorum infestus, ac vicißim ciuitatis animi non satis in eum placati: videbanturq; ad arma res tendere, cùm inter Hamburgenses & Groninganos induciæ biennes sunt factæ. His inducijs durantibus pactiones illæ, de quibus dixi, anno 435. cum ciuitate initæ. At inducijs vixdum finitis incrudescere priora, Ailco & Eppo in ciues aut socios Groninganos iniurij esse, & vicißim à Groninganis pati, quæ nollent: Eppo præcipuè, qui parte opum est eiectus Hamburgensibus in Amasanâ occupatis. Demùm per arbitros rursum inter ciuitatem vtramque, atq; item cum Houvverdæis res compositæ. Hac compositione, Groninga in possessione iuris & pactorum per Agrum relicta: iniuriarum obliuio inter ciuitatem & Houvverdæos sancita, controuersiæque compositæ. Exulibus, quos Houvverdæi, quosque Eppo expulerant, & fortunis euerterant, reditus

tus & restitutio decreta. *Inter Epponem porrò & ciuitatem sic conuenit*, vt Epponi res redderentùr cum pace ad biennium: intra hoc biennium cõtrouersiæ inter eos per arbitros componerentur: *Sed cùm Ailco & Eppo ad ingenium redissent, & Hamburgensium nauarchus Groningaños quoq; esset deprædatus, ciuitas iniuriam vltura arcem Muntensem Ailconis inuasit, & cum præsidio Hamburgensi redegit in potestatem. Eodem impetus cursu Epponem quoq; nuper redditis iterum eiecit, & pluribus alijs exuit: turrim munitam in Bellingwoldijs vi captam solo æquauit. Hoc casu consternatus Houwerdaus cùm à socijs nil auxilij expectaret (erãt quippè armis ab exulibus tum fortè lacessiti atq; occupati) cum Groninganis transegit in hanc sententiam*: vt ipse haberet reliqua sua omnia, prædia, iura, iurisdictionis inter Amasum, & Lauicam fl. Groninganis relinqueret possessionem arcis Muntensis cum agri iugeribus 200. in pignus seruandæ fidei: id valeret ad transactionem plenam & perpetuam, in quam bini vtrinque arbitri deligerentur. *Factum an. 1438. die Gereonis. Ludouicus Hornkenius præfectus arci à ciuitate datus. Nec diu pòst compositionẽ hanc Ailco superuixit, & ciuitas anno proximo, arce minoris Muntæ ab ijs, quorum erat, emptâ, cum Hissâ vxore Ailconis viduâ, atq; item liberis eius denuò pepigit, in hunc modum*: Ciuitas Hissæ & liberis eius omnes eorum res, quæ bono iure & sine contro-

Arx Muntana ab Groningatis capta.

Transactio cum Ailcone Houwerda.

Transactio cum vxore & liberis Ailconis.

uerfiâ eorundem funt, relinquit vfque quò liberi omnes aut quidam ex iis, ad iuftam ætatem peruenerint: tum ex formulâ compromiffi, in qua ciuitati cum viuente Ailcone conuenerat, omnis controuerfia vel per arbitratores, vel per iudices definietur in perpetuum: interea ciuitas retinet arcem Muntenfem cum iugeribus agri centum è numero ducentorum nec optimis, nec deterrimis, & totam iurifdictionem arci cohærentem: querelæ de iniuriis aut detrimentis mutuis, quæ in bello accidêre, omnes fufpenduntur tantifper. *Signatum anno 1440. menfe Nouembri. Sic ciuitas in poffeffione hac, atq; adminiftratione iuris per omnem illam viciniam volentibus petentibusq́; vicinis difcordiarum & inæquabilis iurifdictionis pertæfis manfit vfq; in annum 1460. Tum verò arbitris cum poteftate lectis, hinc Theodorico Scaffero, Gofeno Grauio, inde Gerardo Petcumano, Egberto præfecto Emdano, ita rurfum pronunciatum:* Hiffa cum liberis etiam reliqua illa centum iugera reciperet, & cum cæteris rebus fuis ac iurifdictionibus haberet, iifque vteretur-frueretur: Groningani damna in ædificiis & rebus aliis ex æquo & bono ei repararent: arbitri definirent, an iis quæ retinerent, quæque ex vfufructu agrorum percepiffent, fatisfactum Groninganis pro iniuriis effet. *Nec quicquam ampliùs hac de re motum inuenio ad annum vfq; 1481. Interim*

Altera tranfactio cum iifdem.

Eppone

Eppone quoq; rebus humanis anno 1443. aut 1444. exempto, qui in parte iuris pristini, quod habere se à maioribus existimabat, in Præfecturâ vetere remanserat, Groningani consensu populi, & pacto quodam cum Eppone facti, arcem eius Brocaam, deiecto præsidio, & viduâ Epponis Froukwa Vlrici Grethani sorore, occuparunt, vniuersumq; imperium prætorium secundùm Dullarti oram in se verterunt, saluo reliquo iure, libertate, αὐτονομία populi. Datusq; à senatu præfectus, qui diceret ius, à quo prouocatio ad senatum & ciuitatem esset. In eâq; conditione libens tota illa ora ad Dullartum sine mutatione vllâ perstitit vsq; ad tempora Saxonica, seq; à Repub. & societate reliquarum agri huius partium seiunxit, nec exportandi importandive lege, nec cæteris istarum pactis cum ciuitate obligata ab eo tempore fuit. *Eppone mortuo, reliqua Præfectura veteris ciuitati Groning. accessere.*

Hoc exemplo vicini VVesterwoldij commoti, cùm longiùs tendere, quàm à maioribus relictum acceperat, vsurpare Eggo Addinga agri Rector videretur, adhæc violentiùs etiam quædam ageret, iniuriosiùs indigenas pariter & alios tractaret, iudicata pro libidine aut exsequeretur, aut non exsequeretur, iudiciaq; eluderet, & ipsi quoq; cum Groningensibus fœdus inierunt an. 1447. cuius fœderis itidē caput præcipuum fuit defensio libertatis: & cætera penè omnia ex formulâ eâ, quâ cum ciuitate hi, qui in Præfecturâ vetere ad Dullartum sunt, anno 1435. pepigerant. Expreßè verò cautum, si iudices Territorij (hi 12. erant à populo & è populo lecti) iniquè *Pacta cum VVesterwoldiis.*

iudicasse putarentur, liceret læso senatum Groninganum appellare intra dies 10. senatui ius esset, citare iudices, & causam recognoscere, & sententiâ suâ vel appellantem temerè, vel iniquè iudicasse deprehensos in marcas veteres 5. condemnare: Atque hæc omnia saluo Eggonis & totius populi iure, & libertate acceptâ à maioribus, quatenus huius fœderis capitibus non aduersantur. Fœdus verò esset perpetuum. *Signatum pridiè Bartholomai Eo fœdere ex hoc tempore vsa ciuitas est, & eius metu repressus* Eggo *minùs exorbitare ausus fuit, donec tandem proiecto metu, fœdereq; contempto prouectâ iam ætate, Monasteriensium patronorum fiduciâ insolen-*
An. 1478. *tior factus ab irritatâ plebe est interemptus. Cuius mortem cùm filius Haijo vlcisceretur acerbiùs, ipsis crudelitatem improbantibus Monasteriensibus exorati à plebe Groningani, & proprijs iniurijs quoq; lacessiti correptis armis eius arcem VVeddanam in potestatem redactam æquarunt solo. Prætorium imperium, quod Haijonis fuerat, sibi sumpsêre summâ plebis voluntate, præfectum, qui iurisdictioni præesset, in arce Pekelborgiâ recens à se structâ collocarunt. Et ne Monasterienses offenderent, solutis 25. auri Rhenani libris eos deliniuerunt, & ius, quod hactenus Eggo & Haijo velut beneficio eorum illic tenuerant, redemerunt. Additaq; pecuniæ datæ conditio,* vti tantisper in possessione potestatis huiusce maneret ciuitas, donec pecunia ei esset restituta. *Hoc modo ex*
fœderatis

fœderatis VVesterwoldiorum rectores facti Groningani sunt, clientelam præsulis Monasteriensis professi: duraruntq; in eo ad initia vsq; Saxonici belli, quo cuncta in Frisia turbata. Quo eodem tempore, id quod inter Houwerdæos & ciuitatẽ reliquum controuersiæ erat, agitatum rursum, & arbitris demùm commissum. Per eos confecta res quoquo modo primùm inter Mennonem Omconemq; fratres, & ciuitatem: deinde post aliquot annos etiam inter Ailconem & Gerlachum Vlphusanos, priorum fratris filios, ac eandem ciuitatem. Prioribus nescio qua re, posterioribus pecunia non ampla satisfactum: iurisdictio ab vtrisq; ciuitati relicta. Sed redeo ad ea, vnde sum, prolixiùs quàm constitueram, digressus. Finitis fœderibus ante memoratis, quæ cum reliquo agro inter Lauicam & Amasum ciuitas habebat, vsus tamen eorum prorogatus tacito partium consensu, annoq; 1455. etiam de frumenti exportatione & cereuisiá scripto repetitum, & sancitum diligentiùs, vt in antigrapho quodam, quod apud ipsos agrarios est, legi. Demùm, cùm pessum ire nonnulla, & diffluere sensim viderentur, & motus à Carolo Burgundo ingrueret Frisiæ minitante, optimi & prudentissimi quiq; Reip. & patriæ totius cura tacti id effecêre studio suo, vt prolixiùs accuratiusq; quàm vnquam priùs ciuitati cum Fiuelgonijs, Hunesgonijs, Medachijs, Langowoldijs, Fredowoldijs, Hummerzijs solenni modo fœdus sit instauratum, cùm flueret annus à natali Seruatoris nostri 1473. In eo hæc fuêre præcipua: Vt pacatè inter se

Iterum de Houwerdæis.

An. 1481.

An. 1489.

Fœdera prorogata cum vicinis in agro.

Fœdus accuratius in annos decem.

viuerent omnes, auxilio sibi mutuò essent contra quoslibet hostes, maximè libertati imminentes, contraque eos, qui domi iudiciis & legibus non parerent: vis omnis & tumultus statim comprimeretur; conuentus iuridici superiores Groningæ agerentur quater quotannis aut sæpius; quibus Houetmanni oppidani præsiderent, ad quos prouocatio esset à tribunalibus omnibus in agro. Conuentus hos Houetmanni cum iudicibus aliis indicerent: quod frumenti in agro prouenit, id non exportaretur, nec alibi quàm in vrbe venum proponeretur: in tabernis & diuersoriis non alius quàm Groninganæ cereuisiæ esset vsus: nec cuiquam per totum agrum vendendi, ac quæstus faciendi causâ cereuisiam coquere liceret: fœdus hoc decennium proximum valeret. *Signatum die 6. Augusti. Eodem anno, crescente, quem dixi, ab armis Burgundicis metu, cùm fœdus cum Translauicanis confici ob simultates atq; odia intestina non posset, cum Theda & Frisiis Orientalibus societas à ciuitate ordinibusq; agrariis inita est pro tuendâ libertate certè memorabilis: de quâ in Historiâ scripsi pleniùs. Mox aliò se vertente Burgundo, legati à ciuitate & sociis vicinis missi ad Cæsarem Fridericum III. qui & libertatis pristinæ, & pactorum recentium confirmationem, patrociniumq; contra Burgundum peterent:* Impetratumque de libertate, pactaque firmata, tota regio deni-

Fœdus cum Frisiis Orientalibus contra Carolum Burgundum.

denique in tutelam recepta Imperij. *Sed ex eâ legatione non magnam gratiam, honoremve Ioannes Rengerus & Vnico Ripperda retulêre, qui pro Rep. missi sua potiùs quàm Reip. agentes, potestatem peramplam iuris dicundi, exigendi vectigalis, cudendæ aureæ monetæ (hanc ciuitas pro se petierat) & nescio quæ alia sibi acquisiuêre: quamquam prohibiti ab Ordinibus patriæ vti beneficio Cæsaris non potuerint. Simul tota regio durante hoc fœdere in summâ quiete & felicitate egit, ciuitas diuitijs, operibus nouis, magnificentiâ, amplitudine, ager cultu & nitore creuit, ac fuit summa inter socios animorum & gerendæ Reip. coniunctio. Hoc tempore, cæso iam ad Nanceium Carolo Burgundo, Arnoldus Loüs Iureconsultus, à Cæsare Friderico ad componendas res per Frisiam Transisulanam missus, cõsilij capiendi causâ Groningam deflexit. Eo autore ciuitas in spem venit perpetuæ potestatis ius in agrum vicinum sibi parandi: parauissetq́ue, & alia quoque adiecisset, quantum in Cæsare erat, si pecuniæ dispendium in loco facere voluisset. Redijt enim Loüs denuò à Cæsare, amplissimis in hanc rem mandatis instructus. Sed illa aulæ cupidine offensa, postposito cõsilio hoc, inanem legatum remisit. Et iam ad exitum penè properabat tempus, quod erat fœderi dictum. vt aut prorogato eodẽ, aut nouato ampliatove opus esse videretur. Gaudebat quippè vtraque pars fœdere, eiusque fructu suauiter afficiebatur. Itaque data vtrimque opera est, vt ampliatũ rebus & tempore denuò feriretur. Idque cõfectũ exeunte an. 1482. triduò*

A. Loüs Groninga.

R 4 ante

Fœdus postremum cum vicinis in Agro, & celeberrimum.

ante natalem Domini: tempus ei decretum superiore maius. Eius capita præcipua fuêre hæc, vt sunt in Historiá à me expressa: Pax inter partes esset, saluo cuique legitimo iure suo; auxiliis se mutuò iuuarēt, si res auxiliis egeret; temerè nemo in exilium pelleretur, nisi criminum grauium reus, & contumax: ex legibus sese mutuò conuenirent, omni vi missâ: Principes externos, & quoscunque alios vim sociis afferentes, aut libertatem prementes communi operâ pro viribus arcerent: postulati auxilia ferrent ad arbitrium bonorum virorum, & statim, & suis sumptibus; cessantesque in hoc officio M. scutatos veteres in vsum apparatus bellici penderent: tumultuantes comprimerentur maturè: si qui turbatâ pace publicâ ceperint alios, ac spoliarint, captos dimitterent confestim, spolioque dupliciter restituto insuper grauem mulctam fœderi luerent: sine consensu communi bellum nemo moueret: in auxilium euocati à sociis fidei firmandæ causâ obsides traderent Groningæ custodiendos vsque ad expeditionis finem. *Tum de iudiciis sic:* Iudicibus in Agro aut ius reddere detrectantibus, aut perperam iudicantibus, ius esset læso appellare tribunal superius, in quo iudicant omnes totius societatis ordines legitimè cōuocati, eiusque appellationis testimonium scriptum petere Groningæ intra diem 10. quo accepto, non

non liceret iudici inferiori quicquam in eum porrò decernere,aut contra eum agere,aut repetenti pignora, si qua sint ablata, ac sponsionem præstare volenti in morâ aut impedimento esse: aut illum diem si negligeret læsus, omninò iudicato priori pateret: appellans, causam suam persequeretur tribus proximis in conuentibus iudicialibus in ipsâ vrbe, aut marcas penderet veteres quinque mulctæ nomine, insuperque causâ suâ caderet: atque hic esset litium trahendarum terminus, nec fas esset in hoc quicquam mutare, nisi ex mutuo litigantium partium consensu: iudex inferior,à cuius iudicio prouocatum esset, si nõ veniret ipse tuendæ sententiæ suæ gratiâ ad conuentum, primùm detrimento id non esset appellanti,deinde præter emansitionis pœnam vsitatam, quinque etiam marcas fisco solueret: si latam ab eo sententiam confirmari contingeret, potestatem haberet totam causam porrò definiendi, etiamsi anno suo euoluto magistratu iam abijsset: ad conuentum iudicialem coëuntibus iudicandi gratiâ quantumuis raro numero ius esset ac potestas causas definiendi, non secus ac si frequentes conuenissent: Conuentus huiusmodi Groningæ agerentur quotannis quater aut sæpius, si Reip. ratio id videretur poscere: essetque in eo, vt & in tempore conuentuum designando, arbi-

trium prætorum ab oppidanis datorum (*Houetmannos vocant*) & eorum qui res per Agrum in tribunalibus inferioribus iudicant: *Deinde de sontium pœnis aut mulctis hæc*: Furti, latrocinij, proditionis, incendiorum reos receptare fas non esset, aut pœnis eripere: pœna omnium horum supplicium capitis. Cædes cuiusuis hominis in conuentu publico præsentis, aut istuc euntis, aut redeuntis ab eo, mulctâ lueretur sexculpâ: idem iuris de vulnere, aliaúe iniuriâ esset: Consulis verò aut senatoris, aut viri nobilis, aut iudicis, aut sacerdotis cædes, vulnus, iniuria mulctâ corriperetur duodecuplâ: eius mulctæ triens ærario, bes læso, aut propinquis eius cæderet: si reus soluendo non esset, sex propinqui proximi læso, aut læsi propinquis pro ipso satisfacerent, aut reum saltem ijsdem sisterent: omnes denique iniuriæ vbicunque & quocunque tempore patratæ hoc durante fœdere in triplum punirentur supra modum in legibus patriis definitum: saluo interea vnicuique iure suo, ac pactis mutuis, quæ hisce non aduersarentur. *Demùm & ista addita, quæ ad ciuitatis commodum pertinent.* Frumenti in agro sociorum nati exportatio non esset in regiones alias: Cereuisiam in tabernis vendere, aut in vsu habere exoticam totâ in regione non liceret, nisi quantum antistibus aut nobilibus aut cæteris viris honestis condere

condere eius in pennariâ suâ in vsum domesticum liberet: nec coquere etiam toto in agro cereuisiam distrahendi causa, cuiquam extra vrbem permissum: sed qui vellet, coqueret tantum, quantum satis esset familiæ suæ: veniret autem solùm ea quæ à ciuibus in vrbe cocta. *Postremò*, sub exitum fœderis vtri parti conditio eius displiceret, nec liberet eâ vti diutiùs, toto anno ante exitum eius renunciaret eidem solenniter. *Hoc fœdus quamdiu stetit & cultum sine vitio est, florentissimæ res Vrbis & Agri fuêre, adeò vt inuidiam meruisse ex fortunâ videantur. Tum structa in vrbe est turris illa maximi operis & impendij, vastæ molis & formæ superbæ ex saxo Benthemio, templo Martiniano adsidens; tum ædificatum magnificum œnopolium in fori medio; tum ædes priuatæ complures sumptu ingenti erectæ; negotiationes etiam auctæ plurimùm, & opes publicæ priuatæq; multiplicatæ: deniq; hoc fortunæ riuo elata ciuitas, vt commeatuum haberet copiam liberiorem & ampliorem, re cum Episcopo Monasteriensi, Emdensium rebus inimico, comparatâ, Amasi alueum aliò diuertere, vt & in Dullarti sinus superiora, quâ ipsa imperium habet, deriuare est conata, quanquam conatu frustraneo, & oleo operaq; in eo perditâ: postremò trans Lauicam fidentiùs tentare res, & imperium proferre ausa fiat. De quo nunc dicere, & coniunctionem ciuitatis cum Translauicanis paulò altiùs repetere, vt res clariùs elucescat, ordo & tempus monent.*

DE

trium prætorum ab oppidanis datorum (*Houetmannos vocant*) & eorum qui res per Agrum in tribunalibus inferioribus iudicant: *Deinde de sontium pœnis aut mulctis hæc*: Furti, latrocinij, proditionis, incendiorum reos receptare fas non esset, aut pœnis eripere: pœna omnium horum supplicium capitis. Cædes cuiusuis hominis in conuentu publico præsentis, aut istuc euntis, aut redeuntis ab eo, mulctâ lueretur sexculpâ: idem iuris de vulnere, aliaúe iniuriâ esset: Consulis verò aut senatoris, aut viri nobilis, aut iudicis, aut sacerdotis cædes, vulnus, iniuria mulctâ corriperetur duodecuplâ: eius mulctæ triens ærario, bes læso, aut propinquis eius cæderet: si reus soluendo non esset, sex propinqui proximi læso, aut læsi propinquis pro ipso satisfacerent, aut reum saltem ijsdem sisterent: omnes denique iniuriæ vbicunque & quocunque tempore patratæ hoc durante fœdere in triplum punirentur supra modum in legibus patriis definitum: saluo interea vnicuique iure suo, ac pactis mutuis, quæ hisce non aduersarentur. *Demùm & ista addita, quæ ad ciuitatis commodum pertinent*. Frumenti in agro sociorum nati exportatio non esset in regiones alias: Cereuisiam in tabernis vendere, aut in vsu habere exoticam totâ in regione non liceret, nisi quantum antistibus aut nobilibus aut cæteris viris honestis condere

condere eius in pennariâ suâ in vsum domesticum liberet: nec coquere etiam toto in agro cereuisiam distrahendi causa, cuiquam extra vrbem permissum: sed qui vellet, coqueret tantum, quantum satis esset familiæ suæ: veniret autem solùm ea quæ à ciuibus in vrbe cocta. *Postremò*, sub exitum fœderis vtri parti conditio eius displiceret, nec liberet eâ vti diutiùs, toto anno ante exitum eius renunciaret eidem solenniter. *Hoc fœdus quamdiu stetit & cultum sine vitio est, florentissimæ res Vrbis & Agri fuêre, adeò vt inuidiam meruisse ex fortunâ videantur. Tum structa in vrbe est turris illa maximi operis & impendij, vastæ molis & formæ superbæ ex saxo Benthemio, templo Martiniano adsidens; tum ædificatum magnificum œnopolium in fori medio; tum ædes priuatæ complures sumptu ingenti erectæ; negotiationes etiam auctæ plurimùm, & opes publicæ priuatæq; multiplicatæ: deniq; hoc fortunæ riuo elata ciuitas, vt commeatuum haberet copiam liberiorem & ampliorem, re cum Episcopo Monasteriensi, Emdensium rebus inimico, comparatâ, Amasi alueum aliò diuertere, vt & in Dullarti sinus superiora, quâ ipsa imperium habet, deriuare est conata, quanquam conatu frustraneo, & oleo operaq; in eo perditâ: postremò trans Lauicam fidentiùs tentare res, & imperium proferre ausa fiat. De quo nunc dicere, & coniunctionem ciuitatis cum Translauicanis paulò altiùs repetere, vt res clariùs elucescat, ordo & tempus monent.*

DE

DE CONIVNCTIONE CIVIVITATIS CVM TRANSLAVICANIS.

Fœdus cum Octopagicis.



N *Transłauicanis Octopagici, Cislauicanis finitimi, primi post Sciringios à Kenone Groningâ eiectos, commodo societatis cum ciuitate animaduerso, ijsdem conditionibus, quibus Hummerzij, Langowoldij, Fredowoldij in commune fœdus asscripti, eidem quoq; se potestati prætoriæ subiecêre, & eadem, quæ indè profluunt commoda ciuitati tribuerunt, cùm annus flueret à nato Christo 1416. tempusq; fœderi dederunt decennium.*

Idem fœdus ampliatum.

Deinde finito decennio, cùm vtilitatem rei essent experti, metuerentq; priora mala ἐφόρεις demptis, fœdus idem indefinitè, nullo statuto termino prorogarunt, additis etiam ad priores socios Hunesgonijs & Fiuelgonijs, sed conuentuum loco Adoardiæ constituto. Hinc

Fœdus cum Collumanis.

post annos 18. anno scilicet 1444. Ostbroecsterani, Collumani, Suachij, Oldwoldij, Gastij pacti cum ciuitate Groninganâ sunt in hanc sententiam: Si iudices ipforum in coërcendis maleficiis officium non facerent, ius effet fenatui vrbano, & Houetmannis, mandare ijs, vt facerent: Si ne tum quidem moueri fe finerent, citarentur ab ijfdem GRONINGAM, ad conuentum iuridicum: & caufa cognita, fi ceffaffe in officio depre-

deprehenderentur; mulctam grauem poscerentur, & soluendam eam compellerentur. *Nec multis interiectis diebus omnes Ostergoi, vt se domesticis turbis ac dissensionibus perpetuis liberarent, cùm frustra id prius pactionib⁹ inter se, & cũ VVestergois vicinis quæsissent propter factionum pertinaciam sæpè pacta perrumpentem, ad huius eiusdem ciuitatis Groninganæ societatem confugerunt*, conuentumque iuridicum ad cognoscendas controuersias maiores, de quibus prouocatum ab 18. viris iudicibus superioribus, curandaque negotia Reip. agendum semel quotannis Groningæ collocarunt. Ad hæc statuerunt, vt in arbitriis rerum criminalium, si arbitri conuenire non possent, senatus Groninganus summus arbiter fieret; atque interim reus obsides soluendi iudicati eidem daret: vt item nobilis vir nobilem occidens, luendæ pœnæ 400. marcarum veterum intra annum vertentem obsides Groningæ deponeret, atque insuper Groninganæ Reip. marcas similes 20. totidemque singulis Ostergoæ partibus pro mulctâ penderet: eo facto, extra periculum esset: si non daret obsides, atque interea aliquid à propinquis occisi pateretur, id autoribus esset impune. Denique sic recepêre Ostergoi, operam daturos se coniunctis studiis, vt Westergoi quoque eidẽ fœderi ijsdem conditionibus accederent. Hoc fœdus valeret quadriennium.

Fœdus cum omnibus Ostergois *quadrienne.*

Sed

Sed prorogatum durauit diutiùs ad aduentum vſq; Thomæ Guriſtedij legati Cæſaris, qui in Friſiam venit anno 1456. & , ni me animus fallit, etiam vlteriùs. Nam eo tempore quæſita apud Imperatorem antiquatio eius eſt à VVeſtergois & Sciringijs: at antiquatum eſſe nominatim in diplomatis tunc impetratis non inuenio. Similiter verò & Smalingani anno, qui proximè pactionem hanc Oſtergoorum ſecutus fuit, aliquid huius generis cum iiſdem oppidanis, & eorum ſociis vicinis pepigêre. Imprimis hic cautum, vt iudiciales conuentus agerentur quotannis indicente ſenatu Groningano: & ſi ſocij hi noui ſuo in agro conuentum haberi cuperent, vt hoc ſenatui ſignificarent: is porrò edicto ſuo ſocios conuocaret. *Anno deinceps 1461. Vpſterani, qui etiam ſunt ad Occidentem Lauicæ amnis, eandem ſecuti cauſam, vt diſſenſionibus inteſtinis & periculis ſe eximerent, ad idem quoq; remedium rurſum conuolarunt. Nam inſtauratâ memoriâ & vi veteris fœderis, nouum multis capitibus auctum cum ſenatu populoq; Groningano percuſſerunt in perpetuum. In eo hæc ſunt:* Houetmanni Groningani, adhibitis in conſilium tribus aut quatuor Vpſteranis hominibus honeſtis, prætorem toti agro creanto quotannis die tranſlationis S. Martini, & ſimiliter iudices binos in parochiis maioribus, ſingulos in minoribus ex ordine eorum omnes, qui propria prædia in agro Vpſterano poſſident: hi ius omnibus æqualiter dicunto

Fœdus cum Smalinganis.

Fœdus cum Vpſteranis.

ex

ex legibus patriis Si in eo negligent, aut facere non volent officium suum, Houetmanni Groningani compellantor, ijque sub pœnâ primùm scutatorum 10. deinde 20. postremò contumaciæ mandanto, vt ius petentibus expediant: mulctaque huiusmodi ex semisse ciuitatis, reliquum Reip. Vpsteranæ esto. Electus prætor aut iudex munus annuum non recusato, aut 10. scutatos Reip. pendito Prætor iudicesque sententiam à se latam petentibus scriptam exhibento. Ab hac appellandi ius esto, si quis volet, ad Houetmannos Groninganos intra diem decimum. Quo ritè facto, prior iudex non procedito longiùs: causa refertor ad conuentum iuredicialem proximum in vrbe. Appellans verò si non persequetur litem in proximo, aut saltem altero conuentu, non solùm lite cadito, sed etiam marcas quinque mulctam soluito; nisi fortè iudex, qui sententiam tulit, ad conuentum ipse non veniat: hoc enim appellantem à pœnâ absoluet, iudex verò emansitans pœnam pendito. Idem iudex & appellans quinas marcas deponunto apud conuentum, amittitoque depositum, qui succumbet, victor recipito. *Signatum fœdus feriâ quartâ à Pentecostes anno 1461. Sexennio post Collumani quoq; eorumq; vicini seditionibus agitati diu, ac miserè afflicti, nec aliud remedium vllum conspicati, multis & exqui-*

Fœdus aliud cum Collumanis.

exquifitis precibus fatigarunt Groninganos, vt fe in fœdus reciperent. Affenfu impetrato, fœdus initum in annos 30. Eius hac fuit fententia: Ciuitas & Collumani, cæterique inter fe comparent de domo validâ & idoneâ, in quâ, velut in arce, fedem habeat præfectus à ciuitate dandus in annos proximos 6. In huius præfecti ftipendium quotannis pecunia conferatur viritim per totum agrum, ab aliis fcutatus aureus, ab aliis femiffis, penfionibus duabus: Ipfe auxilio fit omnibus contra vim ac iniuriam: valla, foffas, cætera munitionum pofcente præfecto populus perficiat: poft fexennium ciuitas & focij difpiciant, præfidione diutiùs fit opus, & quod videbitur ijs, id valeat: criminum iudicia exerceantur ex legibus proximo fæculo Groningæ recognitis: nemo factionibus tumultibusúe aliis etiam extra regionem fe mifceat, aut fuos mifcere fe finat: contra vim armatam focij fibi mutuò auxilio fint: Turbatæ pacis grauis mulcta fit aureorum fcutatorum mille, aut pœna capitis, fi quis mulctam foluere non queat: vis omnis abfit, non armis fed iudicio controuerfiæ difceptentur, facinora feuerè reprimantur: æris alieni folutio expediatur: in controuerfiis ciuilibus appellatio fit ad iudices vrbanos, quemadmodum receptum apud alios, qui cum ciuitate fœdus habent: qui in legationem ad fenatum non confen-

consensêre per agrum Collumanum & vicinum, in quibus ij, qui sunt priùs nominati, fœdere hoc non sint comprehensi: fœdus valeat in annos 30. *Signatum anno 1467. postridiè Nonarum Septembr. Præfecti duo, quod id expedire in initio videretur, in agrum Collumanum missi, Hillebrandus Brandus, & Sibrandus Vlferdi. Ita quies ibi parta: anno postero domus præfecto structa. Post hæc, cùm dissidia & turbæ crebrescerent rursus in Ostergoâ, flammaq; eâ VVestergoa quoq; afflaretur, scintillaretq; passim odium factionum, & cum ciuitate Groninganâ multorum simultas ex inuidiâ & metu gliſceret, ne quid indè maioris existeret mali, tandem anno 1477. prudentum & bonorum studio, omnis VVestergoa & Ostergoa in fœdus decenne cum ciuitate Groninganâ consensit. Cuius hæc summa:* Id quod anno 1422. à totâ gente Frisicâ Groningæ initum fœdus fuit, ratum sit, saluo nupero fœdere Collumano: Groninganis non liceat hoc decennio vllam præterea Ostergoæ aut Westergoæ partem fœdere huiusmodi implicare, aut prætoriæ potestati suæ subijcere: Conuentus quotannis agatur alternis vicibus Groningæ & Leoardiæ, ad quem quini ab vtraque parte homines sapientes mittantur: his 10. vndecimus adijciatur, quem ex Ostergoâ aut Westergoâ quini Grogani eligent, cùm conuentus agetur Leoardiæ: quini verò Transsauicani, ex oppido aut

Fœdus cum Ostergois & VVestergois.

agro Groningano cùm conuentus ille Groningæ habebitur. Horum arbitrij ſit cauſas omnes publicas & priuatas, quæ in controuerſiam venient, cognoſcere, diſceptare, definire: quicquid definiuerint, ab omnibus ratum habeatur: intraque præfixum tempus executioni mandetur ab ijs apud quos ſedes tenet condemnatus, aut ab ipſis illis mulcta petatur: contumaces, ſi qui erunt, coniunctis viribus ad parendum compellantur. Eorundem delectorum poteſtatis quoque ſit, ſi id ex vſu Reip. eſſe putabunt, alterum conuentus diem in Smallingeræo cœnobio dicere. Ad eum ituris, domumque redituris tutus commeatus præſtetur: Quod ſi finito decennio non placuerit hæc pacta prorogare, aut noua alia inire, fœdera tamen ſuperiora & pax nihilominus rata ſeruentur. *Anno ab hoc altero, qui fuit 1479. Arnoldus Loïs, quem dixi, ab Imperatore legatus in Friſiam venit cum amplâ poteſtate, & re infectâ ob quam venerat, diſceſſurus Groninganos ſibi ſubſtituit, procurandamq; regionem inter Lauicam & Fleuum ipſis commendauit: ſimul promiſit, ſi ad hanc rem ampliore mandato & literis à Cæſare ſe opus habere putarent, iſta ſeſe confecturum, tranſmiſſurumq; quamprimùm, idq; ſine ſollicitatione ac monito ipſorum, ſponte & ſtudio ſuo: iuſsitq; pro eâ, quam habebat poteſtate, vt delegatum munus & curam ſeriò & cum fide in ſe reciperent & gererent.*

Arnoldi Loï acta in *Friſiâ.*

Atq;

Atq; ita ad alia pro Cæsare expediunda, ab his Viennam in aulam abijt. Illic, ex sententiâ confecto negotio, reuersus cum collegâ Steinbergio in Frisiam anno 1481 inchoante, ardebat quippe negotij studio) diploma secum tulit amplissimum in commodum ac honorem ciuitatis, & cum hoc fidei & mandati literas ad senatum, aliasq; item ad omnes Transtauicanæ regionis Ordines. In diplomate sic scriptum fuit: Ostergoam Westergoamque, & quæ cum his cohærent trans Lauicam fl. sine controuersiâ Imperatoris ac Imperij esse: & has, propterea quod procul dissitæ à sede Imperatoris sint, nec ab eo absente curari benè possint, tumultibus atque aliis factionum malis perpetuò premi atterique, idcirco Imperatorem non precibus cuiusquam, non vllâ aliâ re, sed solo ipsarum regionum commodo permotum, sponte suâ, re benè consideratâ Consulibus senatuique Groningano optimè de Repub. communi meritis, & viciniâ ipsâ ad rem oportunis gubernandas eas tradere, munusque illud, quod POTESTATEM vocant, perpetuum tribuere cum omnibus, quę muneri cohærent: & velle, vt hoc ipsum decretum suum sit constans & irreuocabile etiã apud posteros: mandare verò, vt senatus commissas hasce regiones cum fide tueatur, regat, pacatas seruet: adhæc iubere quoque, VT QVI IN CONSVLATV AVT SENATV IAM SVNT,

Diploma *Cæsaris, quo Ostergoæ & VVestergoæ gubernatio Groninganis committitur.*

NOTA.

„ QVIVE POST IN EVM LEGITIME LEGENTVR, IN EQVESTRI ORDINE OMNES CENSEANTVR: pecuniæ quoque aureæ argenteæque feriundæ ius & poteſtatem ſenatui eidem facere: Pro his poſcere viciſſim, ex aſſignatâ hac prouinciâ vt 10. millia aureorum Rhenenſium tributum quotannis ſibi pendant: In hunc finem Ioannem Steinbergium & Arnoldum Loüm iureconſultos legatos in Friſiam iam mittere, qui cingulo Equeſtri Conſules & ſenatores pro more induant, ac reliquis eius ordinis inſignibus ornent, ornatoſque ſtatim in poſſeſſionem poteſtatis iſtius in regionibus Tranſlauicanæ Friſiæ immittant, omneſque earum regionum ordines iubeant, ſenatui huic velut Imperatoris legato perpetuo, iuſta ac legitima edicenti, ſtatutaque promulganti parere, non ſecus ac ſi ipſe ea ediceret & promulgaret Imperator. Pœnaque contumacibus & huic decreto obſiſtentibus denunciata. *Signatum diploma anno 1480. die 12. Kalend. Decemb. In edicto ad ordines in his regionibus, præter oppida Doccumum, Leoardiam, Franekeram, Bolſuerdiam, Snecam, VVorcumum, longus virorum præcipuæ nobilitatis catalogus nominatim eſt expreſſus*, mandatumque omnibus, vti ſenatui Groningano munus illud pro Imperatore gerenti parerent, eiuſque edictis & ſtatutis obſequerentur, grauibus

Edictum Cæſaris diplomati conforme.

uibus propositis pœnis secùs facientibus. *Id scriptum quatriduò pòst, ad diem 8. Kalend. Decemb. Et hæc quidem monstrata senatui à legatis modò nominatis, legendiq; copia facta. Sed quod pecuniam in loco negligere senatus nesciret, qui Cæsarem nimis carè æstimare honorem & potestatem putaret, nec existimaret, tantum se pecuniæ ex censu regionum conficere posse, crederetq; summam in re difficultatem fore, nil horum est effectum. Quamobrem literæ fidei quidem ad senatum scriptæ à Cæsare in archiuis Reip. huius manserunt: sed diplomata cum edicto in aulam sunt à legatis relata; vbi etiam nunc inter publica Imperij acta & monumenta seruantur. Loüs de Cislauicanis expediundum negotium in se denuò recepit, atq; ita Frisiâ cum collegâ excessit. Eaq; vltima eius in rebus Frisicis mentio. Senatûs abiectus hac in re animus variè acceptus à posteris, velut haud scitè oportuneq; vsus aulâ pecuniæ egenâ & cupidâ.* **Groningani offerentem se fortunam negligunt.**

Anno deinde 1482. qui Loï discessum proximè secutus est, Octobri mense VVestergoi frequentes seditionum ac bellorum ciuilium formidine in hanc sententiam cum Groninganis pepigêre: Ne Westergoi impedirent eos, si qui sponte suâ, sine vi in Ostergoâ vellent se fœdere iungere cum Groninganis, nec eorum se rebus miscerent: Groningani contra nullos inuitos sub fœdus suum traherent, aut rebus nouis illic studerent: Westergoæ etiam rebus abstinerent: ordinibus his sociis iniurij non essent: pax coleretur **Pacta cum VVestergoâ.** **NOTA.**

,, integra & perpetua. *Sed vt vnda maris sine fluctu,*
,, *ita populus exlex & ἄναρχος sine motu & turbis es-*
,, *se non potest. Itaq; tumultus minores in Ostergoá pri-*
mùm, deinde maiores in VVestergoá omnia rursum miscuerunt. Inter quos Smalingani, vt quietos se ac tutos sisterent, anno 1487. fœdus suum, quod cum ciuitate Groninganá habebant, ampliatum auctumq; renouarunt. Imprimis addidêre iam de prætore ac iudicibus arbitrio Groningensium eligendis quotannis, deque compellendis ijsdem ad faciendum officium per Houetmannos, & de prætorio Houetmannorum imperio in eum agrum: de arce, si res posceret, illic extruendâ, & præfecto Groningano ei imponendo, de ferendis mutuò auxiliis contra contumaces, & domesticos peregrinosque hostes, ex Vpsterano fœdere ad verbum descripta. *Quadriennio pòst, anno nimirum 1491. cum Reip. mala crebescerent, & validiora indies fierent, nil penè cuiquam tuti esset factionum exitialium causa, tandem Doccumani cum Dongeranis, & maximá Ostergoæ parte supplices facti Groninganis sunt, & humillimis, æquè ac pertinacißimis precibus vix demum ab ijs impetrarunt, vt fœdus secum percuterent. Id percussum est in annos 18. signatumq; die 15. Kalend. Octobr. Perscriptum in eo* de pace tenendâ, de maleficiis seuerè puniendis, de auxiliis mutuò ferendis, ad hæc, cæteris iudicibus in officio cessantibus Groninganis vt liceret criminis reum dela-

Fœdus Smalinganum ampliatum.

Fœdus Ostergoũ omnium maximè initum.

delatum abducere ad pœnam: cui rei si quis vellet impedimento esse, centum scutatos numos Reip. penderet: vt si pax dissidentibus indicenda esset proposita pœna maiore 50. scutatis; indiceretur à Groninganis, pœnaque in eorum vsum cederet: vt à iudicibus Ostergois appellatio esset ad ciuitatem Groninganam intra diem decimum, deque appellatione cognitio ac iudicium esset conuentus publici omnium sociorum in vrbe Groninga: conuentus huiusmodi bis quotannis ibidem agerentur, ijsque assiderent aut præsiderent Houetmanni oppidani; & hi, licet reliqui, qui adesse debebant, non adessent omnes, tamen cum iis qui adessent, iudicia exercerent: reorum mulctas & contumaciæ pœnas more suo per prætorias literas Groninganis exigere ab Ostergois liceret: cædium mulctas dimidias ciuitas haberet, per mandata prætoria exactas sola in ærarium suum verteret: denique Houetmannis Groninganis ius esset iudices Ostergoos cessantes in officio, ad faciendum officium compellere. *Subscripsere fœderi, primùm senatus populusq́; Doccumanus, antistites cœnobiorum sex, & magnus nobilium virorum numerus, præter vicos & vicanos plurimos, dein plures se paulatim associarunt, demùm vniuersa Ostergoa, exceptis, quos factionum studium in diuersa agebat, est ascripta: vnde fœdus Ostergoum*

 vulgo

Fœdus Leoardium.

vulgo nuncupatum fuit. Anno postero 1492. cùm tumultus huius fœderis gratiâ extitissent, autore potissimùm & concitatore Tiardo Moccaniâ, totaq; Sciringiorum factio in VVestergoâ se commoueret, Leoardij à vi factionis sibi metuentes, vt se magis magisq; firmarent, speciali se fœdere & arctiore cum Groninganis iunxerunt. Hoc fœdere promisêre Senior, Scabini, Senatus reliquus & 13. viri totius populi nomine, fideles se socios Groningensium futuros in annos 24. ex formulâ fœderis Doccumani, eiusque fœderis conditiones omnes seruaturos: præterea permissuros, vt lites ciuium suorum cum ciuibus, de quibus appellare superiores iudices placet, à Senatu Groningano, temporibus in fœdere Doccumano expressis, recognoscentur: cæteræ lites aut cum peregrinis, aut peregrinorum cum ijsdem peregrinis, id est, iis qui Leoardiæ domicilium non habent, ab Houetmannis Groningensibus, & conuentu iuridico sociorum, vt est in eodem fœdere Doccumano, definiantur. *Dein additum*, vt Groningani præfectum dent Leoardianis, qui vel in oppido, vel in eius viciniâ commodo loco sedem habeat; isque scabini aut senioris locum teneat in senatu oppidano eâque potestate sit, quâ ipse, si adsit, senatus Groninganus, cuius vicem geret: eidemque præfecto Leoardiani stipendium soluant decennio proximo

Nota.

aureos

aureos Rhenanos centenos annuos: interea ſocij rationem ineant aliam ſtipendij eiuſdem conficiendi, quæ duret ad fœderis vſque finem, ſintque Leoardiani ab onere illo centenorum aureorum deinceps liberi. Præfectum hunc ſi quis auſu temerario occidat, prehenſus capite pœnas viciſſim pendat, fugâ elapſus omnibus bonis mobilibus & immobilibus exuatur, eaque ad arbitrium ſenatus in fiſcum redigantur Groningenſium: cædem verò eam ſi ſatelles aut miniſter iuſſu alterius patret, & ipſe & qui iuſſit, eâdem teneantur noxâ, idemque ſupplicium pendant: At ſi vulnere eundem quis læſerit, pœnam vulnerati hominis nobilis duplam ſoluat. Cætera ſunt de obſidibus ſex arbitrio Groningenſium legendis, & in cuſtodia habendis, ſicubi contingat fœderis huius obſeruationẽ Leoardienſium vitio claudicare. *Signatum celebratumq́; Leoardia die 6. Iduum Octobr. Eodemq́; tempore magno numero viri nobiles primarum familiarum, qui hactenus fœderi Oſtergoo ſe oppoſuerant tam VVeſtergoi quàm Oſtergoi, itemq́; oppida Franekera & VVorcumum, cum cohærentibus præfecturis, cùm audiſſent Groninganos iam Leoardiam ingreſſos, Leoardiosq́; fœderis feriundi cum his perauidos eſſe, ipſi quoq; re benè deliberatâ, dimiſſo armorum conſilio, cum Groninganis pepigere in hunc modum:* Nefas eſſet ipſis, turbare Groningenſes, & fœdus

Fœdus aliud cũ multis Oſtergois & VVeſtergois.

cum ijs iam habentes, aut impofterum habituros: nec contra Groninganis liceret mifcere de rebus illorum, aut illos illorumque fubditos, aut regiones illis inuitis fub fœdus fuum trahere: quod fi compertum fuerit eorum aliquem in Groninganos, aut horum focios aliquid deliquiffe, de eo ad arbitrium quatuor virorum, duorum è Senatu Groningano, duorum ex ipfis datorum fatisfaciat. *Nec multos poft dies Snecani, Slotenfes, Ilftani, cateriq; horum focij factionis Sciringia, fœderis hoftes, infigni clade ad Barrabufium à fœderatis correpti, cum Beccone Haringao, factionis principe, ad arbitrium victorum conditiones accepêre.* Iurarunt, fœderi Oftergoo non fe femet oppofituros, nec impedimento iis futuros, fi qui deinceps aut Oftergoi aut Weftergoi accedere eidem vellent: nullum ius imperiumúe in vniuerfam Oftergoam, aut vllam eius partem fibi arrogaturos, ablata reddituros, exules in integrum reftituros, controuerfa cum Galamæis arbitrio Groningenfium fubmiffuros: Groningenfes in perfequendis iniuriis contra Weftergoos hac pactione non comprehenfos non impedituros: è fociis in has leges peccanti nemini patrocinaturos: detrimenta, impendia, moleftias belli Groninganis & Oftergois 17. millibus aureorum Rhenenfium & quingentis fpatio 9. menfium ternis penfionibus

Pacta cum Sciringiis.

nibus sarturos. *Deniq; alia obliganda fidei vincula grauia & aspera adiuncta: quæ in Historiâ expono. Tùm consternatis totius factionis aduersæ animis, quotquot eius in Ostergoâ supererant viri nobiles, quos hactenus pertinacia non siuerat accedere, eidem fœderi Ostergoo accesserunt. In hoc rerum statu, cùm omnia ad ampliandos fœderis huiusce fines spectare viderentur, venit in Frisiam legatus Cæsaris Friderici* OTTO LANGIVS *canonicus Moguntinus, vt Frisiorum dissidia componeret. Cuius aduentu respirantes Sciringij; (horum enim precibus data legati missio erat) animos rursum extulêre, turbasq; dedêre fœderatis. Nec multò pòst è vitâ decessit Fridericus* III. *Imperator, ad quem reuerterat legatus, cætera ad pacandam Frisiam, vti ferebat, procuraturus. Idem verò anno sequente, nomine Maximiliani Regis, qui patri successerat, in Frisiam rediit, mandata secum ferens de Ephoro in Frisiâ, quem* POTESTATEM *dicere mos erat, designando, & simul diploma de libertate gentis. Sed & ciuitas Groningana, quæ suos quoq; homines vnà cum socijs legauerat ad eundem Regem, amplissimum diploma ab eo impetrauit, quo fœdus Ostergoum vtraq; petente parte solenniter confirmatum fuit, præsentibus in aulâ, & nequicquam contra nitentibus Sciringijs. Id diploma Campodani die 23. Maij: eoq; comprehensi quoq; illi, qui post percussum fœdus primùm eidem deinde accesserant. At literæ Regis Camstræo datæ, viro nobili, in aulâ noto, Regiq; grato, dissensionem peperêre:*

An. 1493. Otto Langius legatus *Cæsaris in Frisiâ.*

Diploma Maximiliani Campodunense, confirmans fœdus Ostergoum.


dissen-

Fœdus nouum cum VVestergois, Ostergoo fœdus simile.

dissensio tumultus dedit: per eos istuc deducta res, vt Bolsuerdia, VVorcumum, Stauera, Hindelopa, & maxima nobilitatis VVestergoæ, maxima item plebis rusticæ pars fœdus nouum cum Groninganis, fœderi Ostergoæ simillimum, percusserint, deniq; paulò pòst tota penè VVestergoa, excepta FRANEKERA *cum coniuratis viris nobilibus, in Groningensium ac sociorum potestatem venerit: quod factum anno Christi 1496.*

DE FOEDERIBVS PACTISQVE PER SAXONES TVRBATIS.

An. 1496.



Oc tempore Maximilianus Rex cum Alberto Saxoniæ Duce comparat de Frisiâ subigendâ: Albertus velut Sciringijs auxilio futurus militem in Frisiam mittit: Ei mox alium, dißimulato nomine & consilio suo, submittit Vetcoperorum stipendia facturum, vt regionem attererent, & eneruem redderent. Tum cùm maturum videretur, feßis penè omnibus diploma in Frisiam missum, quo Frisiæ gubernatio Alberto Saxoni sub Potestatis titulo à Maximiliano, & Ordinibus Imperij assignabatur, eaque iubebatur esse perpetua, transitura in hæredes. Additum tamen, vt belli impendiis refusis, & certâ pecuniæ summâ solutâ à Philippo Burgundo Maxi-

Maximiliani Regis & Alberti Saxonis consilia.

Diploma Alberto Saxoni datum.

Maximiliani filio, gubernatio tota & omne in Frisiam ius ad eundem transiret. *Albertus per suos, quos præmiserat, oppreßis omnibus Translauicanis, atq; à fœdere Groningano vi & aperto bello auersis, inq; fidem suam adactis, Groningam quoq; & agrum vicinum tentauit. Nam hos quoq; ad imperium sibi commissum pertinere ferebat, habebatq; pro se interpretem controuersiæ Maximilianum. Verùm cùm res per interceßiones & colloquia non procederet, ipse ob filij casum, quem Translauicani Franekeræ obsederant, secundò in Frisiam veniens, liberato filio, & rebus Translauicanis pro tempore constitutis, exercitum cis Lauicam adduxit, nulloq; negotio agrum in suam potestatem & fidem redegit. Sed in obsidendâ vrbe dum hæret, intercedente rursum Georgio Thorenio Equestris dignitatis viro nobili ad hoc à Rrincipibus Germaniæ misso, & cum eo Friderico Badensi Episcopo Vltraiectino, colloquium denuò coÿt, anno 1500. mense Augusto: in quo colloquio res tandem composito, & bellum diremptum. Conditionum præcipuæ fuêre,* vt controuersiæ inter Albertum & ciuitatem, de potestate prætoriâ in agrum vicinum cum Houetmannis, de imperio & Præfecturam veterem, de iure stapulæ rerum ἐπιχωρίων, de vsu solius cereuisiæ Groninganæ in tabernis ac diuersoriis per agrum, de nõ coquendâ cereuisiâ quæstus causâ in agro, & quæ alia pactis & fœderibus nitebantur, aut more inolita erant, quæ omnia sibi dimitti

Albertus Groningam obsidet.

Compositione diremptũ bellũ inter Albertum & ciuitatẽ Groningã.

posce-

pofcebat Albertus, Cameræ Imperij iudicio definienda permitterentur: interea *Thorenius* nomine Reip. Germaniæ fequefter rebus illic præeffet, agrarios ordines eâ fide quâ ciuitati obligati erant, folutos, in fidem fuam adigeret, ius æqualiter ex more & legibus regionis aut ipfe diceret, aut dici curaret, vfque dum Camera litem definiret, eo facto, ei omnia fingulaúe rurfum traderet, cui Camera addixiffet: partes quoque iurarent, iudicio Cameræ fe obfequuturos: Tantifper verò Groningani manerent in poffeffione iuris ftapulæ, nundinarum, eius quod ad cereuifiam pertinet, & fimilium aliorum, eo modo, quo fuerat ante litem hanc à Saxone illatam ab vltimâ vfque hominum memoriâ: nec liceret butyrum, cafeos, equos, boues, vaccas, cæteraque id genus mercimonia alibi quàm Groningæ in ftapulæ loco more folito venundare, venumúe proponere, vel in regiones alias prætéritâ Groningâ exportare aut abigere: Excepta modò effent, quæ huius generis viris nobilibus in prædiis ipforum prouenirent, quibus ius effet pro libitu & commodo fuo ea deuidere: idemque valeret de Dammonenfibus. Exempta quoque ftapulæ legi maneret Præfectura vetus, vtereturque iure ac libertate priftinâ, emeret, venderet, cereuifiam coqueret pro libitu, vti folebat, quoad
durarer

duraret hæc sequestris ratio: Groningani etiam in exigendâ pecuniâ creditâ & rediti-bus aliis per agrum retinerent ius & morem solitum, modò vt iudex in eo tribunali in vrbe esset ipse Thorenius, aut legatus eius, aliusúe pro eo sequester ab Ordinibus Imperij datus. *Atq; hæc probata signataq; ab vtrâq; parte, & sigillis quoq; duorum intercessorum ad fidem munita: deniq; pax constituta. Nec multò pòst Albertus iam tum corpore ægro Emdam delatus, atq; ibi vitâ functus est. Thorenius verò intempestiuè Frisiâ euocatus ab Henrico Alberti filio, malis adhuc haud benè positis, quæ in Repub. sociorum hærebant, (erant enim nobilitatis agrariæ animi in ciuitatem, & huius vicißim in illam ex iniurijs mutuis exacerbati) quibus ipsum se interponere, remediumq; adhibere conueniebat, cùm diutiùs etiam quàm par esset emansitaret, occasioni fuit, vt anno proximo in arma rursum sit itum, transactioq; neglecta penè euanuerit.*

Albertũ Saxonis

Bellum inter Saxones & Groninganes renatum.

DE

,, QVIVE POST IN EVM LEGITI-
,, ME LEGENTVR, IN EQVESTRI
,, ORDINE OMNES CENSEANTVR:
,, pecuniæ quoque aureæ argenteæque feriun-
,, dæ ius & poteſtatem ſenatui eidem facere: Pro
,, his poſcere viciſſim, ex aſſignatâ hac prouin-
,, ciâ vt 10. millia aureorum Rhenenſium tribu-
,, tum quotannis ſibi pendant: In hunc finem
,, Ioannem Steinbergium & Arnoldum Loüm
,, iureconſultos legatos in Friſiam iam mittere,
,, qui cingulo Equeſtri Conſules & ſenatores
,, pro more induant, ac reliquis eius ordinis in-
,, ſignibus ornent, ornatoſque ſtatim in poſſeſ-
,, ſionem poteſtatis iſtius in regionibus Tranſ-
,, lauicanæ Friſiæ immittant, omneſque earum
,, regionum ordines iubeant, ſenatui huic velut
,, Imperatoris legato perpetuo, iuſta ac legitima
,, edicenti, ſtatutaque promulganti parere, non
,, ſecus ac ſi ipſe ea ediceret & promulgaret Im-
,, perator. Pœnaque contumacibus & huic de-
,, creto obſiſtentibus denunciata. *Signatum di-*
ploma anno 1480. die 12. Kalend. Decemb. In edicto ad ordines in his regionibus, præter oppida Doccumum, Leoardiam, Franekeram, Bolſuerdiam, Snecam, VVorcumum, longus virorum præcipuæ nobilitatis catalogus nominatim eſt expreſſus, mandatumque omnibus, vti ſenatui Groningano munus illud pro Imperatore gerenti parerent, eiuſque edictis & ſtatutis obſequerentur, gra-

Edictum Cæſaris diplomati conforme.

uibus

uibus propositis pœnis secùs facientibus. *Id scriptum quatriduò pòst, ad diem 8. Kalend. Decemb. Et hæc quidem monstrata senatui à legatis modò nominatis, legendiq; copia facta. Sed quod pecuniam in loco negligere senatus nesciret, qui Cæsarem nimis carè æstimare honorem & potestatem putaret, nec existimaret, tantum se pecuniæ ex censu regionum conficere posse, crederetq; summam in re difficultatem fore, nil horum est effectum. Quamobrem literæ fidei quidem ad senatum scriptæ à Cæsare in archiuis Reip. huius manserunt: sed diplomata cum edicto in aulam sunt à legatis relata; vbi etiam nunc inter publica Imperij acta & monumenta seruantur. Loïs de Cislauicanis expediundum negotium in se denuò recepit, atq; ita Frisiâ cum collegâ excessit. Eaq; vltima eius in rebus Frisicis mentio. Senatûs abiectus hac in re animus variè acceptus à posteris, velut haud scitè oportuneq; vsus aulâ pecuniæ egenâ & cupidâ. Anno deinde 1482. qui Loï discessum proximè secutus est, Octobri mense VVestergoi frequentes seditionum ac bellorum ciuilium formidine in hanc sententiam cum Groninganis pepigêre:* Ne Westergoi impedirent eos, si qui sponte suâ, sine vi in Ostergoâ vellent se fœdere iungere cum Groninganis, nec eorum se rebus miscerent: Groningani contra nullos inuitos sub fœdus suum traherent, aut rebus nouis illic studerent: Westergoæ etiam rebus abstinerent: ordinibus his sociis iniurij non essent: pax coleretur

Groningani offerentem se fortunam negligunt.

Pacta cum VVestergoâ.

Nota.

„ integra & perpetua. *Sed vt vndu maris fine flucta,*
„ *ita populus exlex & ἄναρχος fine motu & turbis ef-*
„ *fe non poteft. Itaq; tumultus minores in Oftergoá primùm, deinde maiores in VVeftergoá omnia rurfum mifcuerunt. Inter quos Smalingani, vt quietos fe ac tutos fifterent, anno 1487. fœdus fuum, quod cum ciuitate Groninganá habebant, ampliatum auctumq; renouarunt. Imprimis addidêre iam* de prætore ac iudicibus arbitrio Groningenfium eligendis quotannis, deque compellendis ijfdem ad faciendum officium per Houetmannos, & de prætorio Houetmannorum imperio in eum agrum: de arce, fi res pofceret, illic extruendâ, & præfecto Groningano ei imponendo, de ferendis mutuò auxiliis contra contumaces, & domefticos peregrinofque hoftes, ex Vpfterano fœdere ad verbum defcripta. *Quadriennio pòft, anno nimirum 1491. cum Reip. mala crebrefcerent, & validiora indies fierent, nil penè cuiquam tuti effet factionum exitialium caufa, tandem Doccumani cum Dongeranis, & maximâ Oftergoa parte fupplices facti Groninganis funt, & humillimis, æquè ac pertinaciffimis precibus vix demum ab ijs impetrarunt, vt fœdus fecum percuterent. Id percuffum eft in annos 18. fignatumq; die 15. Kalend. Octobr. Perfcriptum in eo* de pace tenendâ, de maleficiis feuerè puniendis, de auxiliis mutuò ferendis; adhæc, cæteris iudicibus in officio ceffantibus Groninganis vt liceret criminis reum

Fœdus Smalinganum ampliatum.

Fœdus Oftergoũ omnium maximè initum.

dela-

delatum abducere ad pœnam: cui rei ſi quis vellet impedimento eſſe, centum ſcutatos numos Reip. penderet: vt ſi pax diſſidentibus indicenda eſſet propoſita pœna maiore 50. ſcutatis; indiceretur à Groninganis, pœnaque in eorum vſum cederet: vt à iudicibus Oſtergois appellatio eſſet ad ciuitatem Groninganam intra diem decimum, deque appellatione cognitio ac iudicium eſſet conuentus publici omnium ſociorum in vrbe Groninga: conuentus huiuſmodi bis quotannis ibidem agerentur, ijsque aſſiderent aut præſiderent Houetmanni oppidani; & hi, licet reliqui, qui adeſſe debebant, non adeſſent omnes, tamen cum iis qui adeſſent, iudicia exercerent: reorum mulctas & contumaciæ pœnas more ſuo per prætorias literas Groninganis exigere ab Oſtergois liceret: cædium mulctas dimidias ciuitas haberet, per mandata prætoria exactas ſola in ærarium ſuum verteret: denique Houetmannis Groninganis ius eſſet iudices Oſtergoos ceſſantes in officio, ad faciendum officium compellere. *Subſcripſere fœderi, primùm ſenatus populusq; Doccumanus, antiſtites cœnobiorum ſex, & magnus nobilium virorum numerus, præter vicos & vicanos plurimos; dein plures ſe paulatim aſſociarunt, demùm vniuerſa Oſtergoa, exceptis, quos factionum ſtudium in diuerſa agebat, eſt aſſcripta: vnde fœdus Oſtergoum*

 vulgo

Fœdus Leoardium.

vulgo nuncupatum fuit. Anno postero 1492. cùm tumultus huius fœderis gratiâ extitiſſent, autore potiſſimùm & concitatore Tiardo Moccamâ, totaq; Sciringiorum factio in VVeſtergoâ ſe commoueret, Leoardij à vi factionis ſibi metuentes, vt ſe magis magisq; firmarent, ſpeciali ſe fœdere & arctiore cum Groninganis iunxerunt. Hoc fœdere promisêre Senior, Scabini, Senatus reliquus & 13. viri totius populi nomine, fideles ſe ſocios Groningenſium futuros in annos 24. ex formulâ fœderis Doccumani, eiuſque fœderis conditiones omnes ſeruaturos: præterea permiſſuros, vt lites ciuium ſuorum cum ciuibus, de quibus appellare ſuperiores iudices placet, à Senatu Groningano, temporibus in fœdere Doccumano expreſſis, recognoſcentur: cæteræ lites aut cum peregrinis, aut peregrinorum cum ijſdem peregrinis, id eſt, iis qui Leoardiæ domicilium non habent, ab Houetmannis Groningenſibus, & conuentu iuridico ſociorum, vt eſt in eodem fœdere Doccumano, definiantur. *Dein additum*, vt Groningani

Nota.

præfectum dent Leoardianis, qui vel in oppido, vel in eius viciniâ commodo loco ſedem habeat; isque ſcabini aut ſenioris locum teneat in ſenatu oppidano eâque poteſtate ſit, quâ ipſe, ſi adſit, ſenatus Groninganus, cuius vicem geret: eidemque præfecto Leoardiani ſtipendium ſoluant decennio proximo

aureos

aureos Rhenanos centenos annuos: interea ſocij rationem ineant aliam ſtipendij eiuſdem conficiendi, quæ duret ad fœderis vſque finem, ſintque Leoardiani ab onere illo centenorum aureorum deinceps liberi. Præfectum hunc ſi quis auſu temerario occidat, prehenſus capite pœnas viciſſim pendat, fugâ elapſus omnibus bonis mobilibus & immobilibus exuatur, eaque ad arbitrium ſenatus in fiſcum redigantur Groningenſium: cædem verò eam ſi ſatelles aut miniſter iuſſu alterius patret, & ipſe & qui iuſſit, eâdem teneantur noxâ, idemque ſupplicium pendant: At ſi vulnere eundem quis læſerit, pœnam vulnerati hominis nobilis duplam ſoluat. Cætera ſunt de obſidibus ſex arbitrio Groningenſium legendis, & in cuſtodia habendis, ſicubi contingat fœderis huius obſeruationē Leoardienſium vitio claudicare. *Signatum celebratumq́; Leoardia die 6. Iduum Octobr. Eodemq́; tempore magno numero viri nobiles primarum familiarum, qui hactenus fœderi Oſtergoo ſe oppoſuerant tam VVeſtergoi quàm Oſtergoi, itemq́; oppida Franekera & VVorcumum, cum cohærentibus præfecturis, cùm audiſſent Groninganos iam Leoardiam ingreſſos, Leoardiosq́; fœderis feriundi cum his perauidos eſſe, ipſi quoq; re benè deliberatâ, dimiſſo armorum conſilio, cum Groninganis pepigere in hunc modum:* Nefas eſſet ipſis, turbare Groningenſes, & fœdus

Fœdus aliud cū multis Oſtergois *&* VVeſtergois.

cum ijs iam habentes, aut imposterum habituros: nec contra Groninganis liceret miscere de rebus illorum, aut illos illorumque subditos, aut regiones illis inuitis sub fœdus suum trahere: quod si compertum fuerit eorum aliquem in Groninganos, aut horum socios aliquid deliquisse, de eo ad arbitrium quatuor virorum, duorum è Senatu Groningano, duorum ex ipsis datorum satisfaciat.

Pacta cum Sciringiis.

Nec multos post dies Snecani, Slotenses, Ilstani, cæteriq; horum socij factionis Sciringiæ, fœderis hostes, insigni clade ad Barrabusium à fœderatis correpti, cum Beccone Haringæo, factionis principe, ad arbitrium victorum conditiones accepére. Iurarunt, fœderi Ostergoo non se semet oppositurosnec impedimento iis futuros, si qui deinceps aut Ostergoi aut Westergoi accedere eidem vellent: nullum ius imperiumúe in vniuersam Ostergoam, aut vllam eius partem sibi arrogaturos, ablata reddituros, exules in integrum restituros, controuersia cum Galamæis arbitrio Groningensium submissuros: Groningenses in persequendis iniuriis contra Westergoos hac pactione non comprehensos non impedituros: è sociis in has leges peccanti nemini patrocinaturos: detrimenta, impendia, molestias belli Groninganis & Ostergois 17. millibus aureorum Rhenensium & quingentis spatio 9. mensium ternis pensionibus

nibus sarturos. *Deniq; alia obligandæ fidei vincula grauia & aspera adiuncta: quæ in Historiâ expono. Tùm consternatis totius factionis aduersæ animis, quotquot eius in Ostergoâ supererant viri nobiles, quos hactenus pertinacia non siuerat accedere, eidem fæderi Ostergoo accesserunt. In hoc rerum statu, cùm omnia ad ampliandos fæderis huiusce fines spectare viderentur, venit in Frisiam legatus Cæsaris Friderici* OTTO LANGIVS *canonicus Moguntinus, vt Frisiorum dißidia componeret. Cuius aduentu respirantes Sciringij; (horum enim precibus data legati mißio erat) animos rursum extulêre, turbasq; dedêre fæderatis. Nec multò pòst è vitâ deceßit Fridericus* III. *Imperator, ad quem reuerterat legatus, cætera ad pacandam Frisiam, vti ferebat, procuraturus. Idem verò anno sequente, nomine Maximiliani Regis, qui patri successerat, in Frisiam rediit, mandata secum ferens de Ephoro in Frisiâ, quem* POTESTATEM *dicere mos erat, designando, & simul diploma de libertate gentis. Sed & ciuitas Groningana, quæ suos quoq; homines vnà cum socijs legauerat ad eundem Regem, amplißimum diploma ab eo impetrauit, quo fædus Ostergoum vtraq; petente parte solenniter confirmatum fuit, præsentibus in aulâ, & nequicquam contra nitentibus Sciringijs. Id diploma Campodani die 23. Maij: eoq; comprehensi quoq; illi, qui post percussum fædus primum eidem deinde accesserant. At literæ Regis Camstræo datæ, viro nobili, in aulâ noto, Regiq; grato, dissensionem peperêre:* dissen-

An. 1493. Otto Langius legatus Cæsaris in Frisiâ.

Diploma Maximiliani Campodunense, confirmans fædus Ostergoum.

Fœdus nouum cum VVestergois, Ostergoo fœdus ſimile.

diſſenſio tumultus dedit: per eos iſtuc deducta res, vt Bolſuerdia, VVorcumum, Stauera, Hindelopa, & maxima nobilitatis VVeſtergoæ, maxima item plebis ruſticæ pars fœdus nouum cum Groninganis, fœderi Oſtergoo ſimillimum, percuſſerint, deniq; paulò pòſt tota penè VVeſtergoa, excepta FRANEKERA *cum coniuratis viris nobilibus, in Groningenſium ac ſociorum poteſtatem venerit: quod factum anno Chriſti 1496.*

DE FOEDERIBVS PACTISQVE PER SAXONES TVRBATIS.

An. 1496.



Oc tempore Maximilianus Rex cum Alberto Saxoniæ Duce comparat de Friſiâ ſubigendâ: Albertus velut Sciringijs auxilio futurus militem in Friſiam mittit: Ei mox alium, diſsimulato nomine & conſilio ſuo, ſubmittit Vetcoperorum ſtipendia facturum, vt regionem attererent, & eneruem redderent. Tum cùm maturum videretur, feſsis penè omnibus diploma in Friſiam miſſum, quo Friſiæ gubernatio Alberto Saxoni ſub Poteſtatis titulo à Maximiliano, & Ordinibus Imperij aſſignabatur, eaque iubebatur eſſe perpetua, tranſitura in hæredes. Additum tamen, vt belli impendiis refuſis, & certâ pecuniæ ſummâ ſolutâ à Philippo Burgundo

Maximiliani Regis & Alberti Saxonis conſilia.

Diploma Alberto Saxoni datum.

Maxi-

Maximiliani filio, gubernatio tota & omne in Frisiam ius ad eundem transiret. *Albertus per suos, quos præmiserat, oppreßis omnibus Translauicanis, atq; à fœdere Groningano vi & aperto bello auersis, inq; fidem suam adactis, Groningam quoq; & agrum vicinum tentauit. Nam hos quoq; ad imperium sibi commissum pertinere ferebat, habebatq; pro se interpretem controuersiæ Maximilianum. Verùm cùm res per intercessiones & colloquia non procederet, ipse ob filij casum, quem Translauicani Franekeræ obsederant, secundò in Frisiam veniens, liberato filio, & rebus Translauicanis pro tempore constitutis, exercitum cis Lauicam adduxit, nulloq; negotio agrum in suam potestatem & fidem redegit. Sed in obsidendâ vrbe dum hæret, intercedente rursum Georgio Thorenio Equestris dignitatis viro nobili ad hoc à Rrincipibus Germaniæ misso, & cum eo Friderico Badensi Episcopo Vltraiectino, colloquium denuò coijt, anno 1500. mense Augusto: in quo colloquio res tandem composito, & bellum diremptum. Conditionum præcipuæ fuêre*, vt controuersiæ inter Albertum & ciuitatem, de potestate prætoriâ in agrum vicinum cum Houetmannis, de imperio & Præfecturam veterem, de iure stapulæ rerum ἐπιχωρίων, de vsu solius cereuisiæ Groninganæ in tabernis ac diuersoriis per agrum, de nō coquendâ cereuisiâ quæstus causâ in agro, & quæ alia pactis & fœderibus nitebantur, aut more inolita erant, quæ omnia sibi dimitti posce-

Albertus Groningam obsidet.

Compositione diremptū bellū inter Albertum & ciuitatē Groningā.

duraret hæc ſequeſtris ratio: Groningani etiam in exigendâ pecuniâ creditâ & reditibus aliis per agrum retinerent ius & morem ſolitum, modò vt iudex in eo tribunali in vrbe eſſet ipſe Thorenius, aut legatus eius, aliusúe pro eo ſequeſter ab Ordinibus Imperij datus. *Atq; hæc probata ſignataq; ab vtrâq; parte, & ſigillis quoq; duorum interceſſorum ad fidem munita: deniq; pax conſtituta. Nec multò pòſt Albertus iam tum corpore ægro Emdam delatus, atq; ibi vitâ functus eſt.* *Thorenius verò intempeſtiuè Friſiâ euocatus ab Henrico Alberti filio, malis adhuc haud benè poſitis, quæ in Repub. ſociorum hærebant, (erant enim nobilitatis agrariæ animi in ciuitatem, & huius viciſſim in illam ex iniurijs mutuis exacerbati) quibus ipſum ſe interponere, remediumq; adhibere conueniebat, cùm diutiùs etiam quàm par eſſet emanſitaret, occaſioni fuit, vt anno proximo in arma rurſum ſit itum, tranſactioq; neglecta penè euanuerit.*

Alberti Saxonis

Bellum inter Saxones & Groningenses renatum.

DE

DE STATV CIVITATIS SVB EDSARDO ORIENTALIS FRISIAE COMITE, itemque Carolo Geldro, domo Burgundica & imperio Belgico.



Quo tempore repetitis ſæpè inducijs ſuſtentata diu res, & colloquijs iterum tentata, tandem anno 1505. in acerbiſsimum & maximum bellum rupit. Eo ciuitas ab omni parte obſeſſa, & in extremas tandem redacta anguſtias, ob acerbitatem & ὕϐριν Saxonicam, vrgente neceſsitate, duro telo, in fidem demùm Edſardi Comitis Friſiæ Orientalis, hactenus hoſtis ſui ſe contulit. Id enim ſatius putauit, quàm ijs ſe dedere, quorum verba & facta plusquàm barbara & crudelia in obſidione proximis menſibus audierat, videratq́ue. Id factum anno 1506. menſe Aprili. Conditiones ſanè duræ, quibus ſe dedidit, & non ſatis è iure priſtino. In quibus fuère hæ: Vt Edſardus in vrbem reciperetur cum armatis 800. vt magiſtratum ciuesque iureiurando adigeret in fidem ſuam: vt locum in vrbe, quem vellet, muniret, & præſidio inſideret: omnia in euentum iudicij principum ac reliquorum ordinum Germaniæ. *Deinde & hæ:* Vt idem Edſardus ex ordine honeſtio-

Groninga Edſardo dedita.

Conditiones deditionis.

honestiorum ciuium deligeret pro arbitratu suo, qui pecuniæ creditæ iudicia, aliaque Houetmannis solita in vrbe exercerent in eos qui agrum habitant, idque more & modo pristino, sed nomine ipsius: Vt frumenta in agro nata, nõ alibi quàm Groningæ & Dammonæ venirent: de cæteris ἐπιχωρίοις. Edsardus adhibitis in consilium Groninganis certi quid statueret, quod esset ex commodo Vrbis & Agri. De cereuisiâ nihil mutatum. Cautum, vt omne ius hoc ad hæredes Edsardi & fratris eius Vconis transiret *Signatum vtrinq; postridie Georgij. Hoc facto omnium animi suspensi, maximè verò Saxonum, qui quo animo esset Edsardus, erant incerti. Et quia de euentu iudicij scriptum in conditionibus intellexerant, ad cognitionem causæ rem deducere maturabant. Cognitioq; solennis instituta est constantiæ: sed is euentus ibi fuit, vt ciuitas haud dubiè iure, Georgius Saxo gratiâ esse superior videretur. Definitum tamen illic nihil. Deinde colloquijs multis & varijs per aliquot annos tentatum denuò negotium: sed nec his quicquam profectum. Nam Saxo decedere iure in agrum, & fœderibus renunciare ciuitatem iubebat: ciuitas vt id faceret, nullâ ratione persuaderi volebat. Igitur anno 1513. resumptis armis, Edsardo cum ciuitate in Saxonis gratiam proscripto, concitatâ in hos magnâ Germaniæ parte, belloq; summis viribus, summâ contentione longo tempore continuato, Frisiâ Orientali pessundatâ, tribus*

Causæ cognitio Constantiæ.

Edsardus cum ciuitate Groninga proscriptus.

Edfardus à Carolo Geldro auxilia petit.

Caroli artes.

Edfardi arcibus occupatis, Edfardus imparem fe folum tantæ moli fentiens ad Carolum Geldriæ Ducem Gallorum regis focium, Burgundis & Auftriacis inimicum, fe contulit, vt auxilia ab eo pararet. Is fortunam fequens verfuti princeps ingenij, promifit benignè, pecuniamq; etiam in eum finem accepit. Sed miles promiffus non ante venit, quàm Dammona quoque vi effet à Saxonibus occupata, & Groninga in arctum redacta. Et tum Geldri legatus, qui auxiliis præerat, Guilhelmus Oijenfis, in extremâ ciuitatis neceßitate cùm differri diutiùs deditio non poffe videretur, profeffus etiam eft, fic fibi mandatum à principe, ne quid opis preßis ferret, neu rebus Edfardi ciuitatisq; vllo fe modo mifceret, ni priùs hæc illius fide foluta in Geldricum nomen iuraffet: nec enim æquum effe, principem tantam rem tam fumptuofam, difficilem, periculofam aggredi, tanti hoftis offenfionem in fe fufcipere, omnemq; penè Germaniam irritare, & nullum operæ fuæ pretium ferre. His addidit de optimâ principis voluntate in ciuitatem, imprimis de priuilegiorum ac iuris priftini reftitutione, deq; arcis demolitione, alia, quæ ducendis animis effe putabat. Itaque inclinante huc ciuitate, ex hominum naturâ melioris conditionis auidâ, nec libenter manente in eâ fortunâ, cuius ipfos pœnitet, Edfardus quoq; quamquam inopinâ oratione attonitus primùm & indignans, tamen, quod fapientis erat, parendum neceßitati putauit. Nec mora, exautorata ab eo ciuitas apud Oijenfem in fidem Geldriæ Ducis iurauit, vergente

Ciuitas Groninga in nomẽ Geldricũ iurat.

gente iam anno 1514. Conditionum contractus huius summa fuit hæc: Geldrus causam ciuitatis contra Vltraiectinos non solùm auxilia non ferentes laboranti, vti debeant, sed vim quoque cum hoste inferentes, impendio suo, sine molestiâ & sumptu ipsius, ageret & tueretur: ciuitas in nomen Geldricum iuraret in perpetuum, imperiumque in agrum vniuersum Lauicâ & Amaso clausum, in quo & Præfectura vetus, Principi cederet: prætoriam potestatem à Principe delegatam in res agri tenerent, & velut Principem repræsentarent, vnus è consiliariis principis à principe datus, & quatuor viri è numero honestiorum ciuium ad hoc idoneorum à Senatu vrbano electi, iidemque eodem iure essent, quo Houetmanni illi veteres quondam fuerant ante bellum Saxonicum, eadem omnia, quæ olim isti, haberent & facerent, seruato more antiquo: ius stapulæ, quod vocant, omnium rerũ venalium quæ in agro sunt, proueniuntúe, integrum per omnia maneret ciuitati eo modo, quo ante hos motus & arma Saxonica fuêre: In frumento quoque & cereuisiâ idem seruaretur, quod olim solebat: αὐτονομία ciuitati & agro, atque vsus patriarum legum maneret: quisque ius suum integrum & illibatum retineret, quisque possessiones, res, prædia intra extraque aggeres haberet: nec Princeps quicquã noui institueret:

Conditiones Geldricæ.

idem nullo vnquam tempore vel ipſe ſepararet à ciuitate agrum, vel ſeparari per alium ſineret, aut occaſionẽ ſeparationi daret: munitiones quoque omnes in agro demoliretur, nec nouas alias extrueret, extruiúe pateretur: denique tributo annuo æquo ac tolerabili ex agro ſibi hæredibusque ſuis pendendo cum ciuibus & agri incolis compararet, à quo nullæ poſſeſſiones aut res in agro ſitæ immunes eſſent. *Hac concepta tum, & probata vtrimq; : ſed in ſolennem formam redacta, & ſignata poſt annos demùm tres, cùm ager totus ab hoſte quoq; liberatus, & Principi ſubiectus eſſet. Is fuit annus à Chriſto nato 1518. & menſis Februarij dies 18. Deinde anno 1521. inter Principem & Ordines agri in curiâ Groningana per legatos Geldricos ſenatumq; vrbanum ſic conuenit*, vt ipſi in fide Principis eſſent, & hæredum eius in perpetuum: Princeps & hæredes integra ſeruarent ipſis priuilegia, iura, inſtituta, leges, conſuetudines, ſecundùm fœdera & pacta olim inter ipſos & ciuitatem inita. *Sic in nomen Geldricum ab Ordinibus iuratum, præmiſſâ conditione hac*, non diutiùs valituram vim iuramenti huius, quàm Geldrus tueri regionem poſſet. *Et mox hac pacta à Principe ſunt ſignata die Iunij 20. Verùm cum progreſſu temporis cùm longiùs paulatim tendere, & à pactis recedere, & ciuitatis iura arctare deprehenderetur Geldrus, à Marſwico prætore primùm incitatus, cui ſimultas cum ſenatu*

inter-

intercedebat, deinde irritatus, quod, bello pro Balthasaro Esensi in Frisiâ Orientali contra Ennonem Comitem vicinum suscepto, in eius impensas tributum sibi à ciuitate negaretur, & suapte naturâ potentiæ per fas & nefas augendæ auidus, & turbulentus, occasione raptâ, quã fors offerebat, per Meinhardum Hammensem clarum militiâ virum, Daniæ regis auspicia profitentem, occultis mandatis suis instructum, adductis copijs tumultus in agro, & ad ipsas portas vrbis cieret, suburbia vastaret & incenderet, Damnionam summâ festinatione muniret, postremo in colloquio Essenæ componendæ rei causâ instituto per Henricum Grouium Erclenij dominum legatum suum, & Haeffordum militum præfectum palàm iam posceret, arcem munitam in vrbe sibi extrui, Dammonæq; munitiones perfici, ciuitas meritò ab eo animis alienata, ad partes Burgundicas se vertit: Nec mora, re cum agrarijs ordinibus deliberatâ, ex eorum consensu ad Georgium Scenkium Teutoburgium, qui Translauicanis pro Carolo V. Imp. tum præerat, legatos misit, ac deditionem obtulit. Atq; ille edoctus celeriter de voluntate Mariæ sororis Caroli Imp. Belgij Gubernatricis, ad quam scripserat, sine morâ cum ijs, quas in promptu habebat, copijs Groningam profectus, cùm de conditionibus imperandi parendiq; conuenisset, ciuitatem ordinesq; agrarios simul in fidem Caroli Imp. Brabantiæ Ducis & Hollandiæ Selandiæq; Comitis, & Frisiæ ac Transisalanæ Domini, velut vnius Reip. populum recepit die Iunij mensis 8. anno, quẽ dixi, 1536.

An. 1536. Carolus Geldrus pacta violat.

Groninga & socij in agro in fidẽ Caroli V. Cæsaris Ducis Brabant. &c. concedunt.

Fœdus Leoardium. *vulgo nuncupatum fuit. Anno postero 1492. cùm tumultus huius fœderis gratiâ extitissent, autore potissimùm & concitatore Tiardo Moccaniâ, totaq; Sciringiorum factio in VVestergoâ se commoueret, Leoardij à vi factionis sibi metuentes, vt se magis magisq; firmarent, speciali se fœdere & arctiore cum Groninganis iunxerunt.* Hoc fœdere promisêre Senior, Scabini, Senatus reliquus & 13. viri totius populi nomine, fideles se socios Groningensium futuros in annos 24. ex formulâ fœderis Doccumani, eiusque fœderis conditiones omnes seruaturos: præterea permissuros, vt lites ciuium suorum cum ciuibus, de quibus appellare superiores iudices placet, à Senatu Groningano, temporibus in fœdere Doccumano expressis, recognoscentur: cæteræ lites aut cum peregrinis, aut peregrinorum cum ijsdem peregrinis, id est, iis qui Leoardiæ domicilium non habent, ab Houetmannis Groningensibus, & conuentu iuridico sociorum, vt est in eodem fœdere Doccumano, definiantur. *Dein additum*, vt Gro-

Nota. ningani præfectum dent Leoardianis, qui vel in oppido, vel in eius viciniâ commodo loco sedem habeat; isque scabini aut senioris locum teneat in senatu oppidano eâque potestate sit, quâ ipse, si adsit, senatus Groninganus, cuius vicem geret: eidemque præfecto Leoardiani stipendium soluant decennio proximo

aureos

aureos Rhenanos centenos annuos: interea socij rationem ineant aliam stipendij eiusdem conficiendi, quæ duret ad fœderis vsque finem, sintque Leoardiani ab onere illo centenorum aureorum deinceps liberi. Præfectum hunc si quis ausu temerario occidat, prehensus capite pœnas vicissim pendat, fugâ elapsus omnibus bonis mobilibus & immobilibus exuatur, eaque ad arbitrium senatus in fiscum redigantur Groningensium: cædem verò eam si satelles aut minister iussu alterius patret, & ipse & qui iussit, eâdem teneantur noxâ, idemque supplicium pendant: At si vulnere eundem quis læserit, pœnam vulnerati hominis nobilis duplam soluat. Cætera sunt de obsidibus sex arbitrio Groningensium legendis, & in custodia habendis, sicubi contingat fœderis huius obseruationē Leoardiensium vitio claudicare. *Signatum celebratumq́; Leoardia die 6. Iduum Octobr. Eodemq́; tempore magno numero viri nobiles primarum familiarum, qui hactenus fœderi Ostergoo se opposuerant tam VVestergoi quàm Ostergoi, itemq́; oppida Franekera & VVorcumum, cum cohærentibus præfecturis, cùm audissent Groninganos iam Leoardiam ingressos, Leoardiosq́; fœderis feriundi cum his perauidos esse, ipsi quoq́; re benè deliberatâ, dimisso armorum consilio, cum Groninganis pepigere in hunc modum:* Nefas esse ipsis, turbare Groningenses, & fœdus

Fœdus aliud cū multis Ostergois *&* VVestergois.

cum ijs iam habentes, aut imposterum habituros: nec contra Groninganis liceret miscere de rebus illorum, aut illos illorumque subditos, aut regiones illis inuitis sub fœdus suum trahere: quod si compertum fuerit eorum aliquem in Groninganos, aut horum socios aliquid diliquisse, de eo ad arbitrium quatuor virorum, duorum è Senatu Groningano, duorum ex ipsis datorum satisfaciat. *Nec multos post dies Snecani, Slotenses, Ilstani, caeteriq́ horum socij factionis Sciringia, fœderis hostes, insigni clade ad Barrabusium à fœderatis correpti, cum Beccone Haringæo, factionis principe, ad arbitrium victorum conditiones accepére.* Iurarunt, fœderi Ostergoo non se semet oppositturos, nec impedimento iis futuros, si qui deinceps aut Ostergoi aut Westergoi accedere eidem vellent: nullum ius imperiumúe in vniuersam Ostergoam, aut vllam eius partem sibi arrogaturos, ablata reddituros, exules in integrum restituros, controuersa cum Galamæis arbitrio Groningensium submissuros: Groningenses in persequendis iniuriis contra Westergoos hac pactione non comprehensos non impedituros: è sociis in has leges peccanti nemini patrocinaturos: detrimenta, impendia, molestias belli Groninganis & Ostergois 17. millibus aureorum Rhenensium & quingentis spatio 9. mensium ternis pensionibus

Pacta cum Sciringiis.

nibus sarturos. *Deniq; alia obliganda fidei vincula grauia & aspera adiuncta: qua in Historiâ expono. Tùm consternatis totius factionis aduersa animis, quotquot eius in Ostergoâ supererant viri nobiles, quos hactenus pertinacia non siuerat accedere, eidem fœderi Ostergoo accesserunt. In hoc rerum statu, cùm omnia ad ampliandos fœderis huiusce fines spectare viderentur, venit in Frisiam legatus Cæsaris Friderici* OTTO LANGIVS *canonicus Moguntinus, vt Frisiorum dißidia componeret. Cuius aduentu respirantes Sciringij; (horum enim precibus data legati mißio erat) animos rursum extulêre, turbasq; dedêre fœderatis. Nec multò pòst è vitâ deceßit Fridericus* III. *Imperator, ad quem reuerterat legatus, cætera ad pacandam Frisiam, vti ferebat, procuraturus. Idem verò anno sequente, nomine Maximiliani Regis, qui patri successerat, in Frisiam redijt, mandata secum ferens de Ephoro in Frisiâ, quem* POTESTATEM *dicere mos erat, designando, & simul diploma de libertate gentis. Sed & ciuitas Groningana, quæ suos quoq; homines vnà cum socijs legauerat ad eundem Regem, ampliβimum diploma ab eo impetrauit, quo fœdus Ostergoum vtraq; petente parte solenniter confirmatum fuit, præsentibus in aulâ, & nequicquam contra nitentibus Sciringijs. Id diploma Campodani die 23. Maij: eoq; comprehensi quoq; illi, qui post percussum fœdus primum eidem deinde accesserant. At literæ Regis Camstræo datæ, viro nobili, in aulâ noto, Regiq; grato, dissensionem peperêre:*

An. 1493. Otto Langius legatus Cæsaris in Frisiâ.

Diploma Maximiliani Campodunense, confirmans fœdus Ostergoum.

dissen-

Fœdus nouum cum VVestergois, Ostergoo fœdus simile.

dissensio tumultus dedit: per eos istuc deducta res, vt Bolsuerdia, VVorcumum, Stauera, Hindelopa, & maxima nobilitatis VVestergoæ, maxima item plebis rusticæ pars fœdus nouum cum Groninganis, fœderi Ostergoæ simillimum, percusserint, deniq; paulò pòst tota penè VVestergoa, excepta FRANEKERA *cum coniuratis viris nobilibus, in Groningensium ac sociorum potestatem venerit: quod factum anno Christi 1496.*

DE FOEDERIBVS PACTISQVE PER SAXONES TVRBATIS.

An. 1496.



Oc tempore Maximilianus Rex cum Alberto Saxoniæ Duce comparat de Frisiâ subigendâ: Albertus velut Sciringijs auxilio futurus militem in Frisiam mittit: Et mox alium, dissimulato nomine & consilio suo, submittit Vetcoperorum stipendia facturum, vt regionem attererent, & eneruem redderent. Tum cùm maturum videretur, fessis penè omnibus diploma in Frisiam missum, quo Frisiæ gubernatio Alberto Saxoni sub Potestatis titulo à Maximiliano, & Ordinibus Imperij assignabatur, eaque iubebatur esse perpetua, transitura in hæredes. Additum tamen, vt belli impendiis refusis, & certâ pecuniæ summâ solutâ à Philippo Burgundo

Maximiliani Regis & Alberti Saxonis consilia.

Diploma Alberto Saxoni datum.

Maxi-

Maximiliani filio, gubernatio tota & omne in Frisiam ius ad eundem transiret. *Albertus per suos, quos præmiserat, oppressis omnibus Translauicanis, atq; à fœdere Groningano vi & aperto bello auersis, inq; fidem suam adactis, Groningam quoq; & agrum vicinum tentauit. Nam hos quoq; ad imperium sibi commissum pertinere ferebat, habebatq; pro se interpretem controuersiæ Maximilianum. Verùm cùm res per intercessiones & colloquia non procederet, ipse ob filij casum, quem Translauicani Franekeræ obsederant, secundò in Frisiam veniens, liberato filio, & rebus Translauicanis pro tempore constitutis, exercitum cis Lauicam adduxit, nulloq; negotio agrum in suam potestatem & fidem redegit. Sed in obsidendâ vrbe dum hæret, intercedente rursum Georgio Thorenio Equestris dignitatis viro nobili ad hoc à Rrincipibus Germaniæ misso, & cum eo Friderico Badensi Episcopo Vltraiectino, colloquium denuò coijt, anno 1500. mense Augusto: in quo colloquio res tandem composito, & bellum diremptum. Conditionum præcipuæ fuêre,* vt controuersiæ inter Albertum & ciuitatem, de potestate prætoriâ in agrum vicinum cum Houetmannis, de imperio & Præfecturam veterem, de iure stapulæ rerum ἐπιχωρίων, de vsu solius cereuisiæ Groninganæ in tabernis ac diuersoriis per agrum, de nō coquendâ cereuisiâ quæstus causâ in agro, & quæ alia pactis & fœderibus nitebantur, aut more inolita erant, quæ omnia sibi dimitti posce-

Albertus Groningam obsidet.

Compositione dirempt ū bellū inter Albertum & ciuitatē Groningā.

duraret hæc sequestris ratio: Groningani etiam in exigendâ pecuniâ creditâ & rediti-bus aliis per agrum retinerent ius & morem solitum, modò vt iudex in eo tribunali in vrbe esset ipse Thorenius, aut legatus eius, aliusúe pro eo sequester ab Ordinibus Imperij datus. *Atq; hæc probata signataq; ab vtrâq; parte, & sigillis quoq; duorum intercessorum ad fidem munita: deniq; pax constituta. Nec multò pòst Albertus iam tum corpore ægro Emdam delatus, atq; ibi vitâ functus est. Thorenius verò intempestiuè Frisiâ euocatus ab Henrico Alberti filio, malis adhuc haud benè positis, quæ in Repub. sociorum hærebant, (erant enim nobilitatis agrariæ animi in ciuitatem, & huius vicissim in illam ex iniurijs mutuis exacerbati) quibus ipsum se interponere, remediumq; adhibere conueniebat, cùm diutiùs etiam quàm par esset emansitaret, occasioni fuit, vt anno proximo in arma rursum sit itum, transactioq; neglecta penè euanuerit.*

Alberti Saxonis

Bellum inter Saxones & Groningenses renatum.

DE

DE STATV CIVITATIS SVB EDSARDO ORIENTALIS FRISIAE COMITE, itemque Carolo Geldro, domo Burgundica & imperio Belgico.



Quo tempore repetitis ſæpè inducijs ſuſtentata diu res, & colloquijs iterum tentata, tandem anno 1505. in acerbiſsimum & maximum bellum rupit. Eo ciuitas ab omni parte obſeſſa, & in extremas tandem redacta angustias, ob acerbitatem & ὕβριν Saxonicam, vrgente neceſsitate, duro telo, in fidem demùm Edſardi Comitis Friſiæ Orientalis, hactenus hoſtis ſui ſe contulit. Id enim ſatius putauit, quàm ijs ſe dedere, quorum verba & facta pluſquàm barbara & crudelia in obſidione proximis menſibus audierat, videratq́. Id factum anno 1506. menſe Aprili. Conditiones ſanè duræ, quibus ſe dedidit, & non ſatis è iure priſtino. In quibus fuère hæ: Vt Edſardus in vrbem reciperetur cum armatis 800. vt magiſtratum ciuesque iureiurando adigeret in fidem ſuam: vt locum in vrbe, quem vellet, muniret, & præſidio inſideret: omnia in euentum iudicij principum ac reliquorum ordinum Germaniæ. *Deinde & hæ:* Vt idem Edſardus ex ordine honeſtio-

Groninga Edſardo dedita.

Conditiones deditionis.

honeſtiorum ciuium deligeret pro arbitratu ſuo, qui pecuniæ creditæ iudicia, aliaque Houetmannis ſolita in vrbe exercerent in eos qui agrum habitant, idque more & modo priſtino, ſed nomine ipſius: Vt frumenta in agro nata, nõ alibi quàm Groningæ & Dammonæ venirent: de cæteris ἐπιχωρίοις. Edſardus adhibitis in conſilium Groninganis certi quid ſtatueret, quod eſſet ex commodo Vrbis & Agri. De cereuiſiâ nihil mutatum. Cautum, vt omne ius hoc ad hæredes Edſardi & fratris eius Vconis tranſiret. *Signatum vtrinq, poſtridie Georgij. Hoc facto omnium animi ſuſpenſi, maximè verò Saxonum, qui quo animo eſſet Edſardus, erant incerti. Et quia de euentu iudicij ſcriptum in conditionibus intellexerant, ad cognitionem cauſæ rem deducere maturabant. Cognitioq; ſolennis inſtituta eſt conſtantiæ: ſed is euentus ibi fuit, vt ciuitas haud dubiè iure, Georgius Saxo gratiâ eſſe ſuperior videretur. Definitum tamen illic nihil. Deinde colloquijs multis & varijs per aliquot annos tentatum denuò negotium: ſed nec his quicquam profectum. Nam Saxo decedere iure in agrum, & fœderibus renunciare ciuitatem iubebat: ciuitas vt id faceret, nullâ ratione perſuaderi volebat. Igitur anno 1513. reſumptis armis, Edſardo cum ciuitate in Saxonis gratiam proſcripto, concitatâ in hos magnâ Germaniæ parte, belloq; ſummis viribus, ſummâ contentione longo tempore continuato, Friſiâ Orientali peſſundatâ, tribus*

Cauſæ cognitio Conſtantiæ.

Edſardus cum ciuitate Groningæ proſcriptus.

T *Edſardi*

Edfardus à Carolo Geldro auxilia petit.

Caroli artes.

Edfardi arcibus occupatis, Edfardus imparem fe folum tantæ moli fentiens ad Carolum Geldriæ Ducem Gallorum regis focium, Burgundis & Auftriacis inimicum, fe contulit, vt auxilia ab eo pararet. Is fortunam fequens verfuti princeps ingenij, promifit benignè, pecuniamq; etiam in eum finem accepit. Sed miles promiffus non ante venit, quàm Dammona quoque vi effet à Saxonibus occupata, & Groninga in arctum redacta. Et tum Geldri legatus, qui auxiliis præerat, Guilhelmus Oijenfis, in extremâ ciuitatis neceßitate cùm differri diutiùs deditio non poffe videretur, profeffus etiam eft, fic fibi mandatum à principe, ne quid opis preßis ferret, neu rebus Edfardi ciuitatisq; vllo fe modo mifceret, ni priùs hæc illius fide foluta in Geldricum nomen iuraffet: nec enim æquum effe, principem tantam rem tam fumptuofam, difficilem, periculofam aggredi, tanti hoftis offenfionem in fe fufcipere, omnemq; penè Germaniam irritare, & nullum operæ fuæ pretium ferre. His addidit de optimâ principis voluntate in ciuitatem, imprimis de priuilegiorum ac iuris priftini reftitutione, deq; arcis demolitione, alia, quæ ducendis animis effe putabat. Itaque inclinante huc ciuitate, ex hominum naturâ melioris conditionis auidâ, nec libenter manente in eâ fortunâ, cuius ipfos pœnitet, Edfardus quoq; quamquam inopinâ oratione attonitus primùm & indignans, tamen, quod fapientis erat, parendum neceßitati putauit. Nec mora, exautorata ab eo ciuitas apud Oijenfem in fidem Geldriæ Ducis iurauit, vergente

Ciuitas Groninga in nomē Geldricū iurat.

gente iam anno 1514. Conditionum contractus huius summa fuit hac: Geldrus causam ciuitatis contra Vltraiectinos non solùm auxilia non ferentes laboranti, vti debeant, sed vim quoque cum hoste inferentes, impendio suo, sine molestiâ & sumptu ipsius, ageret & tueretur: ciuitas in nomen Geldricum iuraret in perpetuum, imperiumque in agrum vniuersum Lauicâ & Amaso clausum, in quo & Pręfectura vetus, Principi cederet: prætoriam potestatem à Principe delegatam in res agri tenerent, & velut Principem repræsentarent, vnus è consiliariis principis à principe datus, & quatuor viri è numero honestiorum ciuium ad hoc idoneorum à Senatu vrbano electi, ijdemque eodem iure essent, quo Houetmanni illi veteres quondam fuerant ante bellum Saxonicum, eadem omnia, quæ olim isti, haberent & facerent, seruato more antiquo: ius stapulæ, quod vocant, omnium rerũ venalium quæ in agro sunt, proueniuntúe, integrum per omnia maneret ciuitati eo modo, quo ante hos motus & arma Saxonica fuêre: In frumento quoque & cereuisiâ idem seruaretur, quod olim solebat: αὐτονομία ciuitati & agro, atque vsus patriarum legum maneret: quisque ius suum integrum & illibatum retineret, quisque possessiones, res, prædia intra extraque aggeres haberet: nec Princeps quicquã noui instituerent:

Conditiones Geldricæ.

intercedebat, deinde irritatus, quod, bello pro Balthasaro Esensi in Frisiâ Orientali contra Ennonem Comitem vicinum suscepto, in eius impensas tributum sibi à ciuitate negaretur, & suapte naturâ potentiæ per fas & nefas augendæ auidus, & turbulentus, occasione raptâ, quā fors offerebat, per Meinhardum Hammensem clarum militiâ virum, Daniæ regis auspicia profitentem, occultis mandatis suis instructum, adductis copijs tumultus in agro, & ad ipsas portas vrbis cieret, suburbia vastaret & incenderet, Dammonam summâ festinatione muniret, postremo in colloquio Essenæ componendæ rei causâ instituto per Henricum Grouium Ercleny dominum legatum suum, & Haefordum militum præfectum palàm iam posceret, arcem munitam in vrbe sibi extrui, Dammonæq; munitiones perfici, ciuitas meritò ab eo animis alienata, ad partes Burgundicas se vertit: Nec mora, re cum agrarijs ordinibus deliberatâ, ex eorum consensu ad Georgium Stenkium Teutoburgium, qui Translauicanis pro Carolo V. Imp. tum præerat, legatos misit, ac deditionem obtulit. Atq; ille edoctus celeriter de voluntate Mariæ sororis Caroli Imp. Belgij Gubernatricis, ad quam scripserat, sine morâ cum ijs, quas in promptu habebat, copijs Groningam profectus, cùm de conditionibus imperandi parendiq; conuenisset, ciuitatem ordinesq; agrarios simul in fidem Caroli Imp. Brabantiæ Ducis & Hollandiæ Selandiæq; Comitis, & Frisiæ ac Transisalanæ Domini, velut vnius Reip. populum recepit die Iunij mensis 8. anno, quē dixi, 1536.

An. 1536. Carolus Geldrus pacta violat.

Groninga & socij in agro in fidē Caroli V. Cæsaris Ducis Brabant, &c. conceduut.

totius prouinciæ ordines, qui Amaſo & Lauicâ continentur, retinerent iura & priuilegia ſua per manus à maioribus accepta, leges patrias, ſtatuta, conſuetudines: imperium Præfecturæ veteris, & Selvverdicæ ſuburbanæ eſſet ac maneret ciuitatis: munitiones per agrum omnes, quæ iam eſſent, euerterentur; nec aliæ in futurum extruerentur, niſi id defenſionis requireret neceſſitas: domus Principe digna, ſed inermis & immunita Cæſari ædificaretur in vrbe, ſumptibus prouinciæ totius: reditus ex agro ſoluerentur Cæſari & hęredibus eius quotannis duodecies mille aureorum Carolinorum. *Dammona capta, à Teuteburgio totâ Drentiâ Geldri eiecti, VVedda, Couerdiaq́; captæ, bellum ex vniuersâ illâ viciniâ, eodem adhuc anno profligatum. Deniq; Decembri menſe pax inter Burgundicam domum & Geldrum compoſita. Conditiones dictæ inter alias*, vt fœderi Gallico, Holſatico, aliiſque contra Cæſarem & ſubditos eius initis, Geldris renunciaret: valediceret iuri omni in ciuitatem & agrum Groninganum, Drentiam, Tuentiam, ſi quod haberet, aut habere ſe putaret. *Ea pax publicata Groningæ die 17. Decemb. lætiſſimisq́; animis ab omnibus accepta, cùm omnes bellorum tæderet. Ab hoc tempore vixit ciuitas cõcors cum agri ordinibus, manſitq́; in vſu ac poſſeſſione iuris prioris de Houetmannis & Houetmannorum poteſtate, de ſtapulâ rerum*

 venalium,

ſed pœnarum exſecutionem vſque ad ſententiæ prouiſionalis promulgationem ſuſpendere. *Et cùm pars neutra iuſſui ſatisfeciſſe videretur, ad documenta quod attinebat, idem denuò die 14. Maij præcepit vtriſque, vt apud Houetmannos cognitores cauſam agerent ordinario modo vſq; ad momentum ferendæ ſententiæ: Houetmannos iuſſit acta ea omnia exhibere ſibi: intereà Oldermannus id obſeruaret, quod antè erat mandatum. Quod ipſum cùm iniquiùs putarent oppidani de Oldermanno (nam extractum iri in longum actionem rebantur, atq; intereà ſine neruo futurum ius ciuitatis) rem ad Margaretam Parmenſem gubernatricem Belgij retulerunt. Illa cum ſenatu ſuo commodè interpretata ſententiam Arembergij benignè reſpondit, mandauitq;,* vt ab Oldermanno damnati cautionē præſtarent in euentum litis de ſoluendo iudicato: *& ſimul quæ ſpecies rerum venalium litigioſarum intelligerentur ſententiâ Arembergij comprehenſa. Id factum Bruxellæ die 14. Maij, anno 1561. Poſt quæ pendente iudicio rurſus inſtitutæ actiones amicæ ad componendam controuerſiam, demumq; huius ergò cum mandatis in vrbem miſſus Philippus Cobelius ex ſecreto ſenatu regio: cuius prudentiâ & induſtriâ effectum, vt in capita certa, de quibus erat controuerſia, formata ab ipſo pars vtraq; acquieſceret, & conſentiret, quæ vim iuris haberent interea, dum iudicio integro tota cauſa finiretur. Conſenſus is ſolenniter initus & ſignatus in curiâ Groninganâ die 4. & 5.* *Philippus Cobelius.*

 Auguſti,

Conuentio autore Philippo Cobeko.

Augusti, anno 1564. Capitum pracipua fuêre: In frumento ἐπιχωρίῳ & ceruisia id seruaretur, quod est fœdere anni 1482. definitum: pecora equini & bubuli generis venalia Groningæ in foro sisterentur, ista biduo, hæc vno die horis antemeridianis: quo facto, liceret, soluto vectigali vsitato, quolibet abigere: butyrum, casei, lardum, seuum, adeps, terga bubula Groningæ & non alibi venum proponerentur, venderenturúe: peregrino nihil horum, nec pecorum, nec cæterorum emere in agro liceret, in foro Groningano liceret cuiuis, ciui, agricolæ, peregrino, liberaque emptorum exportatio esset vectigali soluto. Mercatus solennes in commodū negotiationum plures in vrbe instituerentur. Exempta fori iuri essent pecora passionis causa aliunde in agrum adducta: venalia nauibus aduecta si esculenta & corruptioni subitæ obnoxia sint, ius esset vbiuis in agro distrahi: reliqua durabilia cuiuscunque generis, frumenta, legumina, saperdæ, aleces salitæ, ligna, lapides, calx, ferrum, carbones, similiaque non venundarentur intra horas 24. vt copia veniendi ad portus ciuibus esset: tum coniunctim cum ciuibus tantum emerent agricolæ, quantum ad vsus suos domesticos haberent opus; & post alteras horas 24. si quid mercium esset reliquum, id emere etiam institoribus agrariis

non

non esset vetitum. Quin imò si quis agri incola etiam post primas horas 24. in vsum domesticum aliquid emptum ex his vellet, quæ iam à ciuibus sint empta, mercibus nondum loco motis, ei id negari eodem, quo prima emptio facta, pretio exhibito non liceret. Mercatores agrarij vectigal aut portorium soluerent in vsum agri. Quæ quis ex agri incolis aliunde importaret, onere stapulæ essent libera, quemadmodum & omnia reliqua in his capitibus non nominata. Postremò nemo ad iusiurandum ab Oldermanno adigeretur apud iudices mercaturæ præfectos sine præcedente documento legibus sufficiente: atque in hoc ipse Oldermannus & iudices iusiurandum darent Reipub. *Verùm cùm ne his quidem conditionibus contenti possent esse agrarij, Albano Duce rerum potiente in Belgio, rursus ad eum querelas detulere: Ille causâ cognitâ anno 1571. die 7. Augusti decretum iterum interposuit, verbis varians à capitibus his, re penè idem. Eius summa hæc:* Groninganis integrum sit ius stapulæ & mercatum in butyro, caseo, pecore equino bouinoque, frumento omnis generis: quorum nihil liceat exportare, nisi Groningæ venale habitum ab horâ matutinâ ad meridiem. Nulli peregrino liceat quicquã siue ἐπιχώριον siue ἐπείσακτον in agro emere aut vendere: in vrbe liceat: attamẽ liberum eidẽ sit ea,

Decretum Ducis Albani.

quæ

quæ ipſe aduexerit, in ipſis portibus, aut propè eos è nauigiis venundare, cui volet. Vitandæ fraudis causâ, quæ Groningæ promercalia fuêre, ea à præfecto ad id dato in indicem referantur, vaſaque butyri notâ inſigniantur. In trutinâ vrbanâ pondera ſint vniformia: nec ciuis, nec agri incola negotiationibus deditus menſibus Maio, Iunio, Iulio, Auguſto iumenta aliaúe quæſtus faciendi causâ per agrum emere ius habeat, reliquo tempore reliqua mercimonia fœdere anni 1482. non comprehenſa ius habeat quouis loco, nec tamen liceat nundinationes inſtituere præterquàm Groningæ. In vſum domeſticum cuiuis in agro quiduis quocunque loco & tempore emere liberum ſit. Contrà feciſſe deprehenſus primò aureos florenos 25. ſecundò 50. Oldermanno pendat; tertiò, & deinceps arbitrali mulctâ puniatur: mulctæ trientem ciuitas, alterum fiſcus regius, tertium Oldermannus capiat. Hic iuramento neminem adigat, niſi ſemiplenâ probatione conſtrictum: citra eam ſi quem in iudicium trahat, in ſumptus ipſe damnetur. Putans ſe iniquâ ſententiâ apud mercatorum aut Oldermanni tribunal grauatum; ſi ex agro ſit, Houetmannos; ſi ciuis, Senatum appellet, niſi aliud à rege decretum fuerit: Houetmanni & ſenatus compendioſè litem expediant. Ciuitas nõ miſceat

ſe

ſe vectigali vinario & ceruiſiario, cui acciſæ nomen, in agro: ſed id agrariis impendendum vſibus agri relinquat. Publicanus aut quæſtor rationes de eo reddat quotannis coràm prætore regio, aut Houetmanno, & ab agrariis ad id delectis. His additum aliquid de conuentibus. Si quid in his dubij inciderit, eius explicatio aut definitio penes regem ſit, eiusúe in Belgio gubernatorem. Hoc decreto perempta ſint acta omnia priora ad hanc controuerſiam pertinentia. *Sed iſto quoq; repudiato decreto, quadriennio poſt, cùm Groningæ coiſſent agrarij, vt ſe vinculis his ſemel exuerent, fœderi ac ſocietati omni, quam cum oppidanis habebant, renunciarunt ritu ſolenni. Id fuit anno 1576. menſe Ianuario. Quo facto, cùm pergerent nihilominùs oppidani, vti ſolent, & poſſeſsionem vſu tuerentur, illi oppoſuêre ſe; proteſtari acriter, iudicij miniſtros repellere, mandata contemnere, conuentus ſeorſim habere, ad regium ſenatum prouocare: regius ſenatus præcipitantiùs quàm par erat decernere, & in fraudem ciuitatis id quod ab Albano ſcitum interpretari. Interea pace Gandauenſi promulgatâ, capto Groningæ à militibus ſuis Caſparo Robleſio præfecto regio, Georgio Rennebergio in locum eius ab Ordinibus generalibus ſuffecto, creſcente indies diſſenſione & odio inter partes, agrariis noua collegia, noua tribunalia inſtituentibus, re ad tumultus atq; arma ſpectante, tandem Rennebergius velut Reipub. ſtudio ad*

Acciſa.

Agri ordines fœderi renunciant.

auertenda pericula & conſtituendam prouinciam, conuentum Ordinum eius indixit in vrbe ipſis Kal. Nouembr. anno proximo 1577. Illic cùm ſtatim in initio altercationes eſſent ortæ, contumaciusq́; & ferociùs agere ac loqui agrarij viderentur, quàm ferendum oppidani putabant, quotquot illorum aderant (nec enim venerant omnes) ab his in cuſtodiam ſunt dati. Hinc maior ſecuta animorum exacerbatio; cui medendæ, ac ſarciendæ concordiæ (periculoſius enim ignis ille videbatur, qui toti Belgio in iſto rerum ſtatu poſſet malo eſſe) ab Auraico Principe & generalibus Ordinibus Groningam miſſus fuit ſummi ingenij, ſummæq́; doctrinæ & autoritatis vir Philippus Marnixius Aldegondius, & cum eo Sillius iureconſultus Ordinibus à ſecretis. Eorumq́; ſtudio tentata actitataq́; multa, conditiones ſcriptæ induciarum litis; poſtremò cùm confici res non poſſet, agrariorum nonnulli clam mandatum dedére Bartholdo Entenio, vt militem ſcriberet, ciuitatiq́; bellum faceret: atq; ille vt erat naturâ acer, & in partibus feruens, abſq; morâ menſe Februario ſequente arma per Drentiam mouit. Ciuitas verò cùm id audiſſet, celeritate vſa, armatis ciuibus & cohortibus aliquot emiſſis priuſquàm copiæ eius omnes coire poſſent, disiectis primùm quæ occurrerant, & prætoria quoq; cohorte fuſâ, in arcem Couerdiam malè tum munitã ipſum confugere, & die 22. Februarij ſeſe dedere coëgit, captiuumq́; cum ſocijs in vrbem abſtraxit. Quo tempore ſanè adeò fuit inopinâ re aſperata plebs, vt vix à furore eius

captiuum

captiuum seruare rectores potuerint. Sic oleum camino rursus affusum. Et tamen denuò iterumq; binis comitiis compositio tentata, sed sine fructu. Demùm legati ad Matthiam Austriacum nouum Belgij Gubernatorem, Principemq; Auraicum, & generalium Ordinum Senatum Antuerpiam à partibus missi. Illic intercedente & allaborante ipso Auriaco cum Comite Suartzburgio, duobusq; è senatu alijs, quibus erat id à Matthiâ ac Senatu demandatum, tandem in hæc capita à legatis inita consensio est: Ab armis & vi vtrimque abstineretur, captiui à ciuitate dimitterentur, restituerenturque in integrum, cum cæteris vim passis; sententiæ à tempore συῤῥάξεως huius latæ haberentur pro nullis, iniuriæ alternæ obliuione essent inductæ. Groningani manerent in possessione iuris pristini, præsertim eius, quod antè annum 1571. tenuerant, idque tamdiu, donec de controuersiâ in iudicio esset pronunciatum: cognitores in eam rem darentur à Matthiâ Gubernatore è senatu Ordinum Belgicorum: apud hos vtrique rem agerent, & producerent ea, quæ pro causâ suâ facere arbitrarentur: interim & à cognitoribus transactio amica tentaretur inter partes, conficereturque, si posset. Processus finiretur intra biennium: id si fieri non posset, terminus pro necessitatis ratione à Gubernatore proferretur. Si qua pars cum culpâ

Conuentio Antuerpiana.

culpâ ſuâ in mora eſſet, 100. marcas auri mulctam daret, & quidem toties, quoties hoc committeret, ac nihilominùs pro more iudicij in causâ pergeretur. Cognitione finitâ, cuncta ad Gubernatorem referrentur: Gubernator adſcitis in conſilium ſibi è ſenatu ſecreto, vel collegio maiore Mechlinienſi, viris prudentibus tot, quot poſcere rem putaret, contra quos excipere partes non poſſent, ex actis iſtis ſententiam ferret, cui ſine contradictione parendum vtrâque à parte eſſet. Intereà vtrique à vi & iniuriis mutuis verborum factorúmque ſibi temperarent ſub pœnâ amittendi iuris ſui, & 1000. inſuper marcarum auri: ac ſi priuatim aliquis contrà delinqueret, pœnam ferret pro delicti modo. Agrariis verò durante hac actione liberum eſſet, quoties & quocunque loco vellent ob res ad hanc cauſam pertinentes, quæ ad oppidanos non pertinerent, inprimis ad conficiendam in ſumptus litis pecuniam, conuentus agere ſeparatim, & tributum decernere, dummodò oppidanos & eorum res in hunc vſum non grauarent: conuentionem hanc partes vtrimque in conuentu Ordinum ſuorum probarent, & ſibi mutuò cauerent, ſub pœnis iam dictis: quinimò iuramentum darent præſidi prouinciæ ſuæ, (*vt tum erat Rennebergius, qui cis vltraq. Lauicam Friſiæ, item Tranſiſalanis,*

lanis, Drentia & Linga praerat) fideliter se seruaturos ac præstituros hæc omnia, & si quid contrà committerent hi aut illi, executorem pœnæ eundem hunc non recusaturos: postremò, quò firmiora, & certiora essent omnia, partes, conuentione hac probatâ, procuratores ex sui medio ederent, scriptisque mandatis ad eam rem idoneis instruerent, ijque porrò Matthiæ & Ordinum senatui potestatem darent iudicandi & condemnandi in capitibus his omnibus, vt omnia hæc effectum sortiantur. *Actum Antwerpiæ die 30. Maij. anno 1578. Subscripsêre Princeps ipse Guilhelmus, Guntherus Suartzburgius, N. Lysfeldius, Iacobus Imannus, & duo agrariorum legati, duo item oppidanorum, quorum alter clarißimus atq; optimus, & magnæ doctrinæ vir Regnerus Alberda vrbis Consul. Sed reuersi domum legati animos suorum, adeò etiam tunc exulceratos repererunt, vt exigua spes conficiendæ concordiæ esse videretur. Quapropter idem consul cum senatore prioris quoque legationis socio Antwerpiam remissus fuit: submissusq; ei, cum res traheretur propter difficultatem, & negotiorum aliorum multitudinem, Iacobus Hillebrandus ante decennium consulatu functus, vir grauis, propterea quòd res noua & inopina rursum interueniens, ciuitatem offenderat. Nam agrarij plerique, quos comprehensos dixi, quibusq; hæc iam gratia à ciuitate facta erat, vt in liberâ custodiâ intra vrbem de-*

 gerent,

gerent, communicato inter fe clam confilio contra datam fidem eodem die, eâdemq́; penè horâ varijs vfi technis è cuftodiâ fe eripuerant. Tum nequid maioris inde mali forfan exifteret, cùm caufa integra tam fubitò cognofci componiq́;, & gratia reftitui non poffet, ex confilio ac voluntate Principis Guilhelmi, fenatusq́; generalium Ordinum Matthias edictum interpofuit. In eo iußit, vt qui apud Groningaнos in cuftodia reliqui erant, atque ipfe fimul Bartholdus Entenius, ftatim dimitterentur: omnes à vi & factis fibi temperarent: controuerfias fuas, & hanc captiuitatis, fugæ, motorum armorum, aliarum iniuriarum aut criminum caufam iudicio æquo & legitimo, quale in conuentione priore defcriptum, permitterent: dein cætera omnia eâdem conuentione comprehenfa haberent rata, & fine vitio feruarent. Entenius & cæteri è cuftodiâ dimittendi obligarent fe, iudicio fe ftaturos, & iudicato fatisfacturos. Oppidanis reftitueretur poffeffio iuris prioris fine defectu & fine morâ, in quâ turbati ab agrariis erant, eaque ijfdem maneret ad latam vfque fententiam: Similiter agrarij ab oppidanis reftituerentur in integrum in rebus vnde controuerfiæ huius caufa erant deiecti. Præfes Rennebergius, & reliqui eius viciniæ præfecti inferiores, viderent, curarentque diligenter, ne quid contra decretum hoc à quoquam

Decretum Matthiæ Auftriaci, Belgij gubernatoris.

NOTA.

quam

quam committeretur, committentesque ne ferrent impunè. *Signatum Antwerpiæ die 24. Octobr. anno eodem 1578. Nec diu post reuersis iam secundò ad suos legatis dimissi captiui reliqui. Sed occultis consilijs Rennebergij Hispanicas partes iam tum respectantis impedita omnia, atq; ita sensim directa res, vt oppressis melioribus in ciuitate, & in carcerem detrusis, conspirantibus cum eo, quibus odium religionis, studium rerum suarum, patriæ incuria inerat, ciuitas in partes Hispanicas sit delapsa. In eo rerum suarum statu ciuitas actionibus partis aduersæ prouocata controuersiam, & conditionem suam ad Principem Parmensem, qui tum pro rege Belgio præsidebat, retulit, eiusq; opem rogauit. Parmensis ex libellis & adiunctis documentis causâ cognitâ, & cum secreto Senatu regio communicatâ, ex eius sententiâ in hunc modum decreuit.* Ob studium tuendæ seruandæque Romanæ Catholicæ religionis, & fidem ac obsequium constans erga regem Groningani habento ad tempus totum ius stapulæ rerum promercalium tam peregrinarum quàm in agro vicino nascentium. Oldermanno potestas esto contra hoc ius delinquentes ad tribunal societatis mercatorum huic quæstioni destinatum trahere, ac reos agere; condemnatique si velint Senatum ciuitatis tantùm, nec quenquam alium appellanto: is in executione moderatione & æquitate vtitor, ob afflictam fortunam

Decretum Principis Parmẽsis, *Belgij gubernatoris.*

agrariorum. Cereuisiæ in tabernis cauponariis ac diuersoriis vsus non esto, nisi Groninganæ: delicta contraria modo solito puniuntor. Opificia per agrum non exercentor in fraudem societatum oppidanarum, seruatorque in hoc sententia anni 1520. die Veneris post Pentecostes lata ab arbitris. Ius administrator per legatum regium & quatuor Houetmannos à Senatu oppidano delectos more solito: omnesque agri incolæ potestati & iudiciis edictisque eorum parento: Iudices & officiarij nuper contra morem solitum iudiciorum causâ instituti abrogati suntó: tributa aut onera alia publica toti regioni aut prouinciæ communia non decernuntor, promulgantor, colliguntor, nisi Ordinibus per legatum regium & Houetmannos conuocatis, & re in eorum & oppidanorum conuentu deliberatâ & probatâ. In ijsdem conuentibus vtriusque partis negotia omnia totius Reipub. prouincialis tractantor. Ærarium commune vnum esto: Acta omnia, pacta, fœdera, conuentiones, decreta his contraria irrita, ac pro nullis sunto. Hoc decretum valeto, donec Rex ipse causâ cognitâ sententiam ferat. *In calce addit, de vectigali petito, se cum commendatione ciuitatis ob summam fidem & studium in regem & regias partes ad regem relaturum: sperare, si ciuitas in eâdem fide & studio*

ac ob-

ac obsequio perstet, regem non negaturum, sed insuper nouis & amplis priuilegiis ad reparandam pristinam fortunam eandem ciuitatem ornaturum. Signatum Valenchenæ die 15. April. anno 1581. Et *hoc decretum Philippus Rex, cùm ad eum hac de causâ legati in Hispaniam missi essent Ioachimus Vbbena Consul, & Ioannes Goudanus vrbis Syndicus, causamq; totam Parmensis commendasset, prolixo diplomate, repetitis omnibus decreti huiusce verbis, sed abrogatâ Parmensis sanctione, laudatâ prolixè ciuitatis fide & constantiâ, & meritis egregijs, confirmauit Olysippone in Lusitaniâ, cum annus ageretur 1582. die vltimo Octobris: iussitq; esse perpetuum, ac pro priuilegio à se dato haberi. Simul eodem die locoq; aliud diploma ciuitati dedit de tributo cereuisiario, sanxitq;*, vt id, quod ex Albani decreto agrarij soli tractarant, & in rem verterant suam, ciuitati esset cum ordinibus agri commune, eique ærarium poneretur in vrbe seris clausum duabus, pendereturque in res communes parti vtrique, ex voluntate & consensu coniuncto: *Atq; hoc iure vsa ciuitas est, quantum licuit, ad annum vsq; 1594. quo anno ad societatem fœderis Ordinum Belgicorum, relictis partibus Hispanicis, restitutis & ad gubernacula locatis exulibus, magistratu priori exautorato, redijt. Tum repetitis veteribus querelis ab agrarijs, iudicium de controuersiâ Ordinibus generalibus integrè permissum. Ab his mox in initio tres intercessores aut arbitrato-*

Diploma regis Philippi.

Accijs.

Groninga societati fœderis Belgici restituta.

tratores dati, viri clarißimi & πολιλκλύτατοι, Elbertus Leoninus Geldriæ Cancellarius, Sebastianus Lose summæ in Hollandiâ Curiæ senator, Ioannes VVittenius Consul Campensis, intimâ mecum amicitiâ coniunctus, omnes in senatu & consilijs Ordinum generalium diu versati, qui si possent, vnâ cum illlustri Gubernatore D. GVILHELMO LVDOVICO Comite Nassauio cōtrouersiam inter partes componerent amicè: si nō possent, statuerent pro tempore, quod quieti & regimini expedire videretur, tantisper donec pleniore iudicio cognitâ causâ omnia definirentur. Ii, adhibitâ summâ diligentiâ & studio cum gubernatore, cùm frustrà diu in compositione controuersiæ vniuersæ laborassent, tandē ea, quæ ad formam & ordinem politiæ prouincialis in hac cōiunctione cum Ordinibus fœderatis, & ad pecuniæ cōmunis administrationem faciebant, acceptâ in id plenâ à partibus potestate, primum constituerunt. In his sciuerunt antè omnia, vt ciuitas & ager vna sint prouincia in perpetuum sub vno Gubernatore: vt conuentus prouinciæ communes sint vtrique parti, habeanturque non alibi quàm Groningæ. In primis collegium nouum instituerunt ad modum cæteris in prouincijs fœderatis vsitatū, in quod quatuor viros oppidani, totidem agrarij darent, coniunctionis atque vnitatis vinculum & neruum: eius collegij munus esset curare & administrare pecuniam prouinciæ ex tributo & vectigali prouenientem in vsus pacis

Decretum 3. virorum ab Ordinibus generalibus delegatorum.

cis & belli, bona item monaſtica in ærarium ,,
commune relata: adhæc dare operam, vt reli- ,,
gio vera propagetur & conſeruetur, exercitio ,,
erroneæ locus non detur, ne qua fraus bonis ,,
Eccleſiaſticis & ſimilibus ad pios vſus à maio- ,,
ribus deſtinatis fiat: prouinciæ ordines ad ,,
conuentus, cùm opus eſt, abſente Guberna-
tore conuocare, in conuentibus deliberanda
proponere, Ordinum ſuffragiis decreta exe-
qui, denique partem curæ & poteſtatis in iis,
quæ belli ſunt, cum Gubernatore, tenere.
Collegij caput ſit Gubernator, iſque in eo
compareat quoties velit aut poſſit: collegæ
viciſſim præſideant per ſeptimanas, & alter-
natim ex vrbe aut agro. Collegio quæſtor
etiam additus communibus ſuffragiis legen-
dus tractandæ pecuniæ; itidem ſcriba à ſecre-
tis, oſtiarius, miniſtrique inferiores alij: *Præ-
tereà ſic ſtudio atq; autoritate eorundem inter partes
conuenit*, vt duo ſemper ex hac prouinciâ aſſeſ- ,,
ſores ſint in collegio generalium Ordinum, ,,
qui cum cæteris deliberandi & ſtatuendi po- ,,
teſtatem de rebus fœderis habeant, alter ex ,,
oppidanis, ex agrariis alter: vnus item in ordi- ,,
num ſenatu, & vnus in ſenatu rerum mariti- ,,
marum, idque alternatim, ita vt ſi iſte ex vr- ,,
be fuerit, hic ſit ex agro, & contrà: Prouin- ,,
cia pro modo virium certam partem ſuſtineat ,,
onerum, quæ tuendo fœderi ſunt neceſſaria: ,,

in negotiis prouincialibus aut communibus vno vtatur sigillo ex vrbano & agrario confecto. Ciuitas in consessibus & actionibus ac rebus omnibus priores partes teneat, agrarij secundas: in suffragiis tamen pares sint: quæ si discrepent, delectis pari numero vtrâque à parte permittatur res: qui & ipsi si nequeant consentire inter se, Gubernator suffragio suo dissensionem dirimat. *Et hæc ex partium consensu. De mercatus iure, & controuersis rebus alijs sic, vti iudices, pronunciarunt.* Ciuitas in possessione iuris stapulæ pariter in rebus in agro natis & peregrinis maneto: propolæ & propolia in agro non sunto: de cereuisiæ vsu res maneto in eo statu, in quo solet ex fœdere esse: Houetmanni quoque ad iudicandas res relinquuntor ijdem, & eâdem in potestate, qui & quâ in potestate constituti sunt ab Ordinum senatu statim in initio deditæ Groningæ. Cuncta hæc valento, quoad ab Ordinibus generalibus in pleno possessorio, aut petitorio aliter fuerit definitum. Quæ contra hæc ab agrariis quoquo modo acta, cœptaque, irrita sunto; nec fas esto, imposterum quicquam eosdem impediendis his tentare: contrà commissa ex legibus puniuntor: quæstio de accisis, vti vocant, euanescito ex partium consensu. Omnia hæc, quæ hac sententiâ definita sunt, vt effectum suum sortiantur sine morâ

Sententia eorundem 3. virorum.

Accijs.

morâ ac sine vitio, & sarta tecta seruentur, Gubernator, & Houetmanni operam danto. *Pronunciatum præsente Gubernatore, & parte vtrâq; die 17. Februar. Iuliani, anno 1595. Groningæ. Sed agrarij autore Verrucio Syndico, iurisconsulto eximio offensi pronunciato non solùm abrogationem huius, sed etiam reformationem aut reductionem totius causæ Ordines generales flagitarunt. Ab Ordinibus noui iudices numero 9 peritißimi quiq; dati, hisq; cognoscendi definiendiq; summa potestas tributa. Hi totâ re diligenter excußâ & consideratâ tandem anno 1597. die 11. Ianuarij Iuliani in consessu generalium Ordinum, patentibus conclauis valuis, sententiam tulêre.* **Iudices controuersiæ ab ordinib. generalibus nati.** *Quæ vt intelligi poßit, quæ partium postulata fuerint, aperiendum. Agrarij ordines secuti vestigia consiliorum priorum de soluendo fœdere, diuortium postularunt, separationem integram, per quam sibi consulerent seorsim, suamq; tenerent remp. diuisam à ciuitate, nec quicquam cum hac haberent commune, præter viciniam & commercia libera.* **Postulata partis vtriusque.** *Speciatim verò Houetmannorum à senatu oppidano datorum iurisdictionem recusabant omninò, conuentus habere suos, quando & vbi commodum sibi, seclusa ciuitate, in ijs de repub. consultare & statuere, collegium prouinciale suum tenere, iudices summos ex se edere volebant: ius fori rerum venalium in oppido, & id quod de frumento & cereuisiâ dixi, ex fœderibus promanans, in vniuersum rescissum cupiebant. Minora mitto. Ciuitas contra, coniunctionem*

 solitam

folitam fummâ ratione inftitutam olim, longiffimoq; tempore probatam, tranfactionibus & decretis multis roboratam, pofcebat: Houetmannorum electionem & poteftatem ex more prifco, & quæ cum eâ cohærent, pactum item vetus de cereuifiâ, legem de frumento ἐπιχωρίῳ, deniq; ftapulæ ius integrum in omnibus rebus venalibus domi natis aut peregrinis & importatis, relinqui fibi, & firmari petebat. Iudices pronunciarunt hoc modo: Sententia trium virorum deputatorum anno 1595. lata abrogata efto. Ciuitas & ager vna prouincia, vna ditio funto, & coniunctim ab ordinibus fuis reguntor. Omnia iura & reditus, qui quondam Principis fuêre, omnes item ex tributis recentibus omnis generis prouenientes pecuniæ exercentor, & impendantor, quò debent, ex confenfu communi partis vtriufque: monafteria & bona monaftica, & quæ eius generis in vrbe & agro, item in Præfecturâ vetere & fuburbanâ coniunctis fententiis conferuntor in vfus pios: ad adminiftrationem pecuniæ publicæ & cenfuum, ac ad ea, quæ ab ordinibus decernentur exequenda & efficienda deliguntor viri idonei pari numero vtrâque à parte, iisque mandata & muneris limites præfcribuntor, cuiufmodi è re effe prouinciæ ordines putabunt: intereà collegium ante biennium inftitutum, eâ formâ, quâ inftitutum eft, maneto tantifper donec hæc erant con-

Sententia Iudicum 9. virorum definitiua.

confecta: munera à Principe conferri aut committi solita ab ordinibus coniunctim conferuntor & demandantor. Camera iustitiæ, vti vocant, id est tribunal Houetmannorum, & eius præses (legatum dicunt) & officiarij cæteri istuc pertinentes, exceptis ipsis Houetmannis, quos sola ciuitas edet, constituuntor, committuntor, iuramento obligantor coniunctim ab ordinibus prouinciæ, vt nomine reipub. aut potestatis superioris ius dicant ex legibus prouincialibus, & consuetudine antiquitus receptâ, in caußis ab anno 1521. ad annum 1560. in hoc tribunali cognosci solitis:
prouinciæ totius negotia neutra pars ,,
seorsim, nec quisquam omninò partis al- ,,
terius extra conuentus prouinciales tractato. ,,
Agrariis liberum esto negotiari cum quibus- ,,
libet, quocunque loco, quibuscunque in mer- ,,
cimoniis ijs libitum erit: exceptis rebus quæ ,,
in agro proueniunt aut sunt, vt butyro, ca- ,,
seo, equis, bubus, frumento, quarum expor- ,,
tatio vetita esto, nisi antè Groningæ promer- ,,
cales fuerint: Et tamen agrarij ius habento ,,
mercandi & vendendi mutuò in vsus rei suæ familiaris, etiam ea, quæ Groningæ promercalia non fuêre. Si de formâ ac modo habendi forum conuenire inter se partes non potuerunt, compendio ea, quæ controuersa ipsis sunt, exponunto; sententiam generalium

Ordi-

„ Ordinum de ijſdem expectanto. Agrariis liberum eſto cereuiſiam in vſum familiæ ſuæ coquere; venundandi quæſtusquė faciendi causâ, non eſto; nec in tabernis aut diuerſoriis vllius cereuiſiæ præterquàm Groningana vſus per totum agrum conceſſus habetor. Groningani in poſſeſſione loci prioris in ſcribendo, ſignando, ſedendo, ſuffragiis ferendis manento, pariaque ſuffragia in actionibus & deliberationibus prouincialibus retinento. Suffragiis inter ſe pugnantibus omnes modi & rationes æquæ & vſitatæ adhibentor ad ea concilianda: ſi id non ſucceſſerit, per Gubernatorem, & delectos ab vtrâque parte pari numero diſſenſio dirimitor, vſque dum modus alius melior fuerit ad hanc rem repertus & introductus: conuentus Ordinum indicuntor ſuffragiis Ordinum eorundem congregatorum, aut edicto Gubernatoris, aut denunciatione eorum, qui eâ de re mandata habebunt, idque ijs locis, qui idonei maximè videbuntur. Acta, nouationes, vſurpationes, quæ aduerſantur his, ac impedimento ſunt, abrogata & pro nullis ſunto, nec quicquam imposterum ſimile tentator: De ſubſidio ab agrariis petito ad ſolutionem æris alieni veteris, & impenſas neceſſarias, quoniam non ſatis adhuc res liquet, ijdem tenentor æs illud alienum & impendia neceſſaria apud Ordi-

nes

nes generales exponere, vt re cognitâ ab iis statui & ferri sententia possit. Omnia hæc saluo iure fœderum & pactorum inter prouincias socias in Belgio, & sine diminutione autoritatis Ordinum generalium & Gubernatoris, quæ ex transactione Groninganâ anni 1594. aut alias his debetur. Postremo postulata reliqua partium reijciuntur, & sumptus compensantur. *Pronunciatum die 11. Januar. anno 1597. Subscripsit nomine Ordinum generalium AERS. Verùm ex sententia huius verbis cùm noua lis esset orta partibus, ea ad Ordines generales iterum relata, ab ijs cognitio & iudicandi potestas prioribus iudicibus delegata fuit. Hi à biennio, anno scilicet 1597. die 27. Febr. Iuliani partim interpretantes sententiam priorem, partim illiquida definientes, hunc in modum pronunciarunt denuò:* Omnes merces aut res importatæ in agrum, etiam si in agro iam sint, non sint obnoxiæ stapulæ iuri, easque emere, vendere, commutare inter se agrariis liceat: exceptis equis, hinnulis, bubus, vaccis, trimestre longiusúe tempus in agro pastis, qui in agro natis accenseri & fori oppidani iuri subiecti esse debent. In agro nata & stapulæ subiecta non alia censeri debent quàm hæc: butyrum, caseus, equi, pulli, boues, vaccæ, triticum, secale, hordeum, auena, far: atque hæc omninò, ni ante promercalia Groningæ fuerint, distrahere in agro licitum non sit.

Sententia altera eorundem iudicum 9. virorum.

fit. Sub ijs, quæ in vſum rei familiaris vendere & emere licet, etiam ea comprehendãtur, quæ lanij, piſtores, propolæ, aut inſtitores in vſum rei ſuæ in agro coëmunt, vt minutim rurſum vendant. Agrarius peregrino vendens res ſuas fori iuri ſubiectas immunis à pœna ſit, niſi conſtiterit, ſciſſe, peregrinum eſſe, quo cum contraxit. Houetmanni ab oppidanis electi, ab Ordinibus totius prouinciæ poteſtatem iudicandi accipiant, & ijs, ac apud eos Sacramento ſe obligent ex formâ ſolenni, in ſententiâ aſſcriptâ. Antè hoc Sacramentum præſtitum Houetmanni pro Houetmannis non habeantur, & acta eorum velut non acta cenſeantur. Præſes, Houetmanni, ſcribæ à ſecretis, accenſi, in fide ſint vtriuſque partis pari modo, nullo præcipuo ciuitatis iure præter Houetmannorum electionem: & officij limites ab vtraque parte ijs præſcribantur. Præſes & Houetmanni ſolam iuriſdictionem tractent in cauſis ſolitis ab anno 1521. ad annum 1560. poteſtatem reliquam magiſtratus, & politicum regimen agri non attingant: agrariis liceat ſeparatim ſuos conuentus habere in cauſis ad ipſos ſeorſim ſine ciuitate pertinentibus. Ordines huius prouinciæ, Ordines vrbis Groningæ, & Omlandiæ, agrarios ſolos Omlandios inter Amaſum & Lauicam appellare, rectum ſit. Agrarij vectigalia

nulla,

nulla, mercatus solennes, trutinas publicas instituant sine consensu Ordinum prouinciæ omnium: agrariorum postulatum de subdiuisione tributorum & onerum inter ciuitatem & agrum adhuc non audiatur: interim quod in onerum modo, quem pro rato prouincia hæc tenetur sustinere, ex tributis & censibus iam vsitatis solui non potest, id conficiatur ex quintâ censùs aut prouentus omnium bonorum immobilium, agrorum pariter & ædificiorum, rusticorum vrbanorumque, ex formâ anni 1577. & hoc seruetur, donec de modo alio partes conuenerint, aut aliter ab Ordinibus generalibus fuerit decretum. Cętera actionis huius nondum satis explicata ac probata explicentur & probentur pleniùs, vt ferri sententia possit; & teneantur oppidani rei respondere peremptoriè. Intereà quæ seruanda sint in vsu iuris stapulæ, recensent & præcipiunt ex formulâ Cobeliâ aut Albanâ, de tempore proponendi in publico merces, de loco, de indice earum, ex quibus vectigal fori solutum, de modo vectigalis certo in singulas mercium species: interdicuntque oppidanis institutione nouorũ vectigalium & aggrauatione veterum: addunt de trutinæ curâ & inspectione contra fraudes. Denique ad Oldermanne, & ijs qui illo in subsellio de stapulæ iure iudicant, subijciunt; statuuntque, ne Oldermannus carens

semi-

femiplenâ probatione quenquam ad iufiurandum adigat, vtque accufatus in hoc cafu velut innocens abfoluatur, Oldermannus verò in fumptus, & pœnam pro exceffus modo arbitrariam condemnetur: vt femiplena probatio habeatur: teftimonium affirmatiuum teftis iurati, modo is non fit in minifterio ipfius Oldermanni, qui reijci vt fufpectus poteft. Oldermannus & iudices hi nihil poteftatis, aut iurifdictionis fibi vfurpent in agrarios præter id, quod ad ipforum cognitionem propriè pertinet: Idem Oldermannus ad hoc tribunal fuum neminem citet ex agro nifi per mandatum Camere prouincialis, id eft, Præfidis & Houetmannorum: agrarij & peregrini à fententia huius tribunalis Houetmannos cum præfide, ciues fenatum vrbanum appellent, & recognitionem petant: *Huic fententiæ in confeffu Ordinum generalium pronunciatæ, & nomine eorundem à fummo fcribâ à fecretis fubfcriptæ, addidêre iudices ijdem aliam quoq, eodem die & loco.* In eâ concedunt agrarijs ad exfoluendum æs alienum tributum agro toti imponere fecundùm iugera per octennium eo modo, quem ipfi fufficere arbitrabuntur, atque infuper ex bonis monafticis ex decreto Ordinum generalium aureorum 16. millia capère: Vt tamen æs hoc alienum priùs liquidum fiat apud ipfos prouincæ Ordines, nec excedat fum-

Sententia tertia eorundem.

ſummam 64. millium aureorum, quam ſummam ipſi agrarij antè erant profeſſi: vtque quotannis de hoc tributo apud generoſum Gubernatorem, & delectos Ordinum prouincialium rationes reddantur; vt agrariis ijſdem liceat vectigal cereuiſiæ & vino in tabernis aut diuerſoriis publicis imponere, & ſingulis ſemeſtribus locare tanti, quanti id proximè fecerant oppidani, pecuniamque illam ſtipendiis impendere, ac ſalariis officiariorum ſuorum, & negotiis aliis neceſſariis: quòd ſi tamen vectigal annuum exceſſerit aureos quatermille, excedens pars vt cedat in ærarium commune, eiusque quæſtori numeretur. *In hoc ſtatu res iſta hæſit, donec à Dammonenſibus ſolis omnium agrariorum, haud inuitis tamen cæteris, nouus eſt puluis ciuitati excitatus: de quo paulò pòſt rurſum. Anno verò 1600. cùm iam controuerſiæ, quæ hactenus partes diſtinuerant, compoſitæ viderentur, in comitijs prouinciæ, leges latæ ſunt ab Ordinibus quibus munus & poteſtas collegij Deputatorum fuêre definita: Earum hæc ſumma.* Deputati in collegio ſint 6. pari numero vtrimque lecti, patriæ amātes ac fidi, viri integri, boniqne nominis, religioni reformatæ addicti, qui cum Gubernatore collegium conficiant. Hi iurent, prouinciæ fideles in omnibus ſe futuros, operamque daturos, vt tranſactio cum ciuitate inita ab Ordinibus generalibus anno 1594.

cùm ciuitas societati fœderis communis redderetur, item sententiæ inter diffidentes partes anno 1597. & 1599. latæ, sine vitio seruentur: iurent quoque sine partium harum aut illarum studiis, affectibusque in suos abdicatis, animis puris atque integris communes prouinciæ res se diligenter & fideliter curaturos administraturosque, vti maximè ex vsu atque vtilitate totius prouinciæ esse existimabunt: munera & ministeria alia si qua teneant, intereà se posituros, decreta comitiorum præterita & futura quàm exactissimè executuros: nullius iura in hac prouinciâ in exercendâ iurisdictione, in conferendis beneficiis, in vocandis ritè Ecclesiarum ministris & similibus rebus impediant: simul videant, ne quisquam bona huiusmodi piis aut publicis vsibus dicata in vsus proprios vertat, neu qui ius vocandi & conferendi habet, eam rem vltra tempus receptum hebdomadum sex differat: per collegas duos & Quæstorem generalem tributa & vectigalia iam vsitata tempestiuè singulis semestribus locent, quanti omninò queant, & à conductoribus publicanis sponsiones idoneas dari curent, per quas Respub. indemnis esse possit, nec permittant, vt Quæstor, aut quisquam alius munus à prouinciâ acceptum gerens, aut pecuniam prouinciæ tractans, vectigalia tributaque huius-

huiuſmodi conducit, aut in ſocietate cum conductorum quoquam ſit, aut etiam ſponſorem ſe præſtet: denique vt in eo ſint, ne quid in fraudem prouinciæ totâ hac in re à quoquam committatur, non à publicanis, non à prouincialibus; ne publicanis fraus vlla fiat, ne ipſi præter legem prouinciales affligant, vt lites inter eos ortæ, quàm citiſſimè expediantur: vt poteſtatem habeant cum Comite gubernatore militares præfecturas ſuperiores & inferiores vacantes conferendi, modò ij, quibus conferuntur, non diſpliceant prouinciæ Ordinibus, quod cognoſcendum proximè futuris comitiis: à reliquis verò curationibus aut muneribus quæſtorum, ſecretariorum, armentarij magiſtrorum, ſimiliumque tribuendis abſtineant, eamque curam comitiis relinquant: cùm militares præfecturas conferent, intraneos, modò idonei ſint, extraneis præferant: tributa ab omnibus prouincialibus exigant ſe verè, & nuſquam conniuentes, eaque in nullum finem alium, quàm in quem deſtinata ſunt, impendant; tributorum onerumue aliorum nihil ſine conſenſu & mādato Ordinum populum poſcant, hoc verò agant ſedulò, vt qui Reipub. tributi aliquid reſidui debent, ij quàm maturimè ad id ſoluendum compellantur. Porro cùm quid cuiquam ſoluendum decernent,

consignent hoc manibus suis si non omnes, saltem bini ex oppidanis, & totidem ex agrariis, & subsignet scriba à secretis, isque decretum hoc statim in volumen actorum referat: secùs si quid huius generis fiat, id in reddendis rationibus locum non habeat. Ijdem collegæ deputati in eo sint, vt qui Reip. militant, ijs stipendia integrè singulis quadrimestribus aut diebus 126. soluantur: curent quoque, vt quod cohortium præfectis numeratur in stipendia militum, hoc militibus statim pendatur sine fraude, sine quæsito eâ in re vllo quæstu, vtque in eos, qui contra delinquere deprehensi fuerint, animaduertatur grauiter, siue exautoratione, siue aliâ pœnâ grauiore: hocque obseruetur etiam hac in re, vt stipendij residuum præfectis cohortium non antè soluatur, quàm manibus suis testati fuerint inferiora militiæ munera in cohorte gerentes, militibus esse satisfactum; ac vt rationes acceptorum & expensorum quadrimestres non concludantur, nisi coram vtroque collegio & deputatorum, & λογιστῶν: curent similiter, vt equites pariter peditesque tum iusto numero in alis & cohortibus suis sint, tum armis pro ordinum ratione probè instructi: vt armamentario ne quid desit, quod ad apparatum pertineat; vt ex eo nec ipsi, nec alij, qui Rempub. gerunt, quæstum vllum faciant, aut


nego-

negotiationi huiusmodi quoquo modo se misceant: conueniant quotidiè exceptis diebus Dominicis & festis celebrioribus, aut ijs qui supplicationibus publicis sunt destinati, idque bis, semel antè meridiem, iterum post meridiem, sintque in actione per horas plus minus binas, prout negotia poscent. Præses post dictas ad Deum preces proponat agenda, singulorum collegarum sententias roget, ex consensu plurium concludat, conclusum per eum, qui à secretis est, in chartam referat, id executioni mandare satagat, secreta collegij reuelari non patiatur: operam det, vt in comitiis proponenda & agenda biduo antè comitiorum initium in scriptis exhiberi possit duplici exemplo, altero in oppidanorum, altero in agrariorum vsum: vt comitiorum decreta in mundum relata & oppidanis & agrariis tradantur: manu suâ subsignet acta & epistolas collegij; scribæ à secretis instet, ne is officio vsquam desit, sed omnia collegij acta, decreta, literas in volumen redigat: sigilli quoque custos sit, eoque rectè vtatur: extraordinarios sumptus collegium ne faciat, non ædificet, dona tribuat, pensiones assignet, munia noua instituat, sine consensu, aut iussu Ordinum, eorumue, qui ab ijs potestatem habent: denique cum generalibus Ordinibus, qui Hagæ sedem habent, & cum Ordi-

num eorundem ſenatu, adeoque cum iis, qui rebus maritimis præſident, conſiliorum conſociationem habeat: Reliqua ſunt de curarum & laborum, quos pro Repub. ſuſtinent, præmiis. In iureiurando quod Reipub. dant, promittunt, regi Hiſpaniæ, & omnibus qui cum ipſo faciunt, hoſtes ſe futuros, eorum conſiliis & conatibus obuiam ituros, fœderi ſociarum prouinciarum fideliter ac ſine vitio adhæſuros, ad propagandam, promouendam, tuendam religionem reformatam, & ad conſeruanda defendendaque iura, priuilegia, libertatem prouinciarum fœderatarum generatim, & prouinciæ huius inter Lauicam & Amaſum ſpeciatim: poſtremò ſibi commiſſum cum fide & diligentiâ adminiſtraturos, concordiæ & amicitiæ colendæ ſincerum ſtudium habituros, Reipub. prouincialis ſalutem pro viribus procuraturos. *Ab hoc tempore bonorum monaſticorum adminiſtratio deſiit eſſe penes hoc collegium, tranſlataq́ eſt ad collegium aliud huic curæ peculiariter deſtinatum, de quo dicam poſtea. Et iam Dammonenſes in cauſâ ſuâ agendâ erant toti, contendebantq́, ſe eo iure, quod cæteris Ordinibus agrariis per ſententiam irrogatum eſſet, haud teneri, quippè qui aliquid præ iis haberent præcipui, repetitâ memoriâ actorum tempore Mariæ gubernatricis Belgii cœptorum. Tandem verò diſceptato, quantum ſatis erat, negotio, à iudicibus delegatis ex volun-*

voluntate collegij generalium Ordinum Hagæ duæ sententiæ sunt latæ alia post aliam, prior anno superiore, altera hoc ipso 1615. ambæ verò eo verborum textu ac formâ, vt pars vtraq; in se victoriam trahat, ac non minùs quàm antè iuris sui etiam nunc maneat incerta. Simul verò eodem hoc iam labente anno latum aliquid est ab ijsdem iudicibus de sententijs, quæ in Camerâ prouinciali ab Houetmannis pronunciantur, recognoscendis, quod reuisionem vulgo nuncupant. Sed & hoc tale esse videtur, vt qui eo subsidio vti velint, non multi futuri esse putentur, propter impendia, aleamq; dubiam.

ALIA PRÆCLARA CIVITATIS IVRA ET LEGES.



ABET verò præter hæc alia quoq; præclara iura ciuitas hæc nostra. Inter quæ illud censeri potest, quod in toto ANGLIAE regno commerciorum ac negotiationum libertatem iam 350. ante annos ciues habuerint, cum conditionibus haud pœnitendis: vt testatur diploma Henrici III. regis anno regni eius 42. signatum, quod est in Reip. archiuis illæsum. Deinde illud etiam, quod antè complures hominum ætates amplissimo FOEDERI ANSEATICO ciuitas

Præclara iura ac priuilegia ciuitatis.

350.

[*Vide Fastos Consulares Reip. Groning. ad an. 1263.*]

Groninga socia fœderis Anseatici.

asscripta sit, locumq; in eo perhonestum inter ciuitates socias tenuerit semper, & adhuc teneat. Sed hoc nobilius & illustrius prioribus, quod priuilegio ornata sit à maioribus accepto, & Cæsarum diplomate confirmato, & sine vitio ad hoc vsq; tempus continuato, ne cuiquam omninò vel regi vel principi vel ordini liceat quenquam, qui ciuis aut incola ciuitatis sit, aut quoquo modo ciuitati subiectus, iudicij causâ, è ciuitate euocare, aut ad vllum tribunal exterum citare. *Nec eo inferius id*, quod nulla sit à Senatûs sententiâ aut decreto prouocatio, nulla alterius iudicis tanquam superioris appellatio, nec in ciuilibus nec in criminalibus causis: *quo sanè nihil amplius, nihil maius, nihil sublimius dari ciuitati potest: quod deniq; tale est, vt in nullâ ciuitate Germaniæ extra Heluetiam, nullâ Belgij, nullâ Galliæ, Angliæ, Scotiæ, Poloniæ, Vngariæ, Sueciæ, Daniæ simile queat inueniri. Nec solùm Senatus hoc iure pollet, sed & collegium Houetmannorum, quam Cameram vulgò vocant*, à cuius iudicio decretoúe similiter appellatio non est, non plebeio, non nobili. *Nec aliud in conuentu iuridico Ordinum agrariorum valet, in quo maxima autoritas Houetmannorum nunc est, & fuit per centum ferè annos, olim verò antè Saxonica tempora stante integrâ Reipub. libertate, vniuersi senatus cum Houetmannis esse solet, qui conuentus non alibi quoq; quàm in vrbe agitur.* Nam vltrà huius tribunal tendere nemini licet. *Nec verò*

Priuilegiũ de non euocando.

A senatûs sententia non est prouocatio.

Nec est à sententia Houetmannorum.

Nec à sententiis conuentus iuridici agrariorum.

verò istud in postremis priuilegiorum huius ciuitatis posuero, quod legum & statutorum suorum ipsa domina est: ipsa ferendi abrogandique potestatem liberrimam habet, nec necessum habet ad voluntatem & consensum cuiusquam respicere alterius: atque ita sciscit & antiquat, quemadmodum temporum ratio ac vsus postulat. *Eandemq; potestatem in suas leges & statuta agrarij tenent, si se cum ciuitate coniungant, & ex voluntate consilioq; eius potestate vtantur: sine eâ autem hac in parte nihil possunt, quamquam antè Kenoniana ac Focconiana, & ijs priora tempora haud dubiè potuerint.* *Groninga legum suarum domina est.* *Deniq; hoc etiam ciuitati egregium, quòd* argenteæ æreæque pecuniæ signandæ ab annis non minùs 400. aureæ verò ab anno Christi 1484. ius habuerit, adeoque nunc quoque habeat. *Groninga argenti aurique signādi ius habet.* *Porrò in legibus Reipub. huius ita scriptum, VT CONSVLES officio decedentes die 8. Kalend. Martij consulibus nouis arcam publicam cum sigillo ciuitatis & clauibus tradant, rationesq; expediant intra dies 14. & si quid aris publici residui habeant penes se, id exsoluant: vt consulum quilibet cum assessoribus suis in pratorio rationes reddat accepti, & reliqui coràm quaestore Reipub. & Trium viris concilij iurati: vt causa maiores non cognoscantur nisi in senatu: vt senatus controuersias expediat celeriter, & quidem intra 12. septimanas à lite conclusâ: idem vt in rebus difficilibus senatum veterem, aut si placeat,* *Leges ad Rempub. pertinētes.*

alios etiam è ciuium numero prudentiores vocet in curiam; vocati tamen suffragium non habeant, sed consilio tantùm senatum iuuent, penes quem solum suffragij ius: Prouocans à consulis & assessorum sententiâ in pratorio latâ ad senatum totum, & causâ cadens, vt mulctam Reipub. soluat marcam vnam: vt eundem appellare senatum, qui pronunciauit, si quid per errorem pronunciatum videatur, liceat intra dies 10. ne quis eorum, qui in senatu sunt, intercedat pro quoquam qui Reipub. mulctam debet: si fecerit, 10. aureos Rhenanos Reip. pendere damnas sit. Consul senatorve in munere suo non fideliter versari compertus loco moueatur, nec vnquam ad Remp. aditum rursum habeat. Item, ijdem mulctam, si quam debent, antè alios Reipub. soluant, nec fas sit reliquos cogere, priusquam ab his factum, quod oportet. Nec hi, nec Scultbesius, nec tabellarius Reipub. verba pro altero in senatu aut iudicio faciant, nisi tutores pupilli sint, cuius de re agitur. Cùm senatus habetur, nemo emansitet impunè, aut serò veniat: acta dictaq; in senatu nemo eliminet: cognati partium in senatu ferendis sententiis non intersint. Si quis causam suam, quam senatus semel definiuit, finito eorum munere, qui eam definierunt, ad successores eorundem retulerit iterum, marcas 10. Reip. pendat. Olim si qui soluendo non erant, mos fuit, vt nomina eorum certo tempore, exeunte nimirum anni quadrante, quo quis consulum in senatu præsederat, si poscerent creditores, ex sublimi curia fenestrâ concurrente ad hanc

Lex fidem fori creditique firmans.

rem

rem frequenti ciuium turbâ recitarentur: eoq́ facto illi non solùm infames fierent, sed & legum patrocinio exuerentur, non contra contumeliam, non contra vim ac ferrum essent tuti. Nunc cætera manent, postremum tantum est sublatum. Proclamatus hoc modo honore suo, & bono nomine cadit, officij publici nullius capax est, in iudicio stare, respondere, testimonium dicere non potest. Hoc ad fidem fori & contractuum colendam seruandamq́ sanctiùs est institutum. Quondam vti in agro, sic in ciuitate testamenti factio nulla omninò fuit. At pactorum dotalium ius viguit, eaq́ pacta seruare necessum fuit, si ritè legitimeq́ essent confecta. Legitimum verò in his erat, vt etiam nunc est, præsentibus & consentientibus agnatis & cognatis proximis, quorumve maximè interesset, ea iuri & scribi, ac ad senatum signandi causá referri. Nec in his hodiè quicquam mutatum. De testamento nunc aliud ius antè annos aliquot inductum. Nam quibus 20. ætatis anni sunt, si liberis legitimis carent, his de bonis suis omnibus non hæreditariis, sed acquisitis, ni obstent pacta dotalia, testari liberè pro libitu licet: De hæreditariis non nisi ex semisse licet. At quibus liberi legitimi sunt, totius substãtia sua semissem relinquere ijsdem coguntur, nisi iustã causam, senatuiq́ probatam contra eos, aut eorum aliquem habeant. De altero semisse pro arbitrio suo disponere similiter seruatis ijsdẽ possunt. Sed in his omnibus opus, vt à sanis lecto non affixis, ac mente integris id fiat, refera turq́ ad senatum, aut testantis manu scriptum

Leges de testamẽtis & pactis dotalibus.

senatui

Leges de successionibus.

senatui offeratur, & sigillo publico ciuitatis muniatur. Quòd si liberorum aliqui exhæredes scribuntur, his tamen ex fructibus partis suæ alimenta debentur; pars ipsa liberis ipsorum, si quos habent, aut hæredibus proximis accrescit. In successionibus olim hæc valuêre. In bona parentum liberi succedebant, & potissimùm mares: ij verò ex consilio & iudicio propinquorum æquam dotem sororibus, si quæ erant, dabant, nec licebat ipsis quicquam rerum patrimonialium alienare, priusquam cum sororibus de dote conuenissent. Si per propinquos confici res inter fratres & sorores non posset, autoritas senatûs interueniebat. Quinimò nepotes ex filijs potiores filiabus erant in successione hac, si filiæ dotem iam accepissent: sin minùs, filiæ cum fratris defuncti liberis æqualiter in capita hæreditatem parentum diuidebant; cum plurium verò fratrum defunctorum liberis vtriusq; sexus succedebant in stirpes. Liberorum vnus si decessisset parentibus adhuc viuis, non parentes, sed fratres & sorores vtroque parente cum defuncto coniuncti aut coniunctæ hæreditatem capiebant, maribus tamen hic quoq; sexu altero potioribus: vterinis autem & consanguineis parentes præferebantur: fratres verò vterini aut consanguinei, item sorores huiscemodi, si propiores hæredes alij nō essent, fratris aut sororis defuncti defunctæve bona æquis portionibus inter se partiebantur. Coniuges, genitis & defunctis communibus liberis, ac liberorum liberis, sibi mutuò succedebant: succeduntq; etiam nunc, ex asse: si liberos communes nō genuissent,

moriente

moriente eorum altero superstes ex semisse hæres eius erat, vt etiam hodiè est: si ingenuissent, iji, moriente altero in viuis essent, superstes nihilominùs semissem capiebat, reliquum liberis communibus relinquebat: idemq; valebat, si vitâ decedens liberos legitimos ex alio matrimonio procreatos haberet superstites. Nec aliter quoq; hoc tempore res habet. Defuncti defunctæq; nepotes & neptes ex filijs excludebant eiusdem fratres & sorores; item ex filiabus nepotes & neptes, si ex filijs non essent: filiæ verò præferebantur filiarum liberis. Impuberis defuncti hæreditas, non existentibus parentibus, deuoluebatur ad patruum & auunculum, & non ad amitam & materteram, nec ad auum & auiam, excepto casu, si amita vnica cum vnico auunculo, aut matertera vna cum vno patruo superesset: tum enim hæreditas tota in duas partes pares diuidebatur. Nec aliud in puberis defuncti bonis valebat. Sed auunculum & patruum, item materteram & amitam altero tantùm parente cõiunctos cum parentibus defuncti auus & auia à successione eiusmodi excludebant. Vterini & consanguinei fratres, item sorores, si patrui, auunculi, amitæ, materteræ non essent, succedebant sibi mutuò, exclusis patruis, auunculis, amitis, materteris magnis. Priuignus ex vitrico aut nouercâ genitus sorores habens vterinas vel consanguineas à morte matris aut patris sui tenebatur cum vitrico aut nouercâ eas a ere. elocare, dotare. Quòd si in matrimonio secundo filij quoq; geniti essent, hos quoq; oportebat cum fratre ex priore

matri-

matrimonio orto, & cum patre, idem sororibus suis germanis præstare. Sed pleraq; horum correcta nunc iure nouo. Id sic habet. Liberi parentum suorũ hæredes sunto sine discrimine sexûs in mobilibus pariter & immobilibus: verùm filius duplum semper capito, soror simplum. Fratres & sorores præferuntor parentibus in bonis defuncti fratris aut sororis, & seruator quoq; hic eadem proportio. Si moriens liberos relinquat superstites, & simul liberorum præmortuorum liberos, hi locum parentum in adeundâ hæreditate tenento, & succeduntо cum illis in stirpes, non in capita. At si moriens relinquat in viuis auum, auiam, fratres, sorores ex altero tantummodò parente, germanorum fratrum, & germanarum sororum liberos, patruum quoq; auunculum, amitam, materteram, omnes pariter ad successionem vocantor. Marito potestas non esto vendendi, permutandi, ære alieno grauandi quicquam rerum coniugis suæ, quæ immobiles sunt, sine expresso & liberrimo eius consensu. Vxori similiter non permittitor nõ solùm mariti res sed suas quoq; viuente marito quoquo modo alienare, aut grauare sine eiusdem consensu libero puroq;: alioqui mariti & vxoris bona omnia statim à nuptijs aut cum nuptijs communia fiunt vtriq; iure pari. Lex quoq; olim fuit, & est eadem non ita nuper renouata, vt sacro lauacro non initiati ritè ex more Ecclesiæ, capaces hæreditatum sint. Clandestinæ nuptiæ etiam grauiter vetitæ, quibus qui se implicant, quinq; marcas mulctam dant: at si propinqui querelas de his ad senatum deferant,

Ius mariti in bona vxoris, & contrà.

Lex in non baptisatos.

Lex de clandestinis nuptiis.

exulare

exulare coguntur, quoad vterque viuunt; altero verò mortuo alteri conceditur ius ciuitatis exilio amissum pecuniâ reparare. Homicidium capite, adulterium
pecuniâ reparare. Homicidium capite, adulterium
pecuniâ ex legibus plectitur. Omnibus Reip. partem gerentibus interdictũ stipendio extraneo; coguntúrque munus inituri iurare, non se, nec liberos suos, non coniugem, nec quenquam alium nomine suo stipendio huiusmodi autoratos esse: idémque ante annos 66. ad omnes omninò ciues, & inquilinos, ipsósque adeò sacerdotes extensum, pœnáque contrà facienti irrogata bonorum omnium confiscatio. Seruis possessiones tenere, aut habitare in vrbe, extráque vrbem sub imperio senatûs non licet: eorúmque, si illic moriantur, hæreditas ærario adscribitur. Hæreditatum ad exteros, qui vltra Lauicam & Amasum, vltráque Couerdiam Drentiæ habitant, deuolutarum pars quarta ærario similiter accrescit. Reliqua præterea, ne modum operis excedant; & quæ restant de Reip. formâ, in ciuitate expediam.


Pœna homicidij & adulterij.

Stipendia ob extraneis vetita.

Lex de seruis.

De hæreditate ad extraneos deuoluta.

FORMA REIP. IN VRBE, ET MAGISTRATVVM ORDO.



ORMA Reip. in vrbe ARISTOCRATICA *est, modicè in* DEMOCRATIAM *declinans; quam exponere nunc animus est. Antiquitus, cùm minor adhuc ciuitatis fortuna esset,* RATIONALES *quatuor,*

SENATVS

OLDER-

OLDERMANNI 8. *eam adminiftrarunt. Nunc verò ab annis ampliùs trecentis* CONSVLES *quatuor fummum locum in eâ tenent dignitatis. His additi olim 16. nunc & proximis fæculis 12.* SENATORES: *qui omnes fenatum conficiunt, totius Reip. caput. Penes hunc fenatum eft iurifdictio vrbana, poteftasq; in rebus vrbanis edicendi, decernendi, vocandi, prehendendi, in cuftodiam dandi, coërcendi, fupplicia extrema irrogandi, gratiæ faciendæ, pecuniam publicam tractãdi, plerosq; magiftratus alios creandi, imprimis Houetmannos illos, de quibus dixi fæpè, Præfectos item territoriorũ extra vrbem defignandi, Delectos edendi, qui in collegijs fedeant domi ac foris, Quæftorem, AEdilem Reip. adituos, publicanos eligendi, legationes mittẽdi: deniq; huius officij eft, toti Reip. confulere, & in eam curas fuas intendere. Senatorium munus bienne eft, ita comparatũ vt quotannis media fenatûs pars, (Senatûs voce Confules quoq; comprehendo) cui duo anni in munere expleti funt, collegio decedat; decedentium loco totidem alij numero octono fuccedant, collegiumq; compleant. Quorum defignatio quomodo fiat, poft exponam. In fenatu confules dignitate, honore, autoritate antecedunt: fuffragij vi ac iure fenator confuli par, idemq; par referẽdi poteftate. Sed confulum nec inanis eft nec inefficax autoritas in dicendis fententijs: quorum ius eft, per vices ternis menfibus eo ordine, quem fors dat, fenatui præfidere: quiq; eorum præfidet, is & figilli publici cuftos eft, apparitoribus aut accenfis ftipatur, vocationem*

Senatus præfes.

prehen-

prehensionemq́; habet, plura sola penè solus ad senatum refert, quàm cæteri in senatu omnes, senatum suffragia rogat, id quod maiori parti placet, pro sententiâ totius senatûs pronunciat: deniq; si ingenio & industriâ pollet, si valet facundiâ, si animo non abiecto est, magnum momentum afferre rebus in omnem partem potest. Idem verò etiam cum tribus senatoribus, quos vel sors vel comparatio cum collegijs ei iunxit, certo tempore in prætorio ius ciuibus dicit litigantibus inter se, aut ijs; quibus contra ciues actio est, idq; ferè minores ob res aut fidem solutionis pertinentes, nec nisi à meridie dimisso iam senatu. In quo tribunali iurisdictio eiusmodi est, vt quàm celerrimè litigantes expediat, maximè antequàm præsidis vices exeant, atq; ita fori debitorumq́; fidem tueatur. Ab eo qui vult, ad senatum prouocandi ius habet: à senatu prouocatio vlterior non est. Post senatum, vt Houetmannos hîc prætercam, de quibus est dictum iam sæpiùs, & dicendum post rursum, collegium aliud in ciuitate est virorum 24. ex honestißimo ciuium ordine, quod CONCILIVM IVRATVM *vocant, propterea quod quotannis, non minùs quàm senatus, se solenni iureiurando obstringit Reip. & in collegio Trium-viri velut collegij præsides ac rectores, qui ex eo quòd nomine reliquorum verba faciunt in senatu, aut vbi res poscit,* Talemanni *sunt dicti. Et horum quoq;, qui in concilio hoc sunt, munus bienne est, 12. quotannis decedentibus, & totidem in decedentium locum surrogatis. Munus quod sit, ex ipsâ*

CONCILIVM IVRATVM.

iuramenti formulâ, qua ſe Reip. obligant, eſt manifeſtum. Iurant autem apud conſulem in ſenatu quotannis, vocatos in curiam ſe venturos, Reip. cum ſenatu conſulturos, ſenatuiq́; auxilio futuros, coitiones ſeorſim non facturos, nec factiones inſtituturos. Itaq́; longiùs ſi tendant, & non iuſſi à Senatu ſi coëant, officij limites excedere, & turbulētius agere putantur. Vſus autem recepit, ac in morem abijt, vt rerum grauiorum, quæ ad totam Remp. pertinent, nihil agat ſenatus, aut de ijs conſtituat, niſi ex aſſenſu concilij huius: Cuiuſmodi ſunt, bella ſuſcipere & finire, fœdera inire, leges ferre & abrogare, munitiones nouas, aut alia opera publica magni momenti inſtituere, in re monetariâ aliquid mutare, alieno ære ciuitatem grauare. De quibus cùm agitur, ſolet ſenatus eos, vnà cum ijs, qui ſenatu proximè deceſſerunt, quos ſenatū veterem vocant, in curiam accerſere, & rebus diligēter deliberatis & excuſsis, ex eorum aſſenſu aut diſſenſu de ijs ſtatuere. Hoc ad robur decretorum, & retinendam ciuitatis concordiam non parum profore, maioribus eſt viſum. Cuius rei gratiâ interdum etiam alios ex honeſtiorum ciuium ordine ſenatus conuocat, vt huiuſmodi deliberationibus interſint, & maximè ædiles duos tribunitiæ poteſtatis, qui ſocietatum, in quas opificū plebs eſt diuiſa, magiſtri & patroni ſunt, eaſq́; in omnem mouere partem poſſunt. Sed Concilium hoc iuratū vt conſilij poteſtatem habet, ita imperij aut iuriſdictionis partem nullā, ideoq́; nec accenſum aut apparitorem habet. Verùm aliud eſt ad mu-

nus

nus Concilij huius pertinens non postremum, designare quotannis viros 8. qui biennium in senatu sint, & Reip. consilio & potestate præsint: quod ius sanè amplũ. Designatio autem fit hoc modo: Conciliũ ad 6. Idus Febr. ex voluntate senatûs coactum in curiâ coram senatu per sortẽ designabat olim ex suo numero viros 9. proximo autem sæculo tantummodò 5. quos nunc Gubernator adhuc ex pacto designat. Hi præsente senatu, cõsule verbis praeunte, iusiurandum dant, nil gratiæ, odio, inuidiæ, cupidini se daturos, solusq; Reip. rationem habituros: mox digresso senatu, reliquisq; è concilio, in conclaui conclusi non antè indè discedunt, quàm in viros 8. liberis suffragijs lectos consenserint. Legunt autem non tam quod certa iubeat lex, quàm quod more sic sit receptum, plerumq; duos, qui ex collegio Houetmannorum, eodem fortè tempore decedunt, deinde eos, qui in senatu priùs fuerunt, nisi quid obstet, deniq; optimum quemq; ex honestißimo ciuium ordine, maximeq; ex concilio aut collegio suo, velut ex seminario Senatûs. Eo facto, electos sine morâ senatui in curiâ congregato edunt, domumq; discedunt: senatus editos per viatorem confestim in curiam vocat. Qui si electioni assentiantur, quod ferè accidit, eodem momento ad prætorium deducti, ibi aperto sub cœlo circumfusi coronâ populi, qui exitus signo nolæ maioris, & moris huius gnarus istuc frequens concurrit, solenni iuramento, praeunte verbis præside consule è fenestrâ prætorij prospectante, stantes Reipub. se obligant vna cum cæteris in senatu mansuris,

ELECTIO SENATVS ET CONSVLVM.

in annum proximum: poſtridieq́; cum iiſdem collegiis congregati, cumq́; iis in ſuffragia occulta miſſi, conſulere ſuo collegiarumq́; numero deſignant aut duos, ſi totidem loca vacant, id quod accidit vt plurimùm, duobus ferè quotannis è Conſulatu decedentibus, aut tres, aut etiam nonnunquam quatuor, nonnunquam quoq́; vnum tantùm. Deſignant autem antè alios plerumq́; eos, ſi eorum copia ſit, qui conſulatu ante ſunt functi, iudicesq́; inter agrarios fuerunt. Sic demùm die ab eo 14. qui Apoſtolo Petro ſacer eſt, decedentibus veteribus totidem, munus ſuum capeſſunt. Quòd ſi contingat, vt ex electis his vnus pluresve delatum honorem recuſent, eos Reip. mulctam dare aureos ſcutatos vicenos olim oportuit, nunc autem latâ non multos antè annos lege aut capeſſere munus, aut ciuitate diſcedere oportet. Idq́; cùm accidit (accidit autem raro) itemq́; ſi quæ aliequi ſenatorum conſulumve loca ſeu morte, ſiuè quâcunq́; ratione aliâ vacent, non iam Quinquevirorum, aut iurati Concilij eſt (quamquam olim id etiam, ſed antè aliquot ſæcula fuiſſe videatur) verùm ipſius ſenatûs, alios ſufficere, & collegas cooptare. ELECTIO eorum qui in concilio iurato. *Octiduo deinde poſt quàm hac ſenatûs electio facta, coacto rurſum Concilio iurato, ſimili ratione quinq́; ex ipſis alij, vt nunc mos habet (olim verò hac quoq́; in re 9.) eodem in loco ſorte ducuntur. Per hos 12. deſignantur ex eo ciuium ordine, qui lautioris fortunæ ſunt, aut dote aliquâ animi commendati, qui decedentibus è collegio totidem, biennium iam munere functis ſuccedant, & cum*

iis,

ijs, qui annum tantum in collegio fuerunt, Reip. consulant. Tum totum collegium tres è sui medio capit, autoritate & vsu rerum cæteris præstantiores, qui collegium regant, sententiamq; eius, vbi opus est, velut oratores exponant : quos Talemannos *ex eâ re appellatos dixi. Et olim quidem ante tumultus hos ciuiles, ita in rebus his obseruatum, non lege quidem, sed more inueterato, vt in senatum nisi ex familijs nobilibus aut patricijs nemo ferè legeretur, nec temerè ex ijsdem, nisi qui esset aut fuisset è* Concilio *iurato tanquam senatûs seminario operamq; & fidem suam* Reip. *minoribus in muneribus, in procuratione ædium, ac aliarum rerum sacratarum, & similibus probassent:* In Concilium *autem iuratum similiter ex ijsdem familijs frequentes cooptarentur, quoad eius fieri posset, aut ex reliquo ciuium ordine honestissimo, vt quisq; erat vel eruditione, vel aliâ aliquâ præ cæteris dote conspicuus & commendatus, ex opificum autem aut institorum collegijs aut nunquam, aut omninò rarissimè quisquam caperetur. Indignum enim id concilio honoratissimo, &* Reip. *periculosum propter abiectos huiusmodi hominum sensus præter lucrum penè nihil spectantes, aut magni facientes putabatur. Hoc verò prætereundum hic silentio non est, non semel accidisse olim rebus sic poscentibus, aut factionum vi, vt exposita ratio in designandis quotannis* Consulibus *duobus dimidiâq; senatûs parte obseruata non sit; sed consules ijdem omnes vel biennium, vel annos complures, vel deniq; ad vitæ exitum in munere ac honore*

permanserint: idemq; sit factum in reliquo senatu. Est præterea aliud in ciuitate Collegium, partem Reip. curans, negotiantium scilicet disciplinæ, ac iuri nautico tuendo & dirimendis inde natis controuersijs olim præfectum, cuius tribunal Dat Gilrecht *linguâ Teutonicâ ex re nominatum. Octo viris constat hodiè; quorum etiam, vt senatorum, & eorum qui sunt in concilio iurato munus est bienne, quaternis similiter quotannis collegio decedentibus ac totidem succedentibus. Id hoc modo fit. Senatus ea pars, quæ magistratu abit, quatuor viros eligit singulos è singulis ciuitatis regionibus, (hæ quatuor omninò sunt) honestissimos & grauissimos quosq; ex omni populo, nullâ aliâ tum potestate publica præditos. Hi quatuor electi totidem alijs, quibus expletum biennium est, suffecti, cæteris, qui annum tantùm in munere fuêre, adduntur. Cuncti hi statim ad 8. Calend. Martij ex sui medio Seniorem designant, quem* OLDERMANNUM *vocant, & duos Fisci magistros,* Die Bußheren *dictos, fiscelli scilicet numari curam habentes, omnes in his officijs annuos: præter quos reliqui quinq; societatis iudices,* Die Gildtrichters/ *nuncupatur. Senior, in collegio actor præcipuus, velut aduocatus Reip. in tuendo stapulæ iure, de quo dixi suprà, eiusq; custos ac vindex, si quem contrà id delinquere deprehendit, eum mulctam poscit, tergiuersantem apud duum-viros fiscales postulat, aut ad totum collegium rem defert: sententiam pronunciatam ipse exequitur, nisi reus ad superius tribunal aut Senatûs aut*

De Oldermanno, & tribunali eius.

Houet-

Honetmannorum prouocet. Duûm-viri fiscales fisci curam habent cum Oldermanno, atq; alibi mercatorum: oportetq; eos, qui mercatui operam dare volunt, apud hos prius nomina sua profiteri; sine quo nemini id facere licet. Et sunt iidem ὑπεύθυνοι, id est, reddēdis apud Consulem rationibus obnoxij quotannis cum eodem Oldermanno: quibus expeditis, successoribus fiscellum tradunt, pecuniæ reliquum ærario Reip. inferunt. Sed est collegij huius curæ antiquitus cōmissa præcipuè custodia tota iuris nautici, in codice Reip. diligenter descripti, iurisdictioq; vniuersa ad res nauales & maritimas pertinens. Verùm collegiū hoc ipsum collegarum quoq; numero olim duplo fuit maius, (13. enim præter Oldermannū & duûm-viros fisci curatores fuere) & electionis ratio ab eà quæ hic exposita, diuersa. Nunc cū numero potestas quoq; nonnihil arctata. Electio olim sic habuit: Senatûs pars munere decedens è sui medio sortitò edebat quatuor: hi cū Oldermanno & duobus fiscelli magistris eodem die viros 16. eligebant optimos quosq; secundùm vrbis regiones, quorum nullus eo anno in senatu esset, aut senatu decessisset. Electi 16. viri ex suo numero Oldermannum statim designabant hac lege, vt per vices ex vrbis regionibus alijs post alias designaretur in singulos annos: habebaturq; ea ratio propinquitatis, quæ in senatu eligendo solet haberi. Cætera similia his, quæ iam dixi. Deinde præter hos alij quoq; sunt OCTO-VIRI, regionū vrbis magistri, bini & singulis regionibus delecti, honore & autoritate nō postremi; his quotannis cen-

Censores regionum magistri: Kluffmeisters.

censum agunt omnium ciuium, & quid quisq; eorum gerat. quæ negotia tractet, quibus se suosq; tueatur, inquirunt, desides aut noctios Reip. cedere cogunt: ne quis ædificans publicè priuatimve noceat, aut bono officiat, ne quid vitij canalibus ad deducendas aquas ac sordes per vrbem accidat, quæq; alia ad mundiciem vrbis pertinent, prouident: deniq; si diligentes sunt, perutilem operam Reip. præstant. Quinetiam scloppetariorum præfecti quatuor diu in ciuitati fuere, à senatu quoq; designati, perpetui. Hi curam armorum habebant, iuuentutemq; maximè exercebant in tractandis scloppetis, foro venalis annonæ, quæ ad vrbem defertur quotidie, praerant: à pistoribus & ijs, qui cereuisiam coquunt, ne quid fraudis committeretur, vt iusta esset ponderum & mensurarum ratio in officinis, cœnum vt publicis locis amoueretur, procurabant. Quæ omnia nunc ad centuriones oppidanos octo, qui ijs successêre, translata sunt. Deniq; AEDILES duo in Rep. sunt Trib. poteſtatis, quam non lege datam, sed paulatim nitendo longiùs turbulentis actionibus quæsitam proximis sæculis vsurparũt non magno sanè Reip. bono. Horum magnum esse nomen solet. Et quoniam cum plebe opificum & institorum connexi sunt, ac ab eâ dependent, de plebis huius ordine & distinctione paucâ hic dicam. Diuiditur ipsa secundùm artificiorum aut rerum, quas tractant genera diuersa in societates 18. exceptis, qui cereuisiæ coquendæ officinas exercẽt, ac negotia maiora in emẽdo & vendendo gerũt. Dignioris quippè ordinis miscere se vilio-

Scloppetariorum catanei, nunc cohortium præfecti.

De AEdilibus Trib. Potest & societatibus plebis.

se vilioribus nolunt, habenturq́; post nobilitatem inter honestißimos totius ciuitatis. Hæ societates singulæ ternos sibi præfectos suffragijs designatos creant quotannis mox à Paschatos: & in his primum quemq́; Seniorem vel Oldermannum, velut totius societatis præsidem, reliquos binos capita societates dicunt: omnes vniuersum numero 54. Et hi vicißim circiter idem tempus mox ab electioni sui in cœnobio Iacobæo congregati, AEdiles, quos dixi, edunt, non aliunde quàm ex his ipsis societatibus. Quanquam fuit quondam tempus, quo duobus istis tertius quoq; è Senatu adiungebatur; qui dudum nunc collegio defluxit. At AEdiles patronos se plebis professi, quam & suopte ingenio, & per præfectos in omnem facilè impellere partem poterant, haud dißimiles veteribus in Repub. Rom. Tribunis, ab humili initio eò tandem progreßi sunt, dum curam patrociniumq́; egenæ & circumuentæ prætexunt plebeculæ, multitudine freti, vt in morem abierit, nulla recipere de maiore re decreta, quibus assensum hi ipsi AEdiles non adhibuissent. Itaq; quoties huiusmodi aliquid actum, cum concilio iurato & cæteris isti quoq; in curiam sunt vocati. Qui si, cæteris accedentibus sententiæ senatûs, vel soli dissensissent leuantes se vltimis subsellijs intercedebant: vetabantq́; senatum & reliquos progredi, ac decernere aliquid, priusquam ad societatum plebeiarum præfectos, vel ad ipsas integras societates, si ita præfectis videretur, res esset relata. Sic conuocatis primùm præfectis qui erant, vt dixi, numero omnes 54. in

AEdilitia potestas.

OLDERMANNI 8. *eam administrarunt. Nunc verò ab annis ampliùs trecentis* CONSVLES *quatuor summum locum in eâ tenent dignitatis. His additi olim 16. nunc & proximis sæculis 12.* SENATORES: *qui omnes senatum conficiunt, totius Reip. caput. Penes hunc senatum est iurisdictio vrbana, potestasq́ in rebus vrbanis edicendi, decernendi, vocandi, prehendendi, in custodiam dandi, coërcendi, supplicia extrema irrogandi, gratiæ faciendæ, pecuniam publicam tractādi, plerosq́ magistratus alios creandi, imprimis Houetmannos illos, de quibus dixi sæpè, Præfectos item territoriorū extra vrbem designandi, Delectos edendi, qui in collegijs sedeant domi ac foris, Quæstorem, AEdilem Reip. adituos, publicanos eligendi, legationes mittēdi: demq; huius officij est, toti Reip. consulere, & in eam curas suas intendere. Senatorium munus bienne est, ita comparatū vt quotannis media senatûs pars, (Senatûs voce Consules quoq; comprehendo) cui duo anni in munere expleti sunt, collegio decedat; decedentium loco totidem alij numero octono succedant, collegiumq́ compleant. Quorum designatio quomodo fiat, post exponam. In senatu consules dignitate, honore, autoritate antecedunt: suffragij vi ac iure senator consuli par, idemq́ par referēdi potestate. Sed consulum nec inanis est nec inefficax autoritas in dicendis sententijs: quorum ius est, per vices ternis mensibus eo ordine, quem sors dat, senatui præsidere: quiq; eorum præsidet, is & sigilli publici custos est, apparitoribus aut accensis stipatur, vocationem*

Senatûs præses.

prehen-

prehensionemq́ habet, plura sola penè solus ad senatum refert, quàm cæteri in senatu omnes, senatum suffragia rogat, id quod maiori parti placet, pro sententiâ totius senatûs pronunciat: deniq; si ingenio & industriâ pollet, si valet facundiâ, si animo non abiecto est, magnum momentum afferre rebus in omnem partem potest. Idem verò etiam cum tribus senatoribus, quos vel sors vel comparatio cum collegiis ei iunxit, certo tempore in prætorio ius ciuibus dicit litigantibus inter se, aut iis; quibus contra ciues actio est, idq; ferè minores ob res aut fidem solutionis pertinentes, nec nisi à meridie dimisso iam senatu. In quo tribunali iurisdictio eiusmodi est, vt quàm celerrimè litigantes expediat, maximè antequàm præsidis vices exeant, atq; ita fori debitorumq́ fidem tueatur. Ab eo qui vult, ad senatum prouocandi ius habet: à senatu prouocatio vlterior non est. Post senatum, vt Houetmannos hîc prætercam, de quibus est dictum iam sæpiùs, & dicendum post rursum, collegium aliud in ciuitate est virorum 24. ex honestißimo ciuium ordine, quod CONCILIVM IVRATVM *vocant, propterea quod quotannis, non minùs quàm senatus, se solenni iureiurando obstringit* Reip. *& in collegio* Trium-viri *velut collegii præsides ac rectores, qui ex eo quòd nomine reliquorum verba faciunt in senatu, aut vbi res poscit,* Talemanni *sunt dicti. Et horum quoq;, qui in concilio hoc sunt, munus bienne est, 12. quotannis decedentibus, & totidem in decedentium locum surrogatis. Munus quod sit, ex ipsâ*

CONCILIVM IVRATVM.

iuramenti formulâ, qua se Reip. obligant, est manifestum. Iurant autem apud consulem in senatu quotannis, vocatos in curiam se venturos, Reip. cum senatu consulturos, senatuiq; auxilio futuros, coitiones seorsim non facturos, nec factiones instituturos. Itaq; longiùs si tendant, & non iussi à Senatu si coeant, officij limites excedere, & turbulẽtius agere putantur. Vsus autem recepit, ac in moram abijt, vt rerum grauiorum, quæ ad totam Remp. pertinent, nihil agat senatus, aut de ijs constituat, nisi ex assensu concilij huius: Cuiusmodi sunt, bella suscipere & finire, fœdera inire, leges ferre & abrogare, munitiones nouas, aut alia opera publica magni momenti instituere, in re monetariâ aliquid mutare, alieno ære ciuitatem grauare. De quibus cùm agitur, solet senatus eos, vnâ cum ijs, qui senatu proximè decesserunt, quos senatũ veterem vocant, in curiam accersere, & rebus diligẽter deliberatis & excussis, ex eorum assensu aut dissensu de ijs statuere. Hoc ad robur decretorum, & retinendam ciuitatis concordiam non parum profore, maioribus est visum. Cuius rei gratiâ interdum etiam alios ex honestiorum ciuium ordine senatus conuocat, vt huiusmodi deliberationibus intersint, & maximè ædiles duos tribunitiæ potestatis, qui societatum, in quas opificũ plebs est diuisa, magistri & patroni sunt, easq; in omnem mouere partem possunt. Sed Concilium hoc iuratũ vt consilij potestatem habet, ita imperij aut iurisdictionis partem nullã, ideoq; nec accensum aut apparitorem habet. Verùm aliud est ad mu-

nus

nis Concilij huius pertinens non postremum, designare quotannis viros 8. qui biennium in senatu sint, & Reip. consilio & potestate præsint: quod ius sanè amplū. Designatio autem fit hoc modo: Conciliū ad 6. Idus Febr. ex voluntate senatûs coactum in curiâ coram senatu per sortē designabat olim ex suo numero viros 9. proximo autem sæculo tantummodò 5. quos nunc Gubernator adhuc ex pacto designat. Hi præsente senatu, cōsule verbis praeunte, iusiurandum dant, nil gratiæ, odio, inuidiæ, cupidini se daturos, solusq; Reip. rationem habituros: mox digresso senatu, reliquisq; è concilio, in conclaui conclusi non antè indè discedunt, quàm in viros 8. liberis suffragijs lectos consenserint. Legunt autem non tam quod certa iubeat lex, quàm quod more sic sit receptum, plerumq; duos, qui ex collegio Houetmannorum, eodem fortè tempore decedunt, deinde eos, qui in senatu priùs fuerunt, nisi quid obstet, deniq; optimum quemq; ex honestißimo ciuium ordine, maximeq; ex concilio aut collegio suo, velut ex seminario Senatûs. Eo facto, electos sine morâ senatui in curiâ congregato èdunt, domumq; discedunt: senatus editos per viatorem confestim in curiam vocat. Qui si electioni assentiantur, quod ferè accidit, eodem momento ad prætorium deducti, ibi aperto sub cœlo circumfusi coronâ populi, qui exitus signo nolæ maioris, & moris huius gnarus istuc frequens concurrit, solenni iuramento, praeunte verbis præside consule è fenestrâ prætorij prospectante, stantes Reipub. se obligant vna cum cæteris in senatu mansuris,

ELECTIO SENATVS ET CONSVLVM.

in annum proximum: postridieq; cum ijsdem collegijs congregati, cumq; ijs in suffragia occulta missi, consulere suo collegiarumq; numero designant aut duos, si totidem loca vacant, id quod accidit vt plurimùm, duobus ferè quotannis è Consulatu decedentibus, aut tres, aut etiam nonnunquam quatuor, nonnunquam quoq; vnum tantùm. Designant autem antè alios plerumq; eos, si eorum copia sit, qui consulatu ante sunt functi, iudicesq; inter agrarios fuerunt. Sic demùm die ab eo 14. qui Apostolo Petro sacer est, decedentibus veteribus totidem, munus suum capessunt. Quòd si contingat, vt ex electis his vnus pluresve delatum honorem recusent, eos Reip. mulctam dare aureos scutatos vicenos olim oportuit, nunc autem latâ non multos antè annos lege aut capessere munus, aut ciuitate discedere oportet. Idq; cùm accidit (accidit autem raro) itemq; si quæ alioqui senatorum consulumve loca seu morte, siuè quâcunq; ratione aliâ vacent, non iam Quinquevirorum, aut iurati Concilij est (quanquam olim id etiam, sed antè aliquot sæcula fuisse videatur) verùm ipsius senatûs, alios sufficere, & collegas cooptare. ELECTIO eorum qui in concilio iurato. *Octiduo deinde post quàm hac senatûs electio facta, coacto rursum Concilio iurato, simili ratione quinq; ex ipsis alij, vt nunc mos habet (olim verò hac quoq; in re 9.) eodem in loco sorte ducuntur. Per hos 12. designantur ex eo ciuium ordine, qui lautioris fortunæ sunt, aut dote aliquâ animi commendati, qui decedentibus è collegio totidem, biennium iam munere functis succedant, & cum*

ijs,

ijs, qui annum tantum in collegio fuerunt, Reip. consulant. Tum totum collegium tres è sui medio capit, autoritate & vsu rerum cæteris præstantiores, qui collegium regant, sententiamq; eius, vbi opus est, velut oratores exponant : quos Talemannos *ex eâ re appellatos dixi. Et olim quidem ante tumultus hos ciuiles, ita in rebus his obseruatum, non lege quidem, sed more inueterato, vt in senatum nisi ex familijs nobilibus aut patricijs nemo ferè legeretur, nec temerè ex ijsdem, nisi qui esset aut fuisset è Concilio iurato tanquam senatûs seminario operamq; & fidem suam* Reip. *minoribus in muneribus, in procuratione ædium, ac aliarum rerum sacratarum, & similibus probassent:* In *Concilium autem iuratum similiter ex ijsdem familijs frequentes cooptarentur, quoad eius fieri posset, aut ex reliquo ciuium ordine honestißimo, vt quisq; erat vel eruditione, vel aliâ aliquá præ cæteris dote conspicuus & commendatus; ex opificum autem aut institorum collegijs aut nunquam, aut omninò rarißimè quisquam caperetur. Indignum enim id concilio honoratißimo, &* Reip. *periculosum propter abiectos huiusmodi hominum sensus præter lucrum penè nihil spectantes, aut magni facientes putabatur. Hoc verò prætereundum hic silentio non est, non semel accidisse olim rebus sic poscentibus, aut factionum vi, vt exposita ratio in designandis quotannis Consulibus duobus dimidiâq; senatûs parte obseruata non sit; sed consules ijdem omnes vel biennium, vel annos complures, vel deniq; ad vitæ exitum in munere ac honore*

permanserint: idemq; sit factum in reliquo senatu. Est præterea aliud in ciuitate Collegium, partem Reip. curans, negotiantium scilicet disciplinæ, ac iuri nautico tuendo & dirimendis inde natis controuersijs olim præfectum, cuius tribunal Dat Gilrecht linguâ Teutonicâ ex re nominatum. Octo viris constat hodiè; quorum etiam, vt senatorum, & eorum qui sunt in concilio iurato munus est bienne, quaternis similiter quotannis collegio decedentibus ac totidem succedentibus. Id hoc modo fit. Senatus ea pars, quæ magistratu abit, quatuor viros eligit singulos è singulis ciuitatis regionibus, (hæ quatuor omninò sunt) honestißimos & grauißimos quosq; ex omni populo, nullâ aliâ tum potestate publicâ præditos. Hi quatuor electi totidem alijs, quibus expletum biennium est, suffecti, cæteris, qui annum tantùm in munere fuêre, adduntur. Cuncti hi statim ad 8. Calend. Martij ex sui medio Seniorem designant, quem OLDERMANNVM vocant, & duos Fisci magistros, Die Bussheren dictos, fiscelli scilicet numari curam habentes, omnes in his officijs annuos: præter quos reliqui quinq; societatis iudices, Die Gildtrichters / nuncupatur. Senior, in collegio actor præcipuus, velut aduocatus Reip. in tuendo stapula iure, de quo dixi suprà, eiusq; custos ac vindex, si quem contrà id delinquere deprehendit, eum mulctam poscit, tergiuersantem apud duum-viros fiscales postulat, aut ad totum collegium rem defert: sententiam pronunciatam ipse exequitur, nisi reus ad superius tribunal aut Senatûs aut

De Oldermanno, & tribunalicium.

Houet-

Houetmannorum prouocet. Duûm-viri fiscales fisci curam habent cum Oldermanno, atq; alibi mercatorum: oportetq; eos, qui mercatui operam dare volunt, apud hos priùs nomina sua profiteri; sine quo nemini id facere licet. Et sunt ijdem ὑπεύθυνοι, id est, reddēdis apud Consulem rationibus obnoxij quotannis cum eodem Oldermanno: quibus expeditis, successoribus fiscellum tradunt, pecuniæ reliquum ærario Reip. inferunt. Sed est collegij huius cura antiquitus cōmissa præcipuè custodia tota iuris nautici, in codice Reip. diligenter descripti, iurisdictioq; vniuersa ad res nauales & maritimas pertinens. Verùm collegiū hoc ipsum collegarum quoq; numero olim duplo fuit maius, (13. enim præter Oldermannū & duûm-viros fisci curatores fuere) & electionis ratio ab eà quæ hic exposita, diuersa. Nunc cū numero potestas quoq; nonnihil arctata. Electio olim sic habuit. Senatûs pars munere decedens è sui medio sortitò edebat quatuor: hi cū Oldermanno & duobus fiscelli magistris eodem die viros 16. eligebant optimos quosq; secundùm vrbis regiones, quorum nullus eo anno in senatu esset, aut senatu decessisset. Electi 16. viri ex suo numero Oldermannum statim designabant hac lege, vt per vices ex vrbis regionibus alijs post alias designaretur in singulos annos: habebaturq; ea ratio propinquitatis, quæ in senatu eligendo solet haberi. Cætera similia his, quæ iam dixi. Deinde præter hos alij quoq; sunt OCTO-VIRI, *regionū vrbis magistri, bini & singulis regionibus delecti, honore & autoritate nō postremi, hi quotannis cen-*

Censores regionum magistri: Kluftmeesters.

censum agunt omnium ciuium, & quid quisq; eorum gerat. quæ negotia tractet, quibus se suosq; tueatur, inquirunt, desides aut noctuos Reip. cedere cogunt: ne quis ædificans publicè priuatimve noceat, aut bono officiat, ne quid vitij canalibus ad deducendas aquas ac sordes per vrbem accidat, quæq; alia ad mundiciem vrbis pertinent, prouident: deniq; si diligentes sunt, perutilem operam Reip. præstant. Quinetiam scloppetariorum præfecti quatuor diu in ciuitati fuere, à senatu quoq; designati, perpetui. Hi curam armorum habebant, iuuentutemq; maximè exercebant in tractandis scloppetis, foro venalis annonæ, quæ ad vrbem defertur quotidie, præerant: à pistoribus & ijs, qui cereuisiam coquunt, ne quid fraudis committeretur, vt iusta esset ponderum & mensurarum ratio in officinis, cœnum vt publicis locis amoueretur, procurabant. Quæ omnia nunc ad centuriones oppidanos octo, qui ijs successêre, translata sunt. Deniq; AEDILES duo in Rep. sunt Trib. potestatis, quam non lege datam, sed paulatim nitendo longiùs turbulentis actionibus quæsitam proximis sæculis vsurparūt non magno sanè Reip. bono. Horum magnum esse nomen solet. Et quoniam cum plebe opificum & institorum connexi sunt, ac ab eâ dependent, de plebis huius ordine & distinctione paucâ hic dicam. Diuiditur ipsa secundùm artificiorum aut rerum, quas tractant genera diuersa in societates 18. exceptis, qui cereuisiæ coquendæ officinas exercēt, ac negotia maiora in emēdo & vendendo gerūt. Dignioris quippè ordinis miscere se vilio-

Scloppetariorum capitanei, nunc cohortium præfecti.

De AEdilibus Trib. Potest & societatibus plebis.

se vilioribus nolunt, habenturq́; post nobilitatem inter honestißimos totius ciuitatis. Hæ societates singulæ ternos sibi præfectos suffragijs designatos creant quotannis mox à Paschatos: & in his primum quemq́; Seniorem vel Oldermannum, velut totius societatis præsidem, reliquos binos capita societates dicunt: omnes vniuersum numero 54. Et hi vicißim circiter idem tempus mox ab electioni sui in cœnobio Iacobæo congregati, AEdiles, quos dixi, edunt, non aliunde quàm ex his ipsis societatibus. Quanquam fuit quondam tempus, quo duobus istis tertius quoq; è Senatu adiungebatur; qui dudum nunc collegio defluxit. At AEdiles patronos se plebis professi, quam & suopte ingenio, & per præfectos in omnem facilè impellere partem poterant, haud dißimiles veteribus in Repub. Rom. Tribunis, ab humili initio eò tandem progreßi sunt, dum curam patrociniumq́; egenæ & circumuentæ prætexunt plebeculæ, multitudine freti, vt in morem abierit, nulla recipere de maiore re decreta, quibus assensum hi ipsi AEdiles non adhibuissent. Itaq; quoties huiusmodi aliquid actum, cum concilio iurato & cæteris isti quoq; in curiam sunt vocati. Qui si, cæteris accedentibus sententiæ senatûs, vel soli dissensissent leuantes se vltimis subsellijs intercedebant: vetabantq́; senatum & reliquos progredi, ac decernere aliquid, priusquam ad societatum plebeiarum præfectos, vel ad ipsas integras societates, si ita præfectis videretur, res esset relata. Sic conuocatis primùm præfectis qui erant, vt dixi, numero omnes 54. in AEdilitia potestas.

conclaui apud Iacobaos res in medium proponebatur. Ea si difficilior videretur, societates totæ certis adesse locis iubebantur, & seorsim consulebantur à suis quaque præfectis. NOTA *Earum sententiâ, quam plerumque præfecti dictabant, ad ædiles, ab ædilibus ad senatum & concilium iuratum relata, de negotio ac Rep. statuebatur. Ic fiebat, vt optima quæque consilia, ac Reip. profutura plerumque corrumperentur, impedirenturve. Nam AEdiles cum præfectis hisce ex opificum officinis, infimaque plebe prorepentes, ac vilibus rebus innutriti Reip. benè gerendæ ferè ignari sunt, improuidi, & supra ea, quæ antè pedes sunt, nihil sapientes, gratiaque inscitæ multitudinis dediti. Quo nomine, id quod plerumque tum fiebat, si se plebi probassent, complures etiam annos suo in munere continuabantur. A senatu tamen, vt cæteri omnes, qui aliquid publici muneris aut potestatis habent, sic hi quoque AEdiles suum ius & olim accepêre, & hodie etiam accipiunt, cùm sacramētum apud eum dicunt quotannis: Suntque ea, quæ exorbitarunt in hac re, salubriter iam correcta, & ad metam reuocata. Porrò de societatibus his plebeis ità in legibus ciuitatis perscriptum est, non licere ipsis in consulto, aut non probante senatu statuta sibi condere, aut fœdera facere: præfectos verò earum teneri, vocante senatu, in curiâ se sistere, instrumenta statutorum & priuilegiorum suorum senatui exhibere, profiterique iuratos, præter ea nihil se statutorum aut scitorum in societatibus suis habere: præterea, si qua societas ciuitati inutilis aut noxia videatur.*

tur, in potestate senatùs esse, eam abrogare: item si quis in societate quid committat, quo se indignum societate fecisse videatur, deq; eo controuersia existat, eius cognitionem senatui deberi cum tribus societatis præfectis: ad hæc, societates cum præfectis suis teneri, summá ope, summis viribus vt tueantur dignitatem & ius senatûs, eiq; auxilio & firmamento sint, ac pœnas contumacium, cùm res requirit, promoueant. Habent tamen societatum præfecti in suâ cuiq; societate potestatem cognoscendi controuersias quasdam ad societatem pertinentes, eiusq; definiendi, ac mulctas quoq; capiendi ab his, qui contra societatis leges deliquisse deprehenduntur. Sed id totum sic habet, vt iurisdictionis species aut pars videri nequeat. Et si quis eo lædi se iniustè à præfectis existimet, is pro more AEdiles, tanquam societatum summos magistros atq; ἐφόρους appellat, ab his porrò, si placet, ad ipsum quoq; senatum prouocat. Postremò societatum præfecti terni iurati, vt est in iisdem ciuitatis legibus, rationes accepti & expensi reddunt AEdilibus. AEdiles pecuniam impendũt ædificiis & structuris publicis, vnde nomen iis datum, ac vicissim accepti & impensi calculum ponunt apud eosdem hos præfectos, adeoq; apud consules, si vel hi vel illi hoc requirant. Est verò etiam perhonesta in ciuitate procuratio Aedituorum, quæ sacras ædes, & quæ istuc pertinent, tuentur, bonaq; in eum vsum à maioribus collata administrant: delecti ferè ex patritiâ nobilitate, & bini aut terni singulis parochiis: eaq; procuratio si senatoriis hominibus AEdiles.

minibus cõmendata non est, viam saltẽ procuratoribus ad honorem atq; ordinem eum sternit. Et cum his pari penè passu incedunt PROVISORES quos vocant, aut curatores Ptochodochiorum, quæ quatuor esse in vrbe dixi. maximè eius, quod est ad S. Spiritum, & alterius ad S. Gertrudem, propter magnitudinem & possessiones ac reditus eorum peramplos. Ad quam administrationem senatorij quoq; ordinis viri sæpè vocantur, alijq; qui lautissimæ conditiones inter ciues sunt. Nec prætereundi hic, qui ædibus præfecti sunt, quas FRATRVM vulgò vocant, in quibus adolescentes literarum & pietatis studio dediti alij gratis, alij pretio modico, pro cuiusq; fortunâ ac loco aluntur & habentur honestè, ijsq; omnibus morum & studiorum inspector atq; exactor præest: quorum præfectorum ratio quoque par cum prioribus. Et sunt hæ curationes omnes, quas recensui, non annuæ, nec determinati temporis, sed in arbitrio consulum, deq; his rationes apud eosdem redduntur consules, quoties & cùm placet id ipsis. Quid de SCHOLARCHIS dicam? quibus Scholæ & totius rei Scholasticæ literariæ cura, pecuniæq; in hunc vsum destinatæ quæstura, denique omnium huc pertinentium ἐφόρεια senatu demandata est: quorum alter consularis, alter senator, aut ordinis senatorij hactenus fuit. Quid de Reip. QVAESTORE, qui pecuniæ, ac omnium redituum eius conquisitor & custos est, acceptiq; ac expensi indices seruat, atque ex his rationes senatui debet. Quid de Trium-viris, vectigalium, portoriorum, accisarum viri

Præfecti Ptochodochei.

Scholarchæ.

Reip. vrbana quæstor.

Vectigaliũ magistri.

vti vocant, magistris, ad forum & curiam loco idoneo negotio huic & muneri suo vacantibus? Quid de ijs, qui pecuniam Sacerdotibus olim legatam, soluendo ministris Ecclesiæ stipendio, & sartis tectis tenendis eorum domicilijs colligunt, & expendunt? Quid de Orphanotrophæi curatoribus, & Eleemosynarijs pauperum domi sedentium alimoniæ præpositis? qui omnes ex honestissimis ciuium ordinibus à senatu leguntur, in tempus incertum, ab eiusq; arbitrio pendent. Adde antè hos nominandum honoris causâ iurisconsultum, quem SYNDICVM *dicunt, liberali Reip. stipendio ornatum, summaq; dignitate: qui & à consilio est senatus, & eiusdem orator, adeoq; vniuersæ ciuitatis aduocatus: quàm locum amplissimus & consultissimus, clarissimusq; vir, amicus singularis,* PANCRATIVS CASTRICOMIVS I.V. D. *iam ab annis aliquod, & nunc, dum hæc recuduntur, tenet. Adde & Scribas duos, vt iam res habet, (nam vnus tantum fuit) qui senatui eidem à secretis, & epistolis, scribendisq; & custodiendis actis publicis sunt: quorum munus perhonestum & quæstuosum est. Et ad hos Armamentarij publici, id est, tormētorū æneorum, pulueris nitrosi, & omnis instrumēti ac apparatus huc pertinentis, fabrum quoq; & fabricatū publicatum, itemq; vigilum perfectos, manipulorūq; magistros: præfectum insuper noctis, nocturnis facinoribus ciuiū reprimendis, accenso ministriq; armatis fultum. Et hi quidē omnes, quos recensui, rem vrbanā curant, è quibus alij verè Reip. alij senatus ministri sunt.*

Quæstores reditum Sacerdotalium.

Orphanotrophij curatores.

Syndicus.

Secretarij duo.

Armamentarij præfectus.

Fabrum præfectus.

Vigilium & noctis præfectus.

sunt. Prater eos vero collegium in vrbe est iuris dicũdi causâ antiquitus institutum, & sapius iam ante nobis in hoc libro memoratum, peramplá praditũ potestate ac honore, quod HOVETMANNORVM CAMERAM vulgò indigetant. Id aũt quamquã non in ciues, sed in eos, qui vicinum agrum fœdere quondam ciuitati iunctum inhabitant, iurisdictionem directã habet, tamen non abs re hoc loco potissimum recenseo. Nec enim solùm in vrbe semper, nec vsquam alibi, sedem tenet, & ius dicit; sed etiam prater ciues opibus & dignitate pracipuos, & in his haud temere alios quàm consolatu functos collegas non admittit, nec vlli prater senatum edendorum collegarum potestatem habent, nec aliundè quàm ab eodem senatu expectare & accipere stipendia antiquitus ante dimissam integram libertatem collega solent. Quod de collegio quãquam multa sparsim hoc libro dicta sint, tamen vt res manifestior fiat, paulò altiùs hic quoque quadam repetenda. Et primùm; qua prima collegij huius, aut Houetmannorum origo, quod principium, dicere non possum. Nec enim id literis proditum vsquam, quod sciam. Primos verò in monimentis Reipub. mihi lectos Houetmannos Kenonianis temporibus, post annum 1400. à natali Domini Seruatoris nostri, superiùs ostendi, eosq; non tributis & tractanda pecunia per agrum prafuisse memoraui. De his porrò, vestigijs monumentorum veterum insistens, & omnia expendens diligenter, sic reperi: Cùm concors cum ordinibus agri vicini ciuitas ageret, ac fœdera in certos annos percussa iden-

Camera HOVETMANNORVM.

De Houetmannis dissertatio.

sa identidem prorogaret, propè vt vna vtrorumq; Respublica videretur, ex consensu sociorum eos profluxisse, rectiùs atq; æqualiùs expediundi iuris, & tenendæ concordiæ, conseruandæq; quietis publicæ causâ: electos esse ex spectatissimis & integerrimis quibusq; in ciuitate, interdum etiam ex ijs, qui è nobilitate agrariâ in vrbem cōmigrarant, & ius ciuitatis acquisiuerant: quinos & quinos in collegio fuisse per annos ampliùs 60. eosq; incertâ ratione, prout operam suam probassent, aut grati Reipub. essent, aut casus daret, vel permutatos successoribus, vel per annos complures, quòd erat frequens, continuatos: prætoriam potestatem tenuisse in omnes per agrum habitantes, eaq; vsos totius prouinciæ, id est, & agri ciuitatis nomine, edictisq; nomen senatûs cum nomine suo subscripsisse, & ciuitatis sigillo edicta & literas signasse, ius dixisse ijs, qui fraudem sibi fieri apud reliquos per agrum iudices, aliove modo suum se consequi, non posse querebantur, exceptis successionum causis, quorum cognitio peruetusto more conuentui iuredicialí, de quo antè dixi, relinquebatur: Et tamen de his quoq; causis appellatos fuisse, decretumq; suum, vsq; in conuentus tempus interposuisse: denique huic etiam conuentui aut solos, aut cum senatu ciuitatis interfuisse, imò præsedisse, aut saltem non vltimas in eâ partes tenuisse, à sententijs decretisq; eorum, nisi ex partium consensu, prouocationem non fuisse: Imprimis verò operam dedisse, & auxilio fuisse ijs, qui crediti debitive aliquem eorum, qui in agro habebant

bebant sedes, cuiuscunq; is ordinis esset, postulabant: nec declinare cuiquam cognitionem, nec latâ sententiâ tergiuersari licuisse: ita celerrimè ius fuisse expeditum, & suum cuiq; tributum: multosq; adeò contractus tum paulatim eam conditionem habere cœpisse, vt non alios apud iudices, quàm hos, si quid controuersiæ fortè incideret, aut in soluendo morâ existeret, causa ageretur: id institutum cum alias ob res, tùm ob fidem contractuum & commerciorum tuendam salutare communi Reip. visum probatumq; in morum iuisse, atq; ita vim legis tenuisse. Ad hæc animaduerti, eosdem, qui Houetmanni erant, simul eodemq; tempore consules quoq; aliquando, aut senatores Reip. vrbanæ fuisse, rationes eidem Reip. eiusve senatui reddidisse, edicendi mandandiq; ius ac potestatem non solùm apud Cislauicanos, sed etiam trans Lauicam habuisse: quod argumento irrefragabili est, non ab agrarijs ordinibus vicinis eos electos fuisse, nec ab ijs pependisse, delegatamve ab ijsdem potestatem tenuisse, sed à solâ ciuitate: „ *nec enim ideò hos à Translauicanis munus accepisse, aut in eorum fide fuisse legimus aut credimus, quod apud eos edicendi iudicandiq; potestatem ex fœdere tenuêre; nec verò congruum est, eorum se potestati & iudicio Translauicanos subijcere voluisse, quos Cislauicanis ordinibus agrarijs obligatos esse, & ab illis leges accipere nossent, quippè qui non cum his ipsis, sed cum ciuitate fœdus percuterent.* *Inueni etiam hoc collegium colligendis in agro tributis, si quando tributis opus præfuisse,*

eamq;

eamq́ pecuniam tractasse, aggerum, viarum, aquæductuum curam habuisse, iudices agrarios ad faciendum officium compulisse, exorbitantesq́ eosdem compreßisse, ad conuentus ordines conuocasse, denique velut ad clauum Reip. sedentes, quietis & εὐταξίας custodes in tota prouincia fuisse. Et hæc ad SAXONVM *vsque tempora. Ii partim sua sponte, partim stimulantibus nonnullis, qui ferre imperium non poterant, hac potestate spoliare ciuitatem conati sunt.* EDSARDVS *ius hoc in arctum redegit: quippe sui arbitrij electionem Houetmannorum ex ciuium numero fecit, & iurisdictionem angustioribus terminis clausit.* GELDRVS *electionem senatui reddidit, & iurisdictionem restituit solitam. sed quatuor Houetmannis à senatu lectis ex suis addidit quintum, qui præses collegij esset, ac legatus ipsius, atque hi omnes ipsius quoque nomine, atque ipsius mandato ius dicerent. Nec quicquam* CAROLVS CAESAR, *aut filius eius* PHILIPPVS *mutarunt, eoq́ modo res ad hæc postrema tempora peruenit. Tum lis de toto fœdere, totaq́ hac cum ciuitate coniunctione mota. Eam resuscitatam nuper* ORDINES GENERALES *eo, quo exposui modo definierunt.*

Sed aliud quoque imperium in agro ciuitas habet haud spernendum. Id duas amplectitur Præfecturas maiores, eam quam VETEREM *nominant, &* SVBVRBANAM: *quarum illa vicos egregios 17. hæc 12. tantum, nec prioribus pares habet: & in his cœnobia quoque 5. Vtrique à senatu præfectus datur,* Præfecturæ & præfecti extra vrbē.

 muta-

*mutaturq; pro arbitrio. Præfectus prioris ferè consularis, ac genere nobili natus, alterius etiam haud temerè alius, quàm senatorius. Atq; ille quidem cum iudice, ex indigenis plerumq; ei addito, ius dicit cæteraq; imperij peragit senatûs nomine, sed non aliter, quàm secundùm leges & morem patrium, à quo recedere non licet. Ex hoc more Præfectura in territoria distinguitur quinq;, quorum quodlibet tribunal suum habet, in quo præfectus vicissim certis temporibus ius dicit de criminibus, rebus soli, ædificijs, ac similibus momenti maioris: nec licet profectò, cùm de his agitur quemquam extra territorium suum euocare: In cæteris, vt crediti debitiq;, negotijs maximè licet. Nec fas est, nisi in territorio suo, in quo quis vel sedem habet, vel in maleficio prehensus est, maleficum supplicio afficere, aut custodiæ mandare. Et vsus recepit, vt præfecto ius dicenti aßideant aliquot, qui in plebe territorij eminent, honoris causâ: vtq; VVed*mannus *(iudicij minister) in vnoquoq; territorio sit, isq; & minora quædam, quæ iudicium solent esse, pro iudice agat, & custodiæ præsit, prehendendiq; potestatem habeat. Territoria hæc sunt: Muntense, Midwoldicum, Finserwoldicum, Brocaum, VVijnscotanum. Alter in Præfecturâ suburbanâ ius dicit, hoc modo. Habet Octo-viros Præfectura, optimos quosq; & maximè idoneos è plebe: quorum quatuor singulis biennijs munere decedunt, & totidem alij ab ijs, qui in munere manent, collegæ adsciscuntur; semel adsciti, quadriennium in munere continuant, munusq; iu-*

rati

rati gerunt: iurant secundùm morem & leges patrias incorrupt è sed iudicaturos. Ad hac sorte è numero suo Octo-viri ducunt duos, qui minoribus causis expediundis omnibus diebus Veneris & Saturni Groninga (hac tribunalis huius sedes est) præfecto aßideant in trimestre, & cum eo ius dicant, idq; vicißim, donec circumactus sit totus annus. Reliqui cum assessoribus his & cum præfecto ter stato tempore singulis annis, aut quoties res poscit, grauiores controuersias soli ac similes cognoscunt & iudicant, simulq; si quá de re minore ad hunc eorum consessum prouocatum sit à præfecti duûm-virumq; sententiâ, eam quoq; definiunt. Ab eo verò, quod ab his præside præfecto definitum est, quemadmodum & à prioris præfecti sententijs ac decretis in Præfecturâ vetere, ad Senatum vrbanum prouocatio est, si quis eâ vti velit. In senatûs sententiâ litium finis est.

Præter has SENATVS idem ditiones quoq; minores per reliquum agrum habet, in quas iudices mittit. Sed ab his non ad Senatum, sed ad conuentum iudicialem totius agri, de quo supra dixi, aut ad Houetmannus patet appellatio.

MVNERIBVS TOTI PROVINCIAE COMMVNIBVS.

FInirem hîc de rebus ciuilibus, nisi sui monerent me munera, quæ cum fœdere Belgico nata fuêre, & ciuitati agroq; sunt communia. De quibus quanquam & priùs dicta quædam mihi sunt, tamen & obiter modò id factum, & breuius quàm res videtur poscere. Sunt ea duplicia: quorum foris alia, alia domi geruntur. Quæ foris, seßiones sunt in collegijs amplißimis, quæ communia sunt omnibus in fœdere comprehensis: eaq; sunt tria. Primum est id, quod GENERALIVM ORDINVM nomen habet, honore potestateq; summum, totius fœderis ac Reip. communis caput, à quo cætera pendent, & leges accipiunt, longè lateq; inclytum, haud dißimile concilio Achaico veteri, aut AEtolico in Græcia, aut Pannonio in Asiâ, sed perpetuum. Sedes ei Hagæ in Hollandiâ, in quo mittuntur ex omnibus prouincijs socijs viri summi. Alterum dignitate & potestate proximum huic Bellica potißimum curans. SENATVS ORDINVM nuncupatur: quod quoties res ardua ac magna incidit, quæ concilio decretoq; habet opus, in partem curæ & consilij vocatur, & nunc seorsim deliberat de eâ, sententiamq; suam ad collegium superius refert, nunc cùm eodem in deliberando coniungitur.

Illustri GENERALIVM ORDINVM collegio deputati.

Assessores SENATVS ORDINVM.

gitur. Eodem quippe loco, eâdem in arce sedem habet, quo expeditior sit coniunctio. Tertium & ipsum illustre & magnarum virium est, MARITIMIS REBVS, *quæ maximè in Belgio sunt,* PRAEFECTVM *distinctum in collegia minora velut membra totius, quorum vnum in Selandiâ Middelburgi, alterum Roterodami, tertium Amsterodami, quartum Hornæ vel Enchusæ in Hollandiâ; quintum in Frisiâ Doccumi sedem nunc tenet. In collegium Ordinum Generalium ciuitas è suis, agerq; item è suis mittunt assessorem spectatissimum ac prudentissimum quemq; in toto vtroq; corpore; üq; vel prorogant honorem, quoties & quamdiu volunt, vel successores dant: plerumq; verò in complures annos in munere relinquunt. Et sunt hi duo munere & honore partes, nec alter altero plus potest. Sic tamen obseruatur, cùm præsentes pariter sunt in collegio, vbi præsidendi vices ad hanc prouinciam venêre, (per hebdomades enim vicissim prouinciæ id ius habent) vt vrbanus verè eum locum teneat, verbaq; faciat, agrarius nunquam, nisi vrbano absente. Vterq; non solùm deliberat cum cæteris de tota Rep. sociorum, & decernit, sed à suis accipit, quæ res poscit, eaq; ad collegium refert. Quæ si ad totam prouinciam pertinent, coniunctim hoc faciunt, eaq; à collegio accipiunt prouinciali: sin solius ciuitatis sunt, à senatu certior fit vrbanus, & solus collegio generali exponit. Idem sæpè aut solus, aut cum collegâ vel præsens, vel per literas ex Ordinum Generalium voluntate ad suos, quæ sunt opus refert. Vterq; à collo-*

MARITIMIS REBVS præfecti.

à collegio prouinciali per literas publicas in possessionem muneris mittitur. De eo, qui in senatu Ordinum sessurus est, (vni quippe hic tantummodo è prouinciâ nostrâ locus, sic nunc inter oppidanos & agrarios est comparatum, vt illi in biennium, quem velint suorum designent, idemq; in alterum biennium faciant agrarij. Sed in collegium rerum maritimarum, quod Doccumi nunc est, vtraq; pars è suis vnum legat. Et tres hi, nimirum qui in senatu Ordinum futurus est, & qui in collegio Doccumano, literis collegij prouinciæ huius instruuntur, at sedendi, remq; publicam gerendi potestatem à summo Generalium Ordinum collegio accipiunt, ac in munus suum immittuntur: eiq; iureiurando se obstringunt: omnes spectatæ dignitatis virtutisq; inter suos, & ciuitate non nisi consulares aut senatorij. Atq; omnia hæc non honorata solùm sed lauta quoq; munera sunt, & opima. De cæteris quæ collegio Doccumano cohærent, vt Scribæ & Fisci præfecti, quæ prouinciæ huic cum Translauicanis sunt communia, & quæ his similia alia, dicere non libet, ne prolixior fiam. Et hæc quidem foris: reliqua domi. Horum primum & præcipuum Prouinciale collegiũ, vt initio institutum fuit, collegas octo habuit, deinde post sexennium sex habere cœpit, & adhuc habet, pari numero hinc inde lectos: de quorum munere amplissimo antè nobis dictum. Oppidanos senatus edit, & ferè ex his, qui in consulatu aut senatu fuêre, eosq; pro arbitrio suo aut mutat anno exacto, aut in munere manere patitur. Nec alius agrariorum mos, qui reliquos

Collegium Deputatorum, vti vocant, quod nunc ad 6 VIROS redactum.

liquos designant. Collegæ, vt antè ostendi, per vices, atque in orbem præsident, alternatimq; oppidanus & agrarijs: vices septimanâ finiuntur. Quæstor autem collegij, cui amplissima pecunia tractanda committitur, item Scriba à secretis, coniunctim ab oppidanis & agrarijs eliguntur in conuentu communi, ab ijsdemq; pendent; munusq; habent perpetuum, si cum fide in eo versentur. Reliquâ inferioris notæ ministeria ostiariorum, scribarum amanuensium, tabellariorum in potestate collegij sunt. Dein Quatuor-viri sunt, ab ijsdem vtrisq; pari numero electi, quos rationum magistros appellant, & his scriba adiunctus, chartarum custos. Horum officium est, indices censuum ac redituum omnium prouinciæ in promptu habere, & hos neruos Reipub. ad vnguem nosse: largitiones, quæ ex publico fiunt ab Sex-viris, aliasq; item pecuniæ aßignationes censuræ subijcere suæ, easq; vel calculo suo facere ratas, vel, si iniquas aut decretis Ordinum non congruas putent, suspendere, ac de suspensis Sex-viros monere, &, si sit opus, ad conuentum Ordinum referre: rationes quoque, quoties libet, quæstores poscere: denique curare, ne tardatis solutionibus fraus ærario fiat, neve pecuniaria res prouinciæ quoquo modo detrimentum patiatur. Vtilißimum institutum, si acribus hominibus atque integris, & boni publici studiosis, contraq; gratiam & offensam infractis fuerit commissum. Acceßit proximis armis totidem virorum collegium tertium, cui cura demandata est bonorum monasticorum to-

Quatuor-viri rationum magistri.

NOTA " " " "

Quæstores bonorum monasticorum.

tius prouinciæ, quæ prius ad collegium primum pertinebat. Causa instituti huius fuit, quòd crederetur, collegium primum rebus omnibus, quæ illi commissa erant, non sufficere. Sedent in eo duo à senatu oppidano dati è ciuium numero, duo ab ordinibus agrarijs ex eorundem medio. Designantur in comitijs. Curatio eorum annua, nisi fiat prorogatio, quæ fit sæpè. Duo ex his, alter ex oppidanis, ex agrarijs alter, actorum & rationum indices aut libros tenentur conficere, capiuntque stipendium è publico Carolinos aureos 300. cæteri verò 200. tantùm. Omnes, cùm locandum aliquid, aut controuersia inter Quæstorem & conductores finienda, quod officij eorum est, ex Sex-viris collegij primi duos sibi adiungunt, oppidanum vnum, agrarium alterum, & cum his expediunt omnia, aut si maiôr controuersia sit, quàm vt expediri ab ipsis rectè possit, remittunt eam à iudices ordinarios. Iidem Quatuor-viri soli, si qua vendenda ex rebus monasticis, quæ vsum iam non habent, vendunt: de pecunia, quæ ex locarijs, aut rebus venditis prouenit, secundùm leges sibi disponunt, quibus soluendum, solui iubent: id curæ habent, ne qua fraus à conductoribus quoquo modo Reip. fiat, ne Quæstores solutiones, quæ controuersiâ vacant, tardent neu quicquam cuiquam soluant temerè aut pro arbitrio suo. Vsi sunt prioribus annis ministerio Quæstorum duorum: nunc vtuntur vnius. Is à conductoribus exigit locaria annua, & si quid censuum aliorum, exacta, & indices suos relata ex voluntate Quatuor-virum horum manibus ipsorū signatâ

signata rursum expendit: omnium rationes reddit cum libris Quatuor-virum collatas, auscultantibus etiam ijs, quos Ordines prouinciæ ad eam rem edunt. Quæstura ista perpetua plerumque & fructuosa. Horum collegiorum omnium sedes in vrbe est, vrbemque hominum frequentiâ, ac quæstu auget. Postremo publicanorum ordo in Repub. prouinciali est, in vrbe & agro degens, inuisus hominum vulgò, sed in hoc statu & fortunâ Reip. planè necessarius. Hi vectigalia, portoria, tributa, & si quid aliud sensus huiusmodi est, conducunt in semestre, locante collegio prouinciali, ceruamque Reip. summam promittunt, prædesque dant: ipsi suo periculo colligunt, atque interdum acerbiùs, quàm gratum prouincialibus, exigunt; vt indemnes se præstent: quos fraudis compertos habent, ex legibus grauißimè mulctant: interdumque fit, vt si nimis magno conduxerint, cedere foro & facultatibus, aut cum Rep. transigere cogantur. Ministris vtuntur compluribus, & in omnes res omniaque loca intentos oculos habent, ne quid per fraudem sibi decedat. Denique totum hoc genus à Romano more illo vetero non multum discedere videtur. Ordo publicanorum.

Libet hoc loco nunc inserere institutum tum temporis nondum hic natum, cùm libellum hunc in lucem primùm emitterem, sumptum à socijs vicinis, Reip. haud inutile. Id ἐργαστήριον est castigandæ exultanti nequitiæ & ignauiæ, quale in vrbe Leowerdiâ descripsi. Locus ei est in parte cœnobij Dominicani sumptu prouinciæ totius adornatus, variè in cellulas & officinas Ergasterium castigandæ nequitiæ.

sunt. Præter eos vero collegium in vrbe est iuris dicūdi causâ antiquitùs institutum, & sæpius iam ante nobis in hoc libro memoratum, peramplâ præditū potestate ac honore, quod HOVETMANNORVM CAMERAM *vulgò indigetant. Id aūt quamquā non in ciues, sed in eos, qui vicinum agrum fœdere quondam ciuitati iunctum inhabitant, iurisdictionem directā habet, tamen non abs re hoc loco potissimum recenseo. Nec enim solùm in vrbe semper, nec vsquam alibi, sedem tenet, & ius dicit; sed etiam præter ciues opibus & dignitate præcipuos, & in his haud temerè alios quàm consolatu functos collegas non admittit, nec vlli præter senatum edendorum collegarum potestatem habent, nec aliundè quàm ab eodem senatu expectare & accipere stipendia antiquitus antè dimissam integram libertatem collegæ solent. Quod de collegio quāquam multa sparsim hoc libro dicta sint, tamen vt res manifestior fiat, paulò altiùs hic quoque quædam repetenda. Et primùm; quæ prima collegij huius, aut* Houetmannorum *origo, quod principium, dicere non possum. Nec enim id literis proditum vsquam, quod sciam. Primos verò in monimentis Reipub. mihi lectos* Houetmannos *Kenonianis temporibus, post annum 1400. à natali Domini Seruatoris nostri, superiùs ostendi, eosq; non tributis & tractandæ pecuniæ per agrum præfuisse memoraui. De his porrò, vestigijs monumentorum veterum insistens, & omnia expendens diligenter, sic reperi: Cùm concors cum ordinibus agri vicini ciuitas ageret, ac fœdera in certos annos percussa iden-*

Camera HOVETMANNORVM.

De Houetmannis *dissertatio.*

sa identidem prorogaret, propè vt vna vtrorumq; Respublica videretur, ex consensu sociorum eos profluxisse, rectiùs atq; æqualiùs expediundi iuris, & tenendæ concordiæ, conseruandæq; quietis publicæ causâ: electos esse ex spectatissimis & integerrimis quibusq; in ciuitate, interdum etiam ex ijs, qui è nobilitate agrariâ in vrbem cõmigrarant, & ius ciuitatis acquisiuerant: quinos & quinos in collegio fuisse per annos ampliùs 60. eosq; incertâ ratione, prout operam suam probassent, aut grati Reipub. essent, aut casus daret, vel permutatos successoribus; vel per annos complures, quod erat frequens, continuatos: prætoriam potestatem tenuisse in omnes per agrum habitantes, eaq; vsos totius prouinciæ, id est, & agri ciuitatis nomine, edictisq; nomen senatûs cum nomine suo subscripsisse, & ciuitatis sigillo edicta & literas signasse, ius dixisse ijs, qui fraudem sibi fieri apud reliquos per agrum iudices, aliove modo suum se consequi, non posse querebantur, exceptis successionum causis, quorum cognitio peruetusto more conuentui iuridiciali, de quo antè dixi, relinquebatur: Et tamen de his quoq; causis appellatos fuisse, decretumq; suum, vsq; in conuentus tempus interposuisse: denique huic etiam conuentui aut solos, aut cum senatu ciuitatis interfuisse, imò præsedisse, aut saltem non vltimas in eâ partes tenuisse, à sententijs decretisq; eorum, nisi ex partium consensu, prouocationem non fuisse: Imprimis verò operam dedisse, & auxilio fuisse ijs, qui crediti debitive aliquem eorum, qui in agro habebant

bebant ſedes, cuiuſcunq; is ordinis eſſet, poſtulabant: nec declinare cuiquam cognitionem, nec latâ ſententiâ tergiuerſari licuiſſe: ita celerrimè ius fuiſſe expeditum, & ſuum cuiq; tributum: multosq; adeò contractus tum paulatim eam conditionem habere cœpiſſe, vt non alios apud iudices, quàm hos, ſi quid controuerſiæ fortè incideret, aut in ſoluendo morâ exiſteret, cauſa ageretur: id inſtitutum cum alias ob res, tùm ob fidem contractuum & commerciorum tuendam ſalutare communi Reip. viſum probatumq; in morum iuiſſe, atq; ita vim legis tenuiſſe. Ad hæc *animaduerti, eoſdem, qui* Houetmanni *erant, ſimul eodemq; tempore conſules quoq; aliquando, aut ſenatores Reip. vrbanæ fuiſſe, rationes eidem Reip. eiuſve ſenatui reddidiſſe, edicendi mandandiq; ius ac poteſtatem non ſolùm apud* Ciſlauicanos, *ſed etiam trans* Lauicam *habuiſſe: quod argumento irrefragabili eſt, non ab agrarijs ordinibus vicinis eos electos fuiſſe, nec ab ijs pependiſſe, delegatamve ab ijſdem poteſtatem tenuiſſe, ſed à ſolâ ciuitate: nec enim ideò hos à* Tranſ-
" *lauicanis munus accepiſſe, aut in eorum fide fuiſſe le-*
" *gimus aut credimus, quod apud eos edicendi iudican-*
" *diq; poteſtatem ex fœdere tenuêre; nec verò congru-*
" *um eſt, eorum ſe poteſtati & iudicio* Tranſlauicanos
" *ſubijcere voluiſſe, quos* Ciſlauicanis *ordinibus agra-*
" *rijs obligatos eſſe, & ab illis leges accipere noſſent,*
" *quippè qui non cum his ipſis, ſed cum ciuitate fœdus*
" *percuterent.* Inueni *etiam hoc collegium colligendis in agro tributis, ſi quando tributis opus præfuiſſe,*

eamq;

eamq; pecuniam tractasse, aggerum, viarum, aquaeductuum curam habuisse, iudices agrarios ad faciendum officium compulisse, exorbitantesq; eosdem compressisse, ad conuentus ordines conuocasse, denique velut ad clauum Reip. sedentes, quietis & εὐταξίας custodes in tota prouincia fuisse. Et hac ad SAXONVM vsq; tempora. Ii partim sua sponte, partim stimulantibus nonnullis, qui ferre imperium non poterant, hac potestate spoliare ciuitatem conati sunt. EDSARDVS ius hoc in arctum redegit: quippè sui arbitrij electionem Houetmannorum ex ciuium numero fecit, & iurisdictionem angustioribus terminis clausit. GELDRVS electionem senatui reddidit, & iurisdictionem restituit solitam, sed quatuor Houetmannis à senatu lectis ex suis addidit quintum, qui praeses collegij esset, ac legatus ipsius, atq; hi omnes ipsius quoque nomine, atq; ipsius mandato ius dicerent. Nec quicquam CAROLVS CAESAR, aut filius eius PHILIPPVS mutarunt, eoq; modo res ad haec postrema tempora peruenit. Tum lis de toto foedere, totaq; hac cum ciuitate coniunctione mota. Eam resuscitatam nuper ORDINES GENERALES eo, quo exposui modo definierunt.

Sed aliud quoq; imperium in agro ciuitas habet haud spernendum. Id duas amplectitur Praefecturas maiores, eam quam VETEREM nominant, & SVBVRBANAM: quarum illa vicos egregios 17. haec 12. tantùm, nec prioribus pares habet: & in his coenobia quoq; 5. Vtriq; à senatu praefectus datur, *Praefecturae, & praefecti extra vrbē.*

 muta-

mutaturq; pro arbitrio. Præfectus prioris ferè consularis, ac genere nobili natus, alterius etiam haud temerè alius, quàm senatorius. Atq; ille quidem cum iudice, ex indigenis plerumq; ei addito, ius dicit cæteraq; imperij peragit senatûs nomine, sed non aliter, quàm secundùm leges & morem patrium, à quo recedere non licet. Ex hoc more Præfectura in territoria distinguitur quinq;, quorum quodlibet tribunal suum habet, in quo præfectus vicißim certis temporibus ius dicit de criminibus, rebus soli, ædificijs, ac similibus momenti maioris: nec licet profectò, cùm de his agitur quemquam extra territorium suum euocare: In cæteris, vt crediti debitiq;, negotijs maximè licet. Nec fas est, nisi in territorio suo, in quo quis vel sedem habet, vel in maleficio prehensus est, maleficum supplicio afficere, aut custodiæ mandare. Et vsus recepit, vt præfecto ius dicenti aßideant aliquot, qui in plebe territorij eminent, honoris causâ: vtq; VVedmannus *(iudicij minister) in vnoquoq; territorio sit, isq; & minora quædam, quæ iudicium solent esse, pro iudice agat, & custodiæ præsit, prehendendiq; potestatem habeat. Territoria hæc sunt: Muntense, Midwoldicum, Finserwoldicum, Brocaum, VVijnscotanum. Alter in Præfecturâ suburbanâ ius dicit, hoc modo. Habet Octo-viros Præfectura, optimos quosq; & maximè idoneos è plebe: quorum quatuor singulis biennijs munere decedunt, & totidem alij ab ijs, qui in munere manent, collegæ adsciscuntur, semel adsciti, quadriennium in munere continuant, inunusq; iu-*

rati

rati gerunt: iurant secundùm morem & leges patrias incorrupt è sed iudicaturos. Ad hæc sorte è numero suo Octo-viri ducunt duos, qui minoribus causis expediundis omnibus diebus Veneris & Saturni Groninga (hæc tribunalis huius sedes est) præfecto aßideant in trimestre, & cum eo ius dicant, idq; vicißim, donec circumactus sit totus annus. Reliqui cum assessoribus his & cum præfecto ter stato tempore singulis annis, aut quoties res poscit, grauiores controuersias soli ac similes cognoscunt & iudicant, simulq; si quá de re minore ad hunc eorum consessum prouocatum sit à præfecti duûm-virumq; sententiâ, eam quoq; definiunt. Ab eo verò, quod ab his præside præfecto definitum est, quemadmodum & à prioris præfecti sententÿs ac decretis in Præfecturâ vetere, ad Senatum vrbanum prouocatio est, si quis eâ vti velit. In senatûs sententiâ litium finis est.

Præter has SENATVS idem ditiones quoq; minores per reliquum agrum habet, in quas iudices mittit. Sed ab his non ad Senatum, sed ad conuentum iudicialem totius agri, de quo supra dixi, aut ad Houetmannus patet appellatio.

MVNERIBVS TOTI PROVINCIAE COMMVNIBVS.

FInirem hîc de rebus ciuilibus, nisi sui monerent me munera, quæ cum fœdere Belgico nata fuêre, & ciuitati agroq; sunt communia. De quibus quanquam & priùs dicta quædam mihi sunt, tamen & obiter modò id factum, & breuius quàm res videtur poscere. Sunt ea duplicia: quorum foris alia, alia domi geruntur. Quæ foris, seßiones sunt in collegijs amplißimis, quæ communia sunt omnibus in fœdere comprehensis: eaq; sunt tria. Primum est id, quod GENERALIVM ORDINVM nomen habet, honore potestateq; summum, totius fœderis ac Reip. communis caput, à quo cætera pendent, & leges accipiunt, longè lateq; inclytum, haud dißimile concilio Achaico veteri, aut AEtolico in Græcia, aut Pannonio in Asiâ, sed perpetuum. Sedes ei Hagæ in Hollandiâ, in quo mittuntur ex omnibus prouincijs socijs viri summi. Alterum dignitate & potestate proximum huic Bellica potißimum curans. SENATVS ORDINVM nuncupatur: quod quoties res ardua ac magna incidit, quæ concilio decretoq; habet opus, in partem curæ & consilij vocatur, & nunc seorsim deliberat de eâ, sententiamq; suam ad collegium superius refert, nunc cùm eodem in deliberando coniungitur.

Nostri GENERALIVM ORDINVM collegio deputati.

Assessores SENATVS ORDINVM.

gitur. Eodem quippe loco, eâdem in arce sedem habet, quo expeditior sit coniunctio. Tertium & ipsum illustre & magnarum virium est, MARITIMIS REBVS, *quæ maximè in Belgio sunt,* PRAEFECTVM *distinctum in collegia minora velut membra totius, quorum vnum in Selandiâ Middelburgi, alterum Roterodami, tertium Amsterodami, quartum Hornæ vel Enchusæ in Hollandiâ; quintum in Frisiâ Doccumi sedem nunc tenet. In collegium Ordinum Generalium ciuitas è suis, agerq́ item è suis mittunt assessorem spectatissimum ac prudentissimum quemq́ in toto vtroq́ corpore; isq́ vel prorogant honorem, quoties & quamdiu volunt, vel successores dant: plerumq́ verò in complures annos in munere relinquunt. Et sunt hi duo munere & honore partes, nec alter altero plus potest. Sic tamen obseruatur, cùm præsentes pariter sunt in collegio, vbi præsidendi vices ad hanc prouinciam venêre, (per hebdomades enim vicissim prouinciæ id ius habent) vt vrbanus verè eum locum teneat, verbaq́ faciat, agrarius nunquam, nisi vrbano absente. Vterq́ non solùm deliberat cum cæteris de tota Rep. sociorum, & decernit, sed à suis accipit, quæ res poscit, eaq́ ad collegium refert. Quæ si ad totam prouinciam pertinent, coniunctim hoc faciunt, eaq́ à collegio accipiunt prouinciali: sin solius ciuitatis sunt, à senatu certior fit vrbanus, & solus collegio generali exponit. Idem sæpè aut solus, aut cum collegâ vel præsens, vel per literas ex Ordinum Generalium voluntate ad suos, quæ sunt opus refert. Vterq́*

Maritimis rebus præfecti.

à collegio prouinciali per literas publicas in possessionem muneris mittitur. De eo, qui in senatu Ordinum sessurus est, (vni quippe hic tantummodo è prouinciâ nostrâ locus, sic nunc inter oppidanos & agrarios est comparatum, vt illi in biennium, quem velint suorum designent, idemq; in alterum biennium faciant agrarij. Sed in collegium rerum maritimarum, quod Doccumi nunc est, vtraq; pars è suis vnum legat. Et tres hi, nimirum qui in senatu Ordinum futurus est, & qui in collegio Doccumano, literis collegij prouinciæ huius instruuntur, at sedendi, remq; publicam gerendi potestatem à summo Generalium Ordinum collegio accipiunt, ac in munus suum immittuntur: eiq; iureiurando se obstringunt: omnes spectatæ dignitatis virtutisq; inter suos, & ciuitate non nisi consulares aut senatorij. Atq; omnia hæc non honorata solùm sed lauta quoq; munera sunt, & opima. De cæteris quæ collegio Doccumano cohærent, vt Scribæ & Fisci præfecti, quæ prouinciæ huic cum Translauicanis sunt communia, & quæ his similia alia, dicere non libet, ne prolixior fiam. Et hæc quidem foris: reliqua domi.

Collegium Deputatorum, vti vocant, quod nunc ad 6 VIROS redactum.

Horum primum & præcipuum Prouinciale collegiū, vt initio institutum fuit, collegas octo habuit, deinde post sexennium sex habere cœpit, & adhuc habet, pari numero hinc inde lectos: de quorum munere amplissimo antè nobis dictum. Oppidanos senatus edit, & ferè ex his, qui in consulatu aut senatu fuêre, eosq; pro arbitrio suo aut mutat anno exacto, aut in munere manere patitur. Nec alius agrariorum mos, qui reliquos

liquos designant. Collega, vt antè ostendi, per vices, atque in orbem præsident, alternatimq́; oppidanus & agrarijs: vices septimanâ finiuntur. Quæstor autem collegij, cui amplißima pecunia tractanda committitur, item Scriba à secretis, coniunctim ab oppidanis & agrarijs eliguntur in conuentu communi, ab ijsdemq́; pendent; munusq́; habent perpetuum, si cum fide in eo versentur. Reliquâ inferioris notæ ministeria ostiariorum, scribarum amanuensium, tabellariorum in potestate collegij sunt. Dein Quatuor-viri sunt, ab ijsdem vtrisq́; pari numero electi, quos rationum magistros appellant, & his scriba adiunctus, chartarum custos. Horum officium est, indices censuum ac redituum omnium prouinciæ in promptu habere, & hos neruos Reipub. ad vnguem nosse: largitiones, quæ ex publico fiunt ab Sex-viris, aliasq́; item pecuniæ aßignationes censuræ subijcere suæ, easq́; vel calculo suo facere ratas, vel, si iniquas aut decretis Ordinum non congruas putent, suspendere, ac de suspensis Sex-viros monere, &, si sit opus, ad conuentum Ordinum referre: rationes quoque, quoties libet, quæstores poscere: denique curare, ne tardatis solutionibus fraus ærario fiat, neve pecuniaria res prouinciæ quoquo modo detrimentum patiatur. Vtilißimum institutum, si acribus hominibus atque integris, & boni publici studiosis, contraq́; gratiam & offensam infractis fuerit commissum. Acceßit proximis armis totidem virorum collegium tertium, cui cura demandata est bonorum monasticorum to-

Quatuor-viri rationum magistri.

NOTA

signata rursum expendit: omnium rationes reddit cum libris Quatuor-virum collatas, auscultantibus etiam ijs, quos Ordines prouinciæ ad eam rem edunt. Quæstura ista perpetua plerumque & fructuosa. Horum collegiorum omnium sedes in vrbe est, vrbemque hominum frequentiâ, ac quæstu auget. Postremo publicanorum ordo in Repub. prouinciali est, in vrbe & agro degens, inuisus hominum vulgò, sed in hoc statu & fortunâ Reip. planè necessarius. Hi vectigalia, portoria, tributa, & si quid aliud sensus huiusmodi est, conducunt in semestre, locante collegio prouinciali, ceruamque Reip. summam promittunt, prædesque dant: ipsi suo periculo colligunt, atque interdum acerbiùs, quàm gratum prouincialibus, exigunt; vt indemnes se præstent: quos fraudis compertos habent, ex legibus grauissimè mulctant: interdumque fit, vt si nimis magno conduxerint, cedere foro & facultatibus, aut cum Rep. transigere cogantur. Ministris vtuntur compluribus, & in omnes res omniaque loca intentos oculos habent, ne quid per fraudem sibi decedat. Deniqu totum hoc genus à Romano more illo vetero non multum discedere videtur.

Ordo publicanorum.

Libet hoc loco nunc inserere institutum tum temporis nondum hic natum, cùm libellum hunc in lucem primùm emitterem, sumptum à socijs vicinis, Reip. haud inutile. Id ἐργαστήριον est castigandæ exultanti nequitiæ & ignauiæ, quale in vrbe Leowerdiâ descripsi. Locus ei est in parte cœnobij Dominicani sumptu prouinciæ totius adornatus, variè in cellulas & of-

Ergasterium castiganda nequitia.

ficinas diſtinctus, inſtitutoq; tali accommodatus, nebulonum & inertium hominum carcer. Nam qui coërceri domi à ſuis, & in obſequio ac officio retineri non poſſunt, item errones, moribus profligati, prodigi rerum ſuarum, ignauiæ dediti, cæteris noxij, facinoribus quoq; inquinati, quos capite plectere non libet, cuiuſuis generis, ſexus ætatis, in hunc abducuntur, & laboribus varijs exercentur, durioribus alijs, alijs leuioribus, diuturniore: vel breuiore tempore, prout cuiusq; mores & commiſſa merentur. Nonnunquam etiam aliunde è regionibus vicinis facinorum rei, qui ſuis domi pudori ac infamiæ ſunt, huc mittuntur. Laborandum in eo omnibus aut eſuriendum. Si qui alijs laboribus idonei non ſunt, & corpore valent, tophos tundendo minuunt, & in vſum cœmenti præparant: multa artificia docentur & factitant, quibus impoſterum è carcere emiſsi vitæ præſidia parare ſibi poſsint: ſecluduntur in diuerſis ac diſtinctis cellis, ne alij alios turbent. Datus ijs exactor eſt operæ ſeuerè vrgens, curansq; ne quid nequiter aut proteruè, ne quid ἀτάκτως agatur, ſed vt omnia fiant ordine & decenter, vt eſt ſingulis imperatum. Et huic præfecti ſunt viri quatuor, bini ex vrbe agroq; à ſuis deſignati, hi à delectis agrariorum, illi à ſenatu vrbano: qui omnes gratuitam hanc operam Reip. nauant niſi quod honoris cauſâ ſingulis trimeſtribus duabus vini menſuris non magnis ſinguli donantur. Et ne ijdem de onere diuturno queri poſsint, conſtitutum eſt, ne ſinguli longiùs biennio in munere hoc mare neceſſe habeant:

beant: deceduntq́; quotannis bini collegio, & totidem sufficiuntur, alter ex vrbe, alter ex agro. Hi totius ergasterij curam habent, disponuntq́; de omnibus, labores præscribũt; minuunt, augent, de cibo, potu, veste, decernunt: adeuntur ab ijs, qui in ἐργαστήριον dare aliquos cupiunt: ex eorum voluntate, si qui dimittendi ex eodem sunt, dimittuntur. Si qua difficilia sunt, ad collegium Deputatorum, aut at iudices ordinarios in vrbe vel agro referunt, quorum est de delictis cognitio, ac iudicium: nec ferè prouincialium quisquam, qui ætatem habeat, nisi ab his sententiâ in carcerem hunc detruditur. Pecuniam si qua opus, (opus verò fuit in principio non paruâ) sumunt Quatuor-viri curatores à Quæstore censuum monasticorum, vti est decreto Ordinum statutum; de qua quotannis mense Februario in Camerâ rationum præsentibus Ordinum delectis calculum ponere coguntur. Voluntatem horum exactor: & rationes menstruas quæ eius curæ commissa sunt, apud hos eosdem reddit. Et licet etiam curatoribus adsciscere sibi matronas duas honestas rei œconomicæ peritas, quæ partẽ curarum & inspectionis in se recipiant, sed gratuito similiter, vt ipsi curatores. Hoc ἐργαστήριον multis malis terrori, multis etiam emendationi est, à disciplina & coërcitione nuncupatum.

In omnia autem hæc, quæ prouinciæ totius sunt, conuentus prouincialis quem comitia dicunt, potestatem summam obtinet, omnibusq́; leges dat, mutat in ijs & statuit pro arbitrio, si consentiat, modò ne **Conuentus prouincialis.**

quid

quid contra leges fœderis communis, & conditiones, quæ in deditione vrbis & coniunctione cum reliquis fœderatis perscripta sunt. Conuentus huius sedes antiquissimo more Groninga est: conuocaturq́ue, quoties res postulat. Constat duobus membris, vti tota prouincia, quam ciuitas agriq́ue ordines constituunt. Ciuitatis locum in conuentu solus senatus tenet. Agri ordines quondam antistibus cœnobiorum, nobilitate agraria, & plebe rusticâ censebantur antistitesq́ue & præcipua nobilitas nominatim vocabantur: plebs reliqua vicatim plerumq́ue suos cum potestate & mandatis ad conuentus mittebat. Nunc antistites dispuncti sunt, resq́ue ad solam nobilitatem, & delectos plebis cum mandatis suorum instructos rediyt. Conuentui ædificium in vrbe peramplum & spatiosum destinatum est, in vsum scholæ quondam exstructum, distinctum conclauibus diuersis. In eorũ maximo conueniunt omnes. Et si præsens Gubernator est, in capite conclauis loco summo considet ad mensam, iuxtaq́ue eum, qui in collegio sunt prouinciali. Deinde ad dextram Gubernatoris, atq́ue in latere conclauis dextro consules & reliquus senatus sedem tenent: alterum latus cum sedilibus reliquis agri ordines occupant. Proponit in consensu gubernator quæ agenda, aut collegij præses. Eo facto interdum manet collegium loco suo, interdum, si causa requirit, discedit. Re deliberatâ senatus priore loco sententiam dicit per Syndicũ suum, si adest, aut per consulem. Sequuntur agrarij, quibus se inter se conuenire nequit, secedentes deliberant,

berant, & suffragijs inter se certant; nonnunquam etiam tripartitò diuidunt sese, vt supra ostendi, cùm de agro agerem seorsim: atque ità, si duæ partes in vnam sententiam eant, tertiam quoque trahunt. Tum, quod sentiunt, per Syndicum quoque suum, quem habent, senatui exponunt. Post disputationes vbi consensére senatus agrarijque, decretum conficitur, atque in publicum librum refertur. Id totam obligat prouinciam, ac pro lege habetur. Si consensum inire haud poßint, reijcitur res in comitia proxima, aut omittitur. Conuocatio horum comitiorum penes Gubernatorem & collegium Sex-virûm Deputatorum est, qui scripto eam expediunt, & conueniendi causas præcipuas eodem scriptio strictim comprehendunt. Stata verò & ordinaria comitia quotannis habentur mense Februario, in quibus ij, qui in collegijs omnibus sessuri sunt, eliguntur, oppidani à senatu, agrarij à suis, Quæstores prouinciales, collegiorum duorum Scribæ à secretis, cum loca vacant, designantur suffragijs vtriusque partis communibus: idque fit non solùm his statis, sed etiam quibusuis alijs Comitijs, prout res poposcerit. Post hæc peracta, si quid temporis superest, quod accidit rarius, id negotijs alijs, quæ agi in comitijs solent, impenditur. Sed comitia in leges, & instituta, ac iura ciuitatis potestatem nullam habent, nec in ea, quæ propria sunt agri. Tantùm subiecta sibi habent illa, quæ toti prouinciæ sunt communia.

DE RE ECCLESIASTICA IN VRBE.

Res Ecclesiastica in vrbe.

SIc Ciuilia: restat vt Ecclesiastica perstringam. Solent in vrbe esse, vt in principio ostendi, parochiæ tres cum totidem fanis. In his Sacerdotes sacris operantes numero 21. in quibus pastores tres singuli in fanis ac parochijs. Tandem anno 1480. vnus ex his editus velut ἔφορος totius rei Ecclesiasticæ in vrbe & vrbis viciniâ, quem PERSONAM more suo vocabant: Isq; erat velut minor quidam Episcopus, aut Episcopi vicem gerens, magná potestate & multis priuilegijs ornatus à Romano Pontifice. Hunc cæteri pastores, & duo seniores vrbis consules eligebant, & in munus suum immittebant, in magnoq; honore habebat tota ciuitas. Deinde anno 1568. cum mutationibus Belgicis via diuinitus strueretur, nouiq; Episcopatus passim in his regionibus instituerentur. Episcopus quoq; huic ciuitati datus Ioannes Cnisius ex ordine cucullatorum Vltraiectinus, Personæ nomen munusq; peremptum, Canonici constituendo collegio lecti, his alendis tuendiq; Episcopi dignati census omnes cœnobij VVerumani à rege ac põtifice versi, Adoardij quoque annua aliquot millia huc conferri coacti: cœnobium Fratrum domicilium Episcopi factum, Martiniana ædes cathedrali honore donata. Sed raro fato

vnus

vnus idemq; primus & vltimus Episcopus Groninga Cnifius fuit: quo vitâ functo, cum annus flueret 1572. res in priorem statũ relapsa est. Nunc abrogatâ Rom. superstitione & ἱεραρχία, is quoq; status cum cæteris corruit. Sacerdotum loco introducti sunt Ecclesiæ ministri, suffragijs eiusdem Ecclesiæ lecti, volente & probante senatu, qui purum Dei verbum docent, & sacramenta ex formâ diuinitus traditâ administrant duobus in templis, ipsi numero sex: quorum nullus potestate eminet supra cæteros, omnes agunt æqualiter inter se, quamuis alij alios, prout dotibus instructi ornatiq; sunt, autoritate & gratiâ præeant. His seniores additi numero ferè 16. qui cum ijsdem presbyterium conficiunt, cui commissa custodia disciplinæ & eutaxiæ Ecclesiasticæ. Coit hoc singulis septimanis semel, aut quoties res requirit, & de rebus Ecclesiasticis deliberat atq; agit: ciuile nihil attingit. Seniores qui in hoc collegium cooptantur (quod ab ipso fit collegio) non genere aut opibus aut potentiâ spectantur, sed pietate & integritate vitæ, & necessariâ prudentiâ, famâ deniq; inculpatâ. Et hi additi doctoribus sũt velut senatus Ecclesiasticus. Præter hos & Diaconi sunt in Ecclesiâ numero plerumq; 16 qui peculiare collegiũ constituunt, & conuentus suos habent: interdũ etiam, vbi res poscit, imprimis tertio quoq; mense disciplinæ causâ cum presbyterio coniunguntur, & vnum velut collegium cum eo faciunt. Hi similiter ex integerrimis Ecclesiæ ciuibus electi pecuniam pauperum tractunt, Eleemosinas colligunt, & distribuunt,

buunt, ac de omnibus rationes reddunt publicè, ad quas cuilibet, cui animus, licet accedere. Ac sunt hi diuersi ab ijs, de quibus in exponendis rebus ciuilibus dixi. Eliguntur à presbyterio, vt isti à senatu. Nec est hoc munus perpetuum, sed triennio aut quadriennio exspirat substitutis nouis: fereq; ex his, qui benè hoc munere functi sunt, presbyteri cooptantur. Est & inuisendis, solandis, erudiendis, exhortandis ægrotis, ac in mortis periculo constitutis præfectus, quem visitatorem nuncupant, ex ijs plerumq; delectus, qui in munere docendæ Ecclesiæ in vrbe vel in agro versati sunt. Is presbyterij pars est. De scholâ literariâ hic dicere prolixùs nihil attinet, quam liberalibus stipendijs constitutis in vsum docentium senatus hic instituit aut instaurauit post vrbem fœderi Belgico rursum cõiunctam. Nam ordo eius typis publicatus extat. Hoc solum hic repeto, docere in ea præceptores 7. qui stipendia à Rep. capiunt aureos Carolinos non minus bis mille sexcentos octuaginta, & domicilia habent libera ab omni onere, δίδακτρα autem à discipulis non capiunt. Sedes Scholæ in cœnobio Franciscano, vt dixi antè, sita in vrbe medio. Porrò Ecclesiæ ministri diebus dominicis ter docent in templo vtroq;, atq; insuper, reliqua hebdomade bis in Martiniano, semel in Mariano aut amnico: baptismum ijsdem in templis finitis concionibus præsente Ecclesiâ administrant: Cœnam Domini summâ cum reuerentiâ quolibet trimestri distribuunt communicantibus, idq; vicißim in templis iam dictis, nec quenquam ad mensam hanc sacram

Schola literaria.

sacram admittunt, nisi antè de mysterio benè edoctum, & capitum doctrinæ Christianæ præcipuorum mediocriter gnarum, & in vitâ probum piumq́ꝫ: cæteros ab eâ arcent. Reliqua quoq; ministerij sui ritè expediunt. In primis quolibet mense semel cœtum vel conuentum agunt in vrbe cum ministris Ecclesiarum vicanarum, quæ in præfecturâ sunt suburbanâ, disciplinæ & exhortationis mutuæ causâ. Quotannis autem semel delecti eorum, reliquiq́ꝫ presbyterij synodo intersunt ministrorum vniuersæ huius prouinciæ inter Amasum & Lauicam, in quam delecti singularem classium coeunt, nunc in vrbe, sæpius in agro, locis celebrioribus. Cæteroqui, ad conuentus menstruos & ordinarios quod attinet, nihil habent vrbani cum ministris agrarijs commune.

DE ACADEMIA GRONINGAE NVPER INSTItuta.

C*Oronis mihi esto huius libelli recogniti Academia in hac vrbe ab Ordinibus prouinciæ studio procerum eruditorum anno superiore 1614. instituta, & solenni ritu die 23. Augusti introducta: qui dies propterea ceu natalis Academiæ quotannis*

inaugurando nouo Rectori dicatus est. Collata in *finem ingens pecuniæ summa, sumenda quotannis è sensibus monasticis. Vocati viri eruditione præstantes, & celebres docendæ* Theologiæ, *Iurisprudentiæ*, Medicinæ, Historiæ, Philosophiæ, Logicæ, Ethicæ, Physicæ, *Mathematicæ, Græcæ linguæ, numero sex, vocandiq́ plures.* Locus huic Μουσείῳ *datus, iuxta fanum Franciscanum in latere eius boreo, regione imprimis commodâ, ab omni vulgi strepitu semotâ. Aedificia præclarè structa & adornata, area amœna auditorijs cohærens, porticibus latis & magnificis tribus à lateribus cincta : ipsum fanum Franciscanum in Academiæ vsum magnis sumptibus relucuientum in Academiæ vsum magnis sumptibus reparatum.* In Bibliothecam *Academiâ dignam censu annuus legatur, eiusq́ initia iam cœpta, locus ei in fano eodem destinatus, pluteis adornandus. Armarium anatomicum instituendum, ibidem, aliaq́ similia Academicis studijs apta. Subleuandis studiosorum sumptibus mensa communis instituta in capita quadraginta, qua qui vtuntur, in annum Oeconomo pendunt aureos Carolinos quadraginta quinq́, quorum quilibet æstimatur stuferis viginti, reliquum Resp. soluit. Victus in ea sufficiens & mundus ex lege œconomo dicta. Sternitur & instruitur mensa quotidie ter, ientaculo, prandio, cœna Academiæ initia hactenus felicia : & speramus cum tempore maiora : speramus inquam : Nam & nos pars eius qualiscunq́ sumus. Hoc verò studij habemus*

ex

ex voluntate optimorum curatorum procerumq́ nostrorum, ne pro libertate legitimâ ac honesta exlex licentia multorum malorum causa, apud nos inolescat, regnumq́ sibi paret; vtque ij, qui literarum studiosos apud eosdem nos se profitentur, non solum doctiores sed etiam virtute ac pietate meliores reddantur. D E V S O P T. M A X. *gratiá suâ conatibus his adsistat, & laboribus docentium & discentium benedicat,* A M E N.

⁂

F I N I S.

NOMINA COENOBIORVM, QVAE IN HAC prouincia sunt aut fuere,

Vt in ea libro vetusto scripta inueni.

MEnterna, *cui post nomen fuit* Grisemonken, *monachorum ordinis Cistert.*
Reida, *monalium ord. Prædicatorum.*
Grisefrouvven, *monial. ord. Cistert.*
Hilligerlea, *monial. ord. Præmonstrat.*
Scilivvolda, *monial. ord. Præmonstrat.*
Oldenkloster, *prope Dammonam*, Feldvvert, *olim dictam, monial. ord. Benedict.*
Nyenkloster, *ibid. monial. ord. Præmonstrat.*
Ostervvierum, *monial. ord. S. Ioannis.*
Schærmer, *manach. ord. Crucifer.*
Wittevverum, *monach. ord. Præmonstrat.*
Dammonæ, *monach. ord. Fratrum Eremit.*
Thesingæ, *monial. ord. Benedict.*
Cœnobium S. Annæ, *monial. ord. Cistert.*
Buren, *sororum S. Benedicti.*
Essen, *monial. ord. Cistert.*
Then Horn, *sororum de tertia Regul. Francisci.*

Groningæ, *cœnob. Francis. minorum.*
Groningæ, *cœnob. Iacob. ord. Prædicat.*
Groningæ, *domus fratrum.*
Groningæ, *domus sororum de tert. Reg. Francisc.*
Groningæ, *domus alia sororum de eadem Reg.*
Groningæ, *domus alia sororum de ord. VVilkensi.*
Rottum, *monach. ord. Benedict.*
Warsum, *monial. ord. S. Ioannis.*
Wytvvert, *monial. ord. S. Ioannis.*
Bethlehem, *cœnob. sororum propè Rottum.*
Oldeclоster, in die Marne/ *mon ord. Præmonst.*
Winsum, *monach. ord. Prædicat.*
Selvvert, *monial. ord. Benedict.*
AEdvvert, *monach. ord. Cistert.*
Kuismar, *monial. ord. Præmonstrat.*
Trymont, *monial. ord. Cistert.*
Thor Apel in VVestervvoldijs, *monachor. ord. Crucifer.*

In vniuersum 33.

V B B O.

VBBONIS EMMII
DE FRISIA ORIENTALI ET REIP. STATV SVB PRIMIS COMITIBUS.



RIENtalis Frisia ab Amaso & Dullarto in Occasu, à Visurgi in ortu terminata, longior quàm latior secundùm littus extensa, nulli Frisiæ partium fœcunditate & fœlicitate cedens, qua littori propinquat, portibus commodis frequens, oppidis & foris & egregijs vicis plena, alibi à me descripta est prolixè. Regio *quondam liberrima; in qua comitiorũ totius gentis libera locus proprius, velut libertati quædam dicata area erat, quem* VPSTALLESBOMVM *dicebant in Auricano agro, à prægrandibus & vetustis quercubus, in patẽti campo ingentes ramos in latum porrigentibus, iuxta quos sub cœlo, velut* Deo *teste, comitia agi solebant.* Sed, *vt antè ostendi, ambitione virorum nobilium inter se certãtium diminuta sensim popularis libertas in principatum desijt: cuius principium à primo* Comite VLRICO *fuit.* Principatus *autem talibus fuit legibus circumscriptus, vt è libertate non longè recederet.*

mitteret, vt depreſſâ libertate, aut imperij duritia populus vel hilum quereretur: Interea *Tranſiedani omnes bello oppreſſi, dein Ruſtricis Iadum, VVangri, Oſtringiorum maxima pars, qui nunc Leueranâ ditione tenentur; demùm Harlingij, Eſenſi & VVitmundanæ præfecturæ ſubiecti Rectorum ſuorum ambitione à principatu domus Vlrici & Rep. communi huius regionis inter Amaſum & Viſurgum diſceſſerunt: apud quos publica res in dominatum vertit.* De *quibus quicquam dicere amplius nobis hîc non libet.* De *ijs enim quibus aliqua libertatis ſpecies ſupereſt, ſcribere tantùm conſtitui.* Defuncto *Edſardo, ſub filio eius* ENNONE, *ac ſecutis temporibus ſenſim plus vitij libertas fecit, donec tandem ſub* EDSARDO II. *Ennonis filio vſq; eo perlapſa res eſt, vt inſtauratione omninò haberet opus.* In *principatu Comes, qui rebus præerat, vniuerſæ Reip. præſidebat, imperium & iuriſdictionem in omnes tenebat ſoli Cæſari ſubiectus, bonum publicum domi foriſq; curabat; iniurias prohibebat, ſingulorum ius defendebat, fines patriæ contra vim externam tuebatur: in eum finem arces munitas poßidebat, vectigalia & tributa capiebat.* Verũ *nec vectigalia inſtituere augereve, nec tributa poſcere ſine conſenſu populi fas ei erat.* Itaq; *ſi ijs opus habebat, conuentũ Ordinũ indicebat: in eo neceßitatẽ Reip. exponebat, ſubſidia petebat; aſſentiẽtibus Ordinibus, & obtinebat petita, & gratias agebat; abnuentibus, rem miſſam facere cogebatur. Sic nec bellum ſuſcipere, nec militem conſcribere, nec fœdus cũ exteris ferire, ſi id populo oneroſum eſſet, vel leges fer-* Status Reip. labaſcens.

certam ac fluctuantem sustulit. Quæ quoniam acerba aulæ erant abusibus assueta, ægrè sunt admissa, ac varijs modis tardata, alia atq; alia impedimenta iniecta: tandem ad tumultus & arma quoq; deuentum. At interuenientibus vicinis Ordinibus Belgicis tumultus compreßi, contentione sæpè recrudescentes, sæpè rursum sedatæ, controuersiæ compositæ, deniq; cuncta concordiæ ac quieti reddita. Onera plebis rusticæ, & seruitia aulica, quæ varijs modis sensim obrepserant, amplißimâ pecuniâ annuâ redempta: tribunalia inferiora reformata, præfecti & iudices legibus circumscripti: ciuitatum iura pristino statui restituta, aut facta meliora. Inprimis iudicium superius cõstitutum perpetuum, in quo è Nobilitate patriâ tres, Iurisconsulti sex sedent, liberalibus stipendijs ab Ordinibus ornati. Præses eius est è nobilitate; Propræses ex Iurisperitis. Hoc summam totâ regione iurisdictionem habet, ad quod à sententijs omnium tribunalium inferiorum prouocatur. Formatum primùm & institutum autoritate Cæsaris, sed ob vitia, quæ obrepserant, refictum. Etenim Comes, quia nominationem omnium habebat, qui in iudicio sedebant, consiliarijs aulicis, speciali sibi fide obligatis, dicasterium repleuerat, eorumq; operâ vt plurimum alijs in negotijs vtebatur: quod ab instituti scopo toto cælo aberrabat, & litigantibus imprimis erat noxium. At interuentu eorum, quos dixi, eò reducta res est, vt amotis plerisq; alij surrogarentur populo grati: simul lex hæc addita, vt omnium munus sit perpetuum, nec liceat

Dicasterium prouinciale

controuersiarum, & tuendæ iustitiæ ratio : vltra quam si quis tendere longiùs velit, ei appellare Cameram Spirensem, quæ est Imperij Germanici, aut Cæsaris tribunal aulicum licet. Huic δικαστηρίῳ scriba est à secretis, chartarum & actorum omnium custos, qui eodem designatur modo, quo iudices ipsi: & amanuensis huius, & causarum procuratores quatuor, & pedellus, & cursores, & ostiarios, aliíq; id genus ministri, qui toti in potestate collegij sunt. Et comes, quoniam & actor & reus fit apud hoc tribunal, procuratorem generalem ibidem habet semper in vtramque partem pro Domino suo paratum. Qui idem Comes nisi iudicatis pareat, nec tamen Cæsarem Cameramq; appellet, tenentur iudices post admonitionem tertiam, hac de re querelas deferre ad populi ordines, & ab his auxilium rogare. Non libet hoc loco de iudice prouinciali scribere, cuius olim peramplum munus; nunc nomen tantùm retinet, iniuriarũ potiùs quæsitor aut mulctarum magister iam dicendus: nec de eo, qui in scortationes, & id genus peccata inquirit, & reos pecuniâ emungit. Qui si in indicendis mulctis exorbitent, sententia eorum à dicasterio possunt rescindi. Omitto quoq; iudices eos, qui aggeribus & aquarum claustris præsunt hac in regione: quorum perhonesta & patriæ vtilißima est curatio, & potestas lata, de quâ abundè nobis est in prioribus dictum.

De collegio *aßignatorum, deq;* Ordinum *deputatis, qui collegio huic, poscente re, adsistunt, posteà dicam.*

*** CIVI-

uenisse sic, vt Nordani victi victoribus mille marcis auri puri, & quinquies mille argenti satisfacerent pondere & monetâ EMETHENSI. *Quod arguit malam eorum fidem aut grauem errorem, qui persuadere rerum Frisicarũ ignari conati sunt 140. ante annos Embdã viculũ fuisse vilißimum, præter piscatorum tuguria nihil complexum. Succedenti æuo, cùm iam ambitio Nobilium inualuisset per omnem Frisiam cœpissetq́; libertati populi non ruri solùm, sed etiam in oppidis paßim officere*, Abdenij *etiam apud Embdanos caput extulêre: Ex quibus primus VViardus Luuerdi filius non* Hautlingium, *vt ferè cæteri è nobilitate, quod πρωτεύοντα significat, sed* Drosten/ *id est, perfectum vocitabat, quod potestatem significat ab alio acceptam, eratq́; appellatio priore inferior. Quanquam posteri eius* Hautlingij *quoque dici voluerant, vt apud Snecanos eodem sæculo Boccama, apud Leoverdianos Cammingij, apud Franekeranos Sjardæi, apud Bolsuerdios Iuvvingij aut Iongamai: Et qui inter eos familia princeps erat, præpositura quoq; titulo vtebatur, quæ erat ἐφορεία sacri ordinis. Interea tamen oppidum suo iure, suáq; libertate fruebatur vti oppida alia, quæ iam recensui, sub* Hautlingis *suosq́; quoque iudices ac senatum quendam suum habebat. Hoc quippè nomine magistratum suum oppidanum oppidani afficiebant. Qui idem magistratus eodem nomine dictus adhuc in vsu erat per aliquot annos, cùm Hamburgenses postremo* Abdeniorum *oppresso, saluo*

oppidi

compositione id, quod à ciuibus in constituendo senatu nouo erat actum, est confirmatum. Simul sic conuenit, vt concilium 40. virûm, quos conseruando iuri & commodis ciuitatis contra consilia Comitis & veteris senatus ciues iam dudum ediderant, in ciuitate maneret in certos vsus postea dicendos: Consulum & senatorum munus posthac bienne esset, nec tamen omnes simul honore ac munere decederent, sed singulis annis consules duo & senatores quatuor: inq; horum locum totidem alij succederent: mutatio hæc fieret quotannis surgente mense Ianuario: fieret verò hoc modo. Concilium 40. virûm Calendis Ianuarijs in curia coactum tum ex sese, tum ex omni ciuium numero per suffragia designaret viros quatuor consulatui gerendo idoneos, atq; item octo senatorio loco dignos, eorumq; nomina ad Comitē sine morâ mitteret: Comes ex prioribus duos consules, ex reliquis quatuor senatores diligeret, eosq; Emdæ in curiâ die 7. Ianuar. ederet, ac per aliquē suorum iureiurādo obstringeret, quo ij pollicerentur, & comiti & ciuitati fideles se futuros, ius incorruptè, sine odio, sine gratiâ dicturos, pacta Delfsilana pro viribus seruituros: tum statim totidem alij consules & senatores, quorū vices essent, id est qui biennium iam explessent, exautorati munere decederent, locumq; succedentibus darent: Atq; hoc semper in orbem recurreret. Ita senatus certius formatus, & virorum 12. factus, quem proximis annis Comites abusi iure suo minuere, augere, sæpè ad paucissima capita redigere pro arbitrio suo solebant.

Delfsilana. Conuentio

tem spectabant, exuerant nullo vnquam tempore rursum muniretur, fossa compleretur, præfectus iuridicus ei non daretur, nisi ciuitati gratus: munitio noua intra extrave vrbem, præsertim ad Amasum Fl. supra infrave eandem vrbem, per quàm impediri quoquo modo commercia possent, à Comite nulla excitaretur. Ecclesiæ libertas in eligendis verbi ministris, in habendo seniorum collegio, & reliquo ordine, reliquisq; ad pietatem facientibus exercitijs illæsa conseruaretur: doctrina alia, quàm quæ recepta iam dudum est, publicè in vrbe non doceretur, neu diuersæ religionis exercitio locus daretur: scholarum ratio in arbitrio solius senatûs esset. Concilium 40. virûm non coiret nisi copiâ à consule præside rogatâ: loca in concilio suo seu morte, seu quo casu alio, vacua facta ipsum suppleret, cooptatis per suffragia successoribus ex toto corpore ciuitatis electis, ijq; electi apud Concilij præsidem iure iurarent. Atq; omnia hæc à partibus probata & signata tum sunt, & rogati generales prouinciarum sociarum Ordines, vt & ipsi eadem subscribēdo & signando rata haberent, & defensionē eorū contra violatores in se reciperent. Idq; factum. Iurant in hæc cōsules & senatores, quoties initio muneris sui Comui & Reip. se obligant, & qui in concilium iuratum cooptantur, cùm apud præsidem concilij iusiurandum deponunt. Hæc conuentio DELFSILANA *vulgò dicta est à loco, quo est inita, fundamentum primum reformati status ciuitatis: Ideo prolixius hic à me est exposita. Ea ob æquitatem manifestā de verbo ad verbū repetita, & solēnius confirmata est à Cæsare Rudol II.*

di quot annis ipsis Calend. 5. Ianuarijs concilio 40. virûm potestas liberrima est data: confirmatio & iurisiurandi postulatio Comiti relicta: quo iure nisi ijs vtatur ante exitū diei 7. Ianuar. cōuenit vt acta 40. virûm nihilominus sint rata, & designati ab ijs iusiurandum dicant apud consilium 40. virûm Senatui concessum, suburbia quæ magna sunt, cum vrbe coniungere, vallo ac fossa cingere, iurisdictioni suæ subiecta habere, nec minus iuris illic tenere, quàm tenet in ipsa vrbe: pro cessione hac pecuniâ satisfacere Comiti vel ex ipsorummet comparatione inter se, vel ex arbitrio bonorum virorum vtrimq; delectorum: datum quoq; ciuitati in sumptus nouarum munitionum & vsus alios de suo tributum conferre, sed sine onere Ordinum reliquorum. Præterea quietis publicæ gratiâ senatui permissum militum cohortes centenarias sex aut septem conscribere, alere, in vrbe habere impendio omnium totius regionis Ordinum, ijsq; præfectum generalem dare, iuraturum Comiti, Ordinibus, & ciuitati Embdanæ, militibus his se non vsurum nisi ad conseruandam ciuitatem contra vim externam, & motus externos. Signata conuentio hæc mense Aprili anno 1603. Eam secuta est paulò post Ordinum, quorum intererat, approbatio, & hanc deinde transactio cum Embdanis de parte sextâ omnium onerum, quæ toti regioni communia sunt, ferendâ. Demùm anno 1606. vergente, formatum est collegium 6. virorum administrandæ pecuniæ publicæ, potestasq; eius definita; de quo dicetur suo loco. Sic rursum omnia & quieti certæ & concordiæ restituta. Sed denuò per eundem

Frantzium, semper aliquid mali parturientem, nouis turbis causa data. Quibus componendis, petente ac rogante Comite legati amplißimi ab ijsdem vicinis Ordinibus huc missi anno 1611. quorum opera diligēti ac fidâ Osterhusæ in generalibus populi comitijs omnes controuersiæ inter comitem & vniuersos eius subditos, vnâ exceptâ Emphyteuticâ causâ, feliciter sunt finitæ, multisq; rebus melior ordo datus, cuncta hæc, quæ iam de Emdanis rebus dixi, confirmata rursum, rursumq; dubiorum interpretes, & transgreßionum vindices ijdem vicini Ordines Belgici nuncupati. Factū anno iam dicto, mense Maio. Ab hoc tempore Emdæ tranquillitas in Rep. mansit: senatus 12. virū, quorum 4. consules, 8. senatores, caput ciuitatis, ex formulâ conuentionis Haganæ, quotannis à 40. viris cōstitutus. In quo hic modus obseruatur. Ipsis Calend. Ianuar. post sacra in templo peracta horâ 12. meridianâ conueniunt in curiâ 40. viri. Illic in consessu verba præses consilij, monetq; omnes, vt memores fidei, quam Reip. debent, optimos quosq; eligant, qui in annū surgentem præsint ciuitati: simulq; ad preces Deo dicendas, vt is gratiâ suâ ipsis adsistere velit, hortatur seriò. Mox precibus finitis, submonente eodē præside singuli ordine secedunt ad mensam cōmodo ad eam rem loco intra idem conclaue positā, atq; illic in chartulâ, cuiusmodi multas ibidem paratas inueniunt, virorum 4. nomina, quos maximè idoneos gerendo in eū annum consulatui existimant, consignāt chartulamq; conuolutā in vrceum ligneum conijciunt, cuius collū

Transactio Osterhusana.

Modus eligendi senatum Emdæ.

non

non amplius est, quàm vt manus per id ipsum in alueũ eius immitti poßit. Quo ab omnibus facto, præses easdem illas chartulas ordine alias post alias ex vrceo, qui coram eo locatus est, depromit claraq́ voce nomina in singulis notata recitat. Ea recitata concilij scriba excipit, *& in aliam chartam refert, hac seruata ratione; ne quod nomen, quanquam sæpè recurrens nisi semel annotet.* Tum *sine morâ chartulæ omnes eductæ igni dantur, ac nomina à scribâ cõsignata, eo ordine, quo ab ipso signata sunt, ex eius chartâ, clarâ iterum voce recitantur.* Mox *patinæ duæ ligneæ circumferũtur, quarum altera numos habet æneos semunciales numero 40. signatos voculâ affirmante* ja / *altera similes alios eodem numero & pondere, signatos vocabulo,* neen. Ex *vtraq́ harum cùm quilibet 40. virum numũ sibi sumpsit vnũ, scriba confestim pronuntiat ex chartâ suâ nomẽ primo loco scriptum, vt id in suffragia mittatur: statimq́ ex concilio duo circumferunt per ordinem pocula totidẽ lignea angusti oris, in quorũ id, quod prius est, singuli sedentes suffragiũ dimittunt affirmatiuũ, negatiuumve, prout ipsis placet: in altero, cæteri solũmodo numi recolligũtur in vsũ reliquæ actionis:* Deinde *numi omnes ex priore poculo, qui soli suffragiorũ vim habẽt, in capite mensæ, vbi præses sedet, effundũtur cæteri è poculo altero in eiusdẽ mẽsæ parte oppositâ. Quib. administratis, euestigiò præses cũ collegis tribus, qui proximè ei aßident (quatuor enim sunt in cõcilio, qui per vices præsidẽt,) diribitores suffragia affirmãtia à negantib. separant, dinumerantq́:*

ac numerus sine morâ clara voce à præside pronunciatus cum nomine ipso, de quo quæsita suffragia sunt, à scribâ in chartâ notatur. Atq; hæc actio pari ratione de cæteris omnibus, quorum nomina edita, & à scriba in chartam relata fuére, repetitur: quiq; ex his quatuor numero plurima suffragia affirmantia tulisse reperiuntur, hi consules electi habentur. Tum in continenti ad senatores designandos itur, modo atq; ordine eodem. Singuli enim ex concilio nomina virorum octo in chartulâ scribunt, quos præ alijs idoneos obeundo in istum annum muneri senatorio arbitrantur. Mox reliqua peraguntur ita, vti iam est expositum, nec antè actionis finis fit, quàm octo senatores per plurima suffragia fuerint designati. Acta verò omnia lex silentio premi iubet vsq; ad diem 7. Ianuar. ad quem diem Comes de omnibus è vestigiò certior factus per literas, ex lege mittit aliquem suorum, qui acta concilij nomine ipsius rata habeat, & electos iusiurandum poscat, in eadem curiâ præsente concilio toto. Quod si Comes aut nolit fortè, aut negligat hoc facere, nihilominus, vt ostendi antè, electio rata tenetur, electiq; iusiurandum præstant apud eosdem 40. viros præeunte verbis concilij præside. Ac tum demùm electorum nomina, consulum primùm, deinde senatorum, è curia loco sublimi affusâ & auscultante populi multitudine publicantur. Iurant verò in eam sententiam, quàm supra recitaui, cum de pactis Delffsilanis agerem, expreßimq; hoc pollicentur, à pactis conuentis & transactionibus non se recessuros, imò asserendis ijs & tuendis

endis omne studium & fidem adhibituros. De potestate quoq; *senatûs ibidem dixi: de quâ post per secutas conuentiones detractum nihil, immò eadem clarißimis verbis, ac planioribus quàm in pactis ÿsdem Delfsilanis confirmata & sæpius sancita.* Eius est vniuersam Remp. oppidanam curâ suâ complecti de eâ libertate, statuere, cæteros ciuitatis ordines, cùm placet, & quos placet accire, & eorum consilia cognoscere, in omnes imperium legibus & pactis conforme habere, munera publica ordinare, mutare, noua quoq;, si poscere videatur vsus ciuitatis, instituere, ÿs præficere, quos vult, potestatem prorogare quàm diu vult, & abrogare cùm vult: aliaq; priùs recitata. Omnium in senatu par dicendæ sententiæ, ferendiq; suffragÿs ius. Sed consules dignitate, autoritate, loco ipso, in multis quoq; rebus potestate cæteris præstant. Nam consessûs loca prima semper tenent, velut principes senatûs, primi sententias rogantur, & dicunt, apparitores habent, per vices trimestres senatui præsident: qui præses est, primus negotia, quæ ex more aut lege ad eum plerumq; deferuntur, audit, senatum conuocat, negotia in senatu proponit, sententias quærit, suffragia colligit, concludit, senatu sententiam pronunciat. Idem legatis ac aliÿs petentibus senatum dat; litigantibus copiam citandi, detinendi, agendi apud senatum facit, sigillorum ciuitatis, item clauium, quibus portæ & portus, & omnes aditus in vrbem clauduntur & aperiuntur, custos est; per vigilum præfectum excubitoribus nocturnis tesseram dat, vocandi & præbendi

Potestas & ius senatus

dendi potestate præditus est. Longiùs tamen progredi nec ipsi nec collegis eius absq; voluntate senatus licet.
Syndicus. Habet senatus à consilio Iurisconsultum, quem Syndicum vocant, cuius prudentia in causis publicis & priuatis plurimū vtitur, quiq; eā ob causam senatui frequēter assidet, ac deliberationibus interest: ac quāquam suffragij ius non habeat, multum tamen autoritate, cùm sententiam suam exponit, potest præsertim apud eos, qui prudentiæ propriæ diffidunt. Hunc locum à multis iam annis tenet ac magnâ cum laude tuetur consultissimus & clarissimus vir, doctrinâ virtute, fide singulari planè eximius, & ingenij sui monumentis æternùm victuris illustris IOANNES ALTHVSIVS sincerâ ac peractâ amicitiâ mecū coniunctus. Præter eum senatus idem à secretis habet eruditione præstantes viros duos, per quos quæ scribenda sunt, expedit, codices actorum conficit, curiæ scrinia custodit, negotia domi forisq; multa peragit. Et hi vicariâ operâ ὑπογραμματέων ac amanuensium aliorum vtuntur, qui assiduò in Camerâ secretorū versantur, & scribendo sunt occupati. Syndici & secretariorum, (liceat mihi hoc vocabulo etiam hic vti, quanquā à consuetudine veteris sermonis Latini alieno) perhonorata simul & non infructuosa sunt munera. Apparitores tot sunt, quot consules, qui mandata senatûs & consulum exequūtur: atq; istis gradu maior ostiarius, qui curiam & conclaue senatûs claudit & recludit, perpetuò conclauis ostio, cùm senatus habetur, assidet, vocatos à senatu admittit & emittit, & similia

similia curat. A senatu proximum in ciuitate est cōcilium 40. virûm, quod sæpè iam memoraui, natum postremis temporibus ante instauratā Reip. formam, libertate fatiscēte, ac in arctū redactâ, optimis quibusq; ex toto populo delectis, ac potestate mandatoq; instructis ad tuendas libertatis reliquias contra senatum, & Comitem, cui se senatus mancipio dederat, & ad ea, quæ prolapsa iam erant, quantum res dabat, instauranda; sed sine motu multitudinis, legitimâ viâ iuris, vti vocant. Idem rebus compositis, orbe Reip. conuerso, vti antè ostendi, in ciuitate relictum, non iam senatui oppositum, vt priùs, sed ei subiunctum, vt in rebus magnis senatum consilio fulciret ac iuuaret, autoritatem assensu & studio suo firmaret, iusta decernenti auxilio esset; secus si quid fieri aut parari videret, quod cū libertate aut cōmodo ciuitatis pugnaret, ac res id videretur poscere, modestè submißeq; senatum eundem moneret, virorumq; emendationē peteret, concordiā ciuilem, quantùm posset, foueret ac tueretur, curaret, ne aut ciuitas ære alieno, aut ciues oneribus non necessarijs grauarentur, deniq; quod caput rei est, in designandis ijs, qui consulatu aut senatorio munere fungerentur, quotannis operam nauaret Reip. & totius ciuitatis nomine iureiurando designatos obligaret. Et hactenus hoc quidem sic obseruatum est, vt senatus, si quod nouum opus magni impendij, si munitionē nouā pararet, si de tributo, de subsidio à ciuibus petendo, de vectigali nouo instituendo, aut vetere augendo cogitaret, nihil acciperet, nisi consulto, & cōsentiente hoc

Concilium 40. virûm.

concilio, concilium viciſsim cum ſenatu concors ſummo ſtudio conſilia ac voluntatem eiuſdem in rebus hiſce promoueret: in comitijs totius prouinciæ cùm quid agendum, delectis ſenatûs concilium hoc concordiæ causâ non iure certo, ſed ſenatûs permiſſu delectos ſuos vt plurimùm adiunxit: in rebus cæteris nullis ſe miſcuit, niſi fortè ſenatum de aliquo monendum putaret, quod ei licuit, vt & alijs ciuitatis membris. Sunt in concilio, vt dixi, præſides quatuor, conſulum inſtar, qui concilium regunt. Horum ſinguli per vices itidem trimeſtres concilio præſident; quoties conuentu opus eſt, concilium per miniſtrum ſcribam conuocat: ſed nec conuocare, nec coire fas eſt neſcio, aut non aſſentiente conſule ſenatûs præſide, à quo copiam rogare concilij præſes cogitur, eamq; facilè, ſi cauſam conuocandi eidem conſuli probet, ab eo impetrat. Conuocandi ſymbolum numus eſt æreus ad ſingulos miſſus, cuius generis 40. in hunc vſum ſunt in præſidis cuſtodiâ. Locum conuentûs ordinarium habet in curiâ: ſeiunctum à loco habendi ſenatus: in conuentu præſes proponit, & reliqua, vti in ſenatu conſul, peragit. Nullum conſilio huic imperium, nulla iuriſdictio. Poteſtas ſi qua eſt, intercedendi eſt: alia nulla eſt. Vt dicam, quod res eſt, meliùs Reſp. haberet, ſi concilium hoc non niſi coram ſenatu conueniret, coram eodem deliberaret, ſententias diceret, & coniunctim cum eo ſua ageret omnia, exceptâ re, quam Calendis Ianuarij peragit. Hoc ſine dubio ad alendam concordiam plus faceret, & à periculo diſcordiæ abeſ-

ſet

set longiùs. Cùm loca vacant in concilio, ipsum concilium optimos quosq; ex omni ciuium numero, vt ostendi, per suffragia lectos supplendis locis cooptat, cooptatosq; concilij præses sacramento obstringit. Hactenus de duobus præcipuis ciuitatis membris. Accedit his & tertium magni imprimis momenti & magni vsus, ad ordinem armorum & vigiliarum pertinens, quem optimum & accuratißimum ciuitas instituit statim post instauratum Reip. statum. Habet autem sic. Tota ciuitas suburbijs exceptis, diuisa est in cohortes ciuium 21. quarum 13. numerantur in vrbe vetere, 8. in nouâ, cui Valdera nomen est. Qualibet verò cohors præfectum habet, & præfecti legatum, seu vices eius gerentem & vexilliferum, omnes ex honestissimo ciuium ordine delectos, & muneribus istis maximè idoneos, & præter hos curatores alios inferiores ad imum vsq;, quales sunt in cohortibus militaribus stipendio conductis. Supra cohortiũ præfectos sunt Quatuor-viri, quos regionum magistros vocant, duo quidem in vrbe vetere curantes, & totidem in parte nouâ, sed cohortium numero quas curant, impares. Hi cum cohortium præfectis collegium id conficiunt, quod dixi virorum 25. in quo ipsi velut præsides sunt, & summam autoritatem tenent. Eliguntur à senatu, ab hoc potestatem accipiũt, huic iureiurando se obligant, fidemq; & obsequium promittunt: deniq; toti ab huius nutu pendent, & in munere suo manent, quamdiu eidem senatui placet, At cohortium præfecti, cùm loca vacant, ab his regionum magistris, & reliquo collegio,

Armorum & vigiliarum ordo.

custos tranquillitatis & salutis publicæ est, ac ciuitatis robur: qui nisi in ciuitate fuisset his periculosis temporibus proximis, præsens status Reip. sine dubio pessum iam dudum iuisset. Eius appendix magister vigilum est è ciuium numero à senatu electus; qui tesseram excubitoriam à præside Consule petit, & ad excubitores defert, vigilibus loca sortitò adsignat, vigilias cum alijs nonnunquam visitat, claues portarum ab eodem cõsule accipit, & stipatus apparitoribus duobus militibusq; quatuor portas obserat reseratq;, & claues ad eundem quoq; consulem reportat. Quo cùm idem munus administrat ac per vices eodem modo obit alter, qui sub præsidio militari censetur. Sed ex tribus his præcipuis ciuitatis collegijs, vt ostendi prius, solus senatus totam iuris dicundi potestatem in vrbe tenet.

Iudicium Inferius Emdæ.

Is verò vt negotijs maioribus vacare rectius poßit, pro iure suo tribunal inferius constituit, in quo lites viliores, & quæ pretium aureorum 50. non excedunt, cuiusmodi multò plurima in ciuitate inter homines ex imâ plebe sunt, audiantur & dirimantur. Institutum Reip. perutile. Id enim ni esset, optima horæ huiusmodi litigijs vilibus & nihil audiendis, & explicandis senatui, supremo ciuitatis collegio, toti Reip. gerendæ perfecto peßimè perirent. Huic tribunali iudicem senatûs præficit haud temerè alium quàm virum grauem consulatu antè functum velut πρόεδρον eiq; assessores adiungit duos, qui aut in senatu quoq; fuére, aut iuris disciplinæ non sunt imperiti. Iudicij præses multa sæpè domi expedit, quæ cognitione ma-

ne maiore non habent opus. Cæteroqui tribunalis locum semotum à senatus conclaui in curiâ habet, atq; ibi cum assessoribus ius dicit, eiq; rei totus vacat. Cuius sententiâ si quis se læsum arbitretur, huic licet eius recognoscendæ gratiá senatum appellare: sed longiùs contendere non licet. Iudex ipse & assessores eius, vt ostendi, à senatu eliguntur, & ab eodem toti pendent: & vel multos annos in munere relinquuntur, vel post annum aut biennium trienniumve mutātur. Iudici verò huic peculiaris est apparitor, iudicij minister, eodem habitu indutus cum apparitoribus consulū, vt dignoscere hunc ab istis non poßis. Quid de Quæstoribus dicam, quos duos ciuitas habet, qui tractant omnem eius pecuniam, & quotannis, aut sæpius, de eâ rationes apud eos quibus hoc commissum reddunt. Horum alter curat pecuniam, quæ ex vectigalibus & tributis veteribus & reliquis ciuitatis censibus varijs conficitur; & ferè è numero senatorum est, aut honore senatorio functus; Alter præest pecuniæ, quæ ex tributis & vectigalibus nouis prouenit, concilij 40. virū vt plurimùm consors, qui coactorum loco publicanis vtitur. Nam ij, quanti vectigalia tributaq; noua in semestre redemerunt, tantam summam singulis semestribus huic præstare coguntur. Vterum alia ferè & quidem varia ratio est, quàm exponere heic prolixum & tædiosum foret: Præcipui, qui eam curant sunt vectigalium, accisarum, trutinæ publicæ, gruum tractoriarum, ergatarum, tollenonum magistri. Et quæstores hi duo, vt pecunijs diuersis & distinctis col-

ligendis ac recipiendis, ita diuersis quoq; & distinctis stipendijs, vsuris, mercedibus soluendis præsunt, & mandata habent. Vterq; verò rationibus reddendis obnoxius est apud Quatuor-viros, quos rationum magistros vocant, proximis his annis permittente ac volente senatu ex concilio 40. virûm & ab eodē concilio deditos. Horum munus latè patet. Nam εὐθύνας ij debent, quotquot pecuniæ publicæ partem aliquam tractant. Conueniunt singuli septimanis ter tēpore pomeridiano, aut quoties res postulat, loco ei rei destinato in curiâ, & quæ muneris sui sunt, faciunt: rationes exigūt, auscultant, examinant, cēsent quotānis, aut etiā sæpius, si sic placeat, tractata cuiusuis pecuniæ publicæ, quæ ciuitatis est, præsentib. delectis è senatu: & rationum istarum indicem conficiunt per scribam suum, quem habent, & eum asseruant, vt in promptu sit, cùm eo est opus: operam dant, ne solutiones, quæ ciuitati debentur tardentur, tardentesq; ad senatum deferunt: curant, ne pecuniæ publicæ in alios vsus vertantur, quam in quos sunt destinatæ: dispiciunt quæ ex ærario soluendæ sint, & è manibus suis subsignant: nec licet quæstoribus sine horū Chirographo quicquam cuiquam soluere, si velint ipsi esse indemnes: & quælibet hebdomade pastores sibi adesse iubent, & exhibitas ab ijs solutionum apochas inspiciunt: controuersias publicanorum, quas vel inter se, vel cum ciuibus habent, cognoscunt & finiunt; & nec ciuibus à publicanis, nec his ab illis fraudem fieri patiuntur: acceptorum expensorumq; rationem quoque poscunt à legatis

Camera rationum.

ciuitatis

ciuitatis Reip. causá peregrè missis: pecuniæ fænebris quã se ciuitas obstrinxit obstringitve, indicẽ integrũ, & obligationum aut chirographorum huiusmodi apographa in libram relata, quemadmodum & indicem omnium eorum, quæ vterq; quæstor ordinariè exsoluere tenetur, in scriniis suis habent in vsus quotidianos: deniq; cum armentarij magistro, & regionũ armorumq; præfectis eorum etiam curam agunt, quæ ad armentarium eiusq; impẽdia pertinent. Cætera huius generis prætereo, ne nimis fiam prolixus. Hoc solũ coronidis loco subiicio, arbitrij senatus esse, suorũ aliquẽ, si velit, seu consulem, seu senatorum collegio huic tanquam ἔφορον apponere. Est verò & ædilitas inter præcipuos honores in hac Rep. quâ qui fungitur, curationem habet omnium operum & ædificiorum publicorũ, dat operam vt quæ instruuntur, ex vsu pariter & dignitate ciuitatis struantur, ne qua fraus in omni hac re Reipub. fiat, imperium in fabros publicos & reliquas operas obtinet. Hoc ædilium munus obiit proximis aliquot annis, atq; etiam nunc obiit magno cum primis bono publico laudatissimis ac præstantissimus vir, senator optimus SAMVEL VVINGENIVS Pauli fil. rebus agẽdis natus, mihi multá beneuolentiâ, multis officiis, multo tempore cognitus. Sunt & Quatuorviri sclopettariorũ principes, quos sic vocãt, credo ex eo quod tractandis sclopettis aut minoribus tormentis iuuentutem soleant exercere: ad quos pertinet maximè, publica loca, fora, vicos, portus, canales & res similes, quæ ad exonerandam sordibus & cœno ciuitatem faciunt, curare; tum verò, ne qua confusio in nauibus

[illegible] portum subeunt, aut relinquunt, vtq; in [illegible] earum seruetur ordo, prouidere: quo- [illegible] nunc quadriennium durat, vno, quotan- [illegible] collegio decedente, & alio ex quatuor honestissi- [illegible] conditionis, ac nominis ciuibus, quos ipse decedens cum collegis cæteris edit, à senatu surrogato. Ad hos decem viri incendiorum auertendorum & reprimendorum magistri, bini & bini in qualibet vrbis parte quintâ: quorum munus, non solùm operam dare, ne quid detrimenti ciuitas capiat, neu quis tumultus existat, incendio fortè exorto, vtq; id quàm celerrimè restinguatur, sed etiam, vt quæ istuc pertinent, instrumenta publica priuataq;, item aquæ copia, semper parata & expedita sint: & his binis singuli senatores additi, qui tum consilio tum ope ipsis adsistant. Sunt itidem portorij & cæterorum vectigalium magistri, viri honorati, qui publicè ad portum sedem habent. Rursumq; Quatuor-viri ædiles annonæ quotidianæ, quæ in vrbem inferuntur, venalisq; proponitur in foro, ponderum item & mensurarum omnium rationem habentes, imprimisq; id operam dantes, ne qua fraus populo fiat à pistoribus, neve corrupta pro probis [illegible] veneant, ne propôlæ coëmendis rebus minoribus impor- [illegible] obstent commodo reliquorum ciuium: ne alibi [illegible] in foro res eius generis distrahantur. Quibus [illegible] tanquam præses & rector quidam adiunctus est [illegible] senatu vnus, quem ex re fori magistrum appellitant: [illegible], idem alter ex eodem senatu, qui pro frumenti [illegible] tio, quod accrescit & decrescit, ex senatus volun-

tate

tate pistoribus pinsendi panis pondus præscribit quali-bet exeunte septimana: cui nomen ex re quoq; inditum. Nec prætereundus *armētarij publici* ἐπιμελήτης *& ipse è senatorum numero, qui nō solùm* ὁπλοθήκην *quæ in curia est instructißima in omnes casus, curat, & id agit, ne quid vnquam ei desit, sed etiam tormentorum maiorum, quorum vsus in vallo & propugnaculis, & armatis nauibus est, pulueris pyrij, ingentium pilarum ferrearum, plumbearum, saxearum, & reliqui instrumenti, quod ad tormenta eius generis facit, curam sibi commissam gerit. Cui in has res tormentorum magistri quatuor sunt attributi, quorum opera vtitur. Hos* Constablios *vulgo nuncupant. Quid memorem eum, qui tales omnes lineas & laneas peregrè aduectas recipit domo publicâ, quam* Hallam *vocant, eas examinat, metitur, asseruat fide publica, quamdiu est opus? Is Hallæ magister dicitur: Quid item carceris publici præfectum, qui cum ministris armatis vrbem perambulat aßiduò, & si quem tumultuari, aut aliud committere grauiùs deprehendit, in custodiam trahit? Plebs verò more aliarum ciuitatum distincta est in varias sodalitates, quales sunt mercatorum, nautarum opificum omnis generis, quæ singulæ sua statuta, suas leges, suos congressus, suos præsides habent. Hos præsidis* Oldermannos, *id est, seniores appellant, quorum arbitrio pleraq;, quæ controuersa inter se habent ad res sodalitatis pertinentia, sodales componunt ac transigunt: quæ transigere non possunt, ad senatum referunt. Sta-*

Plebis Sodalitates, siue Gildæ.

Oldermanni.

monachorum familiæ Franciscanæ in mediâ vrbis regione; in illo diebus Dominicis ternis, in hoc binas, reliquo hebdomadis binas in illo, singulas in hoc, atq; ita octonas hebdomada quáuis. Vtroq; verò in templo baptismum administrant, in maiore solum sacram synaxin. Vocantur ad hoc sacrum munus hoc modo. Loco vacante initium ducitur ab inuocatione nominis diuini in publica concione, qua vniuersa Ecclesia Dei gratiæ rem commendat. Dein symmystis, presbyteris, Diaconis cura committitur dispiciendi de viro quam maximè idoneo: qui in synedrij loco congreßi, implorati illic rursum Dei gratiâ plures nominant, vt cuiq; animus fert, & post auditas examinatasq; rationes suffragijs agunt tam diu, donec aut plures eorum, aut omnes in vnum colliment. Is verò rogatus in suggestum ab ijs producitur, & concionem semel, bis, terve habet ad totam Ecclesiam. Cui sic dicendi facultatem ac gratiam probet, testeturq; interrogatus, imperata copia ab ijs, in quorum est fide & ministerio, non detrectaturum se munus, si contigerit legitimè se vocari, vocatur solenniter ab Ecclesia, adstipulante ac iuuante vrbis senatu. Quo facto, ne quisquam omninò, cuiuscunq; sit conditionis, queri iure poßit, pastorem animo ignaro & auersanti sibi datum, publicè in concione exponitur toti Ecclesiæ, quo loco res sit, moneturq; omnes, vt si qui etiam nunc sint, qui existiment haud vtilem eum Ecclesiæ ministrum futurum, ij bono Ecclesiæ intra certum tempus symmystis & senioribus id indicare non grauentur. Silentibus

omnibus

omnibus cùm primū synaxeos sacra dies venerit, præsente ipso & ad mensam sacram consistente in conspectu omnium, rursum symmysta Ecclesiæ iudicium quærit, & tacentibus vniuersis, quod assensus loco habetur, de S. ministerio verba facere incipit, quàm arcta sit inter ministrum Ecclesiamq; coniunctio, declarat: tum vocatum ipsum te internâ Spiritus vocatione interrogat; Item an verbum Dei basin fidei ad salutem veram & sufficientem esse credat: an ei conformem esse doctrinam Catechesi Emdanâ comprehensam existimet, doctrinamq; eandem, cum Ceremonijs & totâ εὐταξίᾳ Ecclesiæ tueri per Dei gratiam paratus sit: an constituerit doctrinam hanc & ministerium sacrum bonis moribus ornare, & disciplinæ vsitatæ per omnia sese obijcere. In quæ omnia si clarâ voce assenserit, ibidem per impositionem manus, & praces ad Deum in munere suscepto à symmystâ confirmatur. Symmystæ hi quanquam ordine ac dignitate primi censeantur in toto Ecclesiæ corpore, verè tamen sunt & dicuntur Ecclesiæ ministri, eorūq; munus nihil aliud quàm purum putum ministerium est, in quo imperium omninò nullum. Omnibus stipendium honestum constitutum, alendæ frugaliter familiæ, nec ampliùs. Addidit verò his Ecclesiæ velut subsidiarias operas ægrotorum visitatores, solandis docendisq; ijsce idoneos, sine quo sanè subsidio sufficere ministerij sacri oneribus in Ecclesiâ & ciuitate tam populosâ ipsi symmystæ non possent. Post symmystas proximum locum in Ecclesiâ tenent seniores grauissimi &

Ecclesiast. Munus.

concilio, concilium vicißim cum senatu concors summo studio consilia ac voluntatem eiusdem in rebus ibisce promoueret: in comitijs totius prouinciæ cùm quid agendum, delectu senatûs concilium hoc concordiæ causâ non iure certo, sed senatûs permissu delectos suos vt plurimùm adiunxit: in rebus cæteris nullis se miscuit, nisi fortè senatum de aliquo monendum putaret, quod ei licuit, vt & alijs ciuitatis membris. Sunt in concilio, vt dixi, præsides quatuor, consulum instar, qui concilium regunt. Horum singuli per vices itidem trimestres concilio præsident; quoties conuentu opus est, concilium per ministrum scribam conuocat: sed nec conuocare, nec coire fas est nescio, aut non assentiente consule senatûs præside, à quo copiam rogare concilij præses cogitur, eamq; facilè, si causam conuocandi eidem consuli probet, ab eo impetrat. Conuocandi symbolum numus est areus ad singulos missus. cuius generis 40. in hunc vsum sunt in præsidis custodiâ. Locum conuentûs ordinarium habet in curiâ: seiunctum à loco habendi senatus: in conuentu præses proponit, & reliqua, vti in senatu consul, peragit. Nullum consilio huic imperium, nulla iurisdictio. Potestas si qua est, intercedendi est: alia nulla est. Vt dicam, quod res est, meliùs Resp. haberet, si concilium hoc non nisi coram senatu conueniret, coram eodem deliberaret, sententias diceret, & coniunctim cum eo sua ageret omnia, exceptâ re, quam Calendis Ianuarij peragit. Hoc sine dubio ad alendam concordiam plus faceret, & à periculo discordiæ abesset

set longiùs. Cùm loca vacant in concilio, ipsum concilium optimos quosq; ex omni ciuium numero, vt ostendi, per suffragia lectos supplendis locis cooptat, cooptatosq; concilij præses sacramento obstringit. Hactenus de duobus præcipuis ciuitatis memoriis. Accedit his & tertium magni imprimis momenti & magni vsus, ad ordinem armorum & vigiliarum pertinens, quem optimum & accuratissimum ciuitas instituit statim post instauratum Reip. statum. Habet autem sic. Tota ciuitas suburbijs exceptis, diuisa est in cohortes ciuium 21. quarum 13. numerantur in vrbe vetere, 8. in nouâ, cui Valdera nomen est. Quælibet verò cohors præfectum habet, & præfecti legatum, seu vices eius gerentem & vexilliferum, omnes ex honestissimo ciuium ordine delectos, & muneribus istis maximè idoneos, & præter hos curatores alios inferiores ad imum vsq;, quales sunt in cohortibus militaribus stipendio conductis. Supra cohortiū præfectos sunt Quatuor-viri, quos regionum magistros vocant, duo quidem in vrbe vetere curantes, & totidem in parte nouâ, sed cohortium numero quas curant, impares. Hi cum cohortium præfectis collegium id conficiunt, quod dixi virorum 25. in quo ipsi velut præsides sunt, & summam autoritatem tenent. Eliguntur à senatu, ab hoc potestatem accipiūt, huic iureiurando se obligant, fidemq; & obsequium promittunt: deniq; toti ab huius nutu pendent, & in munere suo manent, quamdiu eidem senatui placet. At cohortium præfecti, cùm loca vacant, ab his regionum magistris, & reliquo collegio,

Armorum & vigiliarum ordo.

legio, hoc est, eiusdem generis, præfecti cooptantur ex iis cohortibus quarum præfecturæ vacant: iiq; in verba senatûs quoq; iurant, & simul ad defendendam religionem publicè receptum, vt & ipsi Quatuor viri regionum magistri solenniter sese obstringant. Quorũ si quis è vicinià cohortis suæ emigrat in aliam, simul munus suum ponit, & successorẽ accipit. Legati præfectorum & vexilliferi, & qui infra hos in cohortibus curant, ab ipsis cohortibus eduntur. Collegium hoc coit in curià loco ei conuentui destinato, rarò sæpiùs intra vertentem mensem quàm semel, nonnunquam verò vix toto trimestri: in quo conuentu res curationis suæ agitant, deque iis constituunt. Si quis è numero præfectorum adesse non potest, locũ eius legatus aut vexillifer plerunq; supplet: quibus alioqui locus in consensu aut collegio non est. Curant magistri regionum & cohortium præfecti, vt vigiliæ diurnæ & nocturnæ rectè agantur, vt omnes in cohortibus armis benè instructi sint ex præscripto. Nam pro fortunarum modo aliis grauioris, aliis leuioris armaturæ vsus imperatur, secundùm quæ armorum genera singulæ cohortes in diuersos ordines distinguuntur: quorum alii toto corpore à vertice ad genua, alii ad imum tantùm ventrem, alii solo capite ferro tecti sunt: alii ingentibus spathis seu gladiis, quos non nisi vtraq; manu vibrant, alii prælongis lanceis, alii Moschettis, alii sclopetiis, (vtrumque portatilis tormenti genus est) vtuntur cuncti verò, ense ac pugione insuper accingere se necessum habent. Atque hæ cohortes serua-

tis

tis in orbem vicibus suis modò singula, modo bina aut terna, vt vsus aut periculum poscit, excubias agunt, ad quas cùm se parant, primum viritim ad ædes signiferorum, in armis colliguntur, deinde sub signis explicatis longo ordinatoq; agmine per vrbis regiones ac loca celebria progressa, demum in area, quæ inter curiam & pontem sublicium est, se sistunt: denique acceptâ illic nocturnâ tesserâ, in diuersa vrbis loca vigilijs destinata, discedunt. Tum reliqua fiunt more militari, excubiæq; totâ vrbe disponuntur, permutanturque in horas ratione accuratissimâ. Cuncta hæc geruntur è nutu senatus, à quo mandata Quatuor-viri, & cohortium præfecti accipiunt. Nec secus agitur à præsidio militari, quod in vrbe est, imperante totius præsidij præfecto administrantibus centurionibus, sed non nisi ex voluntate eiusdem senatus, in cuius fide præcipuâ præfectus est. Coniunctim quippè & ciues & milites vigilias agunt, sed locis distincti. Ante biennium autem lege est cautum vt in qualibet cohorte ciuicâ delecti sint viri 20. velut ordinis honoratioru,quibus quasi nobilium liberis a nobilitate nomē datū: qui vt à vigilijs nocturnis immunes sunt, sic partiti vices deni & deni bis de nocte statis horis obire vrbis partes, ac vigiles visere, officiiq; negligentes corripere ac mulctare tenentur: hisq; ductores dati duo, quos corporales *vocant. Sumptum id à militiâ. Atq; hic armorum excubiarumq; ordo verè*

custos

custos tranquillitatis & salutis publicæ est, ac ciuitatis robur: qui nisi in ciuitate fuisset his periculosis temporibus proximis, præsens status Reip. sine dubio pessum iam dudum iuisset. Eius appendix magister vigilum est è ciuium numero à senatu electus; qui tesseram excubitoriam à præside Consule petit, & ad excubitores defert, vigilibus loca sortitò adsignat, vigilias cum aliis nonnunquam visitat, claues portarum ab eodem cõsule accipit, & stipatus apparitoribus duobus militibusq́; quatuor portas obserat reseratq́;, & claues ad eundem quoq; consulem reportat. Quo cùm idem munus administrat ac per vices eodem modo obit alter, qui sub præsidio militari censetur. Sed ex tribus his præcipuis ciuitatis collegiis, vt ostendi prius, solus senatus totam iuris dicundi potestatem in vrbe tenet.

Iudicium Inferius Emdæ.

Is verò vt negotiis maioribus vacare rectius poßit, pro iure suo tribunal inferius constituit, in quo lites viliores, & quæ pretium aureorum 50. non excedunt, cuiusmodi multò plurimæ in ciuitate inter homines ex imâ plebe sunt, audiantur & dirimantur. Institutum Reip. perutile. Id enim ni esset, optimæ horæ huiusmodi litigiis vilibus & nihil audiendis, & explicandis senatui, supremo ciuitatis collegio, toti Reip. gerendæ perfecto peßimè perirent. Huic tribunali iudicem senatûs præficit haud temerè alium quàm virum grauem consulatu antè functum velut πρoέδρον eiq; assessores adiungit duos, qui aut in senatu quoq; fuêre, aut iuris disciplinæ non sunt imperiti. Iudicii præses multa sæpè domi expedit, quæ cognitione ma-

ne ma-

ne maiore non habent opus. Cæteroqui tribunalis locum ſemotum à ſenatus conclaui in curiâ habet, atq; ibi cum aſſeſſoribus ius dicit, eiq; rei totus vacat. Cuius ſententiâ ſi quis ſe læſum arbitretur, huic licet eius recognoſcendæ gratiâ ſenatum appellare: ſed longiùs contendere non licet. Iudex ipſe & aſſeſſores eius, vt oſtendi, à ſenatu eliguntur, & ab eodem toti pendent: & vel multos annos in munere relinquuntur, vel poſt annum aut biennium trienniumve mutãtur. Iudici verò huic peculiaris eſt apparitor, iudicij miniſter, eodem habitu indutus cum apparitoribus conſulũ, vt dignoſcere hunc ab iſtis non poßis. Quid de Quæſtoribus dicam, quos duos ciuitas habet, qui tractant omnem eius pecuniam, & quotannis, aut ſæpius, de eâ rationes apud eos quibus hoc commiſſum reddunt. Horum alter curat pecuniam, quæ ex vectigalibus & tributis veteribus & reliquis ciuitatis cenſibus varijs conficitur; & ferè è numero ſenatorum eſt, aut honore ſenatorio functus; Alter præeſt pecuniæ, quæ ex tributis & vectigalibus nouis prouenit, concilij 40. virũ vt plurimùm conſors, qui coactorum loco publicanis vtitur. Nam ij, quanti vectigalia tributaq; noua in ſemeſtre redemerunt, tantam ſummam ſingulis ſemeſtribus huic præſtare coguntur. Verum alia ferè & quidem varia ratio eſt, quàm exponere heic prolixum & tædioſum foret: Præcipui, qui eam curant ſunt vectigalium, acciſarum, trutinæ publicæ, gruum tractoriarum, ergatarum, tollenonum magiſtri. Et quæſtores hi duo, vt pecunijs diuerſis & diſtinctis colligendis

ligendis ac recipiendis, ita diuersis quoq; & distinctis stipendijs, vsuris, mercedibus soluendis præsunt, & mandata habent. Vterq; verò rationibus reddendis obnoxius est apud Quatuor-viros, quos rationum magistros vocant, proximis his annis permittente ac volente senatu ex concilio 40. virûm & ab eodē concilio editos. Horum munus latè patet. Nam εὐθύνας ij debent, quotquot pecuniæ publicæ partem aliquam tractant. Conueniunt singuli septimanis ter tēpore pomeridiano, aut quoties res postulat, loco ei rei destinato in curiâ, & quæ muneris sui sunt, faciunt: rationes exigūt, auscultant, examinant, cēsent quotānis, aut etiā sæpius, si sic placeat, tractata cuiusuis pecuniæ publicæ, quæ ciuitatis est, præsentib. delectis è senatu: & rationum istarum indicem conficiunt per scribam suum, quem habent, & eum asseruant, vt in promptu sit, cùm eo est opus: operam dant, ne solutiones, quæ ciuitati debentur tardentur, tardentesq; ad senatum deferunt: curant, ne pecuniæ publicæ in alios vsus vertantur, quam in quos sunt destinatæ: dispiciunt quæ ex ærario soluendæ sint, & è manibus suis subsignant: nec licet quæstoribus sine horū Chirographo quicquam cuiquam soluere, si velint ipsi esse indemnes: & quolibet hebdomade pastores sibi adesse iubent, & exhibitas ab ijs solutionum apochas inspiciunt: controuersias publicanorum, quas vel inter se, vel cum ciuibus habent, cognoscunt & finiunt; & nec ciuibus à publicanis, nec his ab illis fraudem fieri patiuntur: acceptorum expensorumq; rationem quoque poscunt à legatis

Camera rationum.

ciuitatis

ciuitatis Reip. causâ peregrè missis: pecuniæ fænebris qua se ciuitas obstrinxit obstringitve, indiũ integrũ, & obligationum aut chirographorum huiusmodi apographa in libram relata, quemadmodum & indicem omnium eorum, quæ vterq; quæstor ordinariè exsoluere tenetur, in scrinijs suis habent in vsus quotidianos: deniq; cum armentarij magistro, & regionũ armorumq; præfectis eorum etiam curam agunt, quæ ad armentarium eiusq; impẽdia pertinent. Cætera huius generis prætereo, ne nimis fiam prolixus. Hoc solũ coronidis loco subijcio, arbitrij senatus esse, suorũ aliquẽ, si velit, seu consulem, seu senatorum collegio huic tanquam ἔφορον apponere. Est verò & ædilitas inter præcipuos honores in hac Rep. quâ qui fungitur, curationem habet omnium operum & ædificiorum publicorũ, dat operam vt quæ instruuntur, ex vsu pariter & dignitate ciuitatis struantur, ne qua fraus in omni hac re Reipub. fiat, imperium in fabros publicos & reliquas operas obtinet. Hoc ædilium munus obijt proximis aliquot annis, atq; etiam nunc obijt magno cum primis bono publico laudatissimis ac præstantissimus vir, senator optimus SAMVEL VVINGENIVS Pauli fil. rebus agẽdis natus, mihi multâ beneuolentiâ, multis officijs, multo tempore cognitus. Sunt & Quatuorviri sclopettariorũ principes, quos sic vocãt, credo ex eo quod tractandis sclopettis aut minoribus tormentis iuuentutem soleant exercere: ad quos pertinet maximè, publica loca, fora, vicos, portus, canales & res similes, quæ ad exonerandam sordibus & cœno ciuitatem faciunt, curare; tum verò, ne qua confusio in nauibus

existat, dum portum subeunt, aut relinquunt, vtq; in hybernis etiam earum seruetur ordo, prouidere: quorum functio nunc quadriennium durat, vno, quotannis è collegio decedente, & alio ex quatuor honestissimæ conditionis, ac nominis ciuibus, quos ipse decedens cum collegis cæteris edit, à senatu surrogato. Ad hos decem viri incendiorum auertendorum & reprimendorum magistri, bini & bini in qualibet vrbis parte quintâ: quorum munus, non solùm operam dare, ne quid detrimenti ciuitas capiat, neu quis tumultus existat, incendio fortè exorto, vtq; id quàm celerrimè restinguatur, sed etiam, vt quæ istuc pertinent, instrumenta publica priuataq;, item aquæ copia, semper parata & expedita sint: & his binis singuli senatores additi, qui tum consilio tum ope ipsis adsistant. Sunt itidem portorij & cæterorum vectigalium magistri, viri honorati, qui publicè ad portum sedem habent. Rursumq; Quatuor-viri ædiles annonæ quotidianæ, quæ in vrbem inferuntur, venalisq; proponitur in foro, ponderum item & mensurarum omnium rationem habentes, imprimisq; id operàm dantes, ne qua fraus populo fiat à pistoribus, neve corrupta pro probis veneant, ne propôlæ coëmendis rebus minoribus importatis obstent commodo reliquorum ciuium: ne alibi quàm in foro res eius generis distrahantur. Quibus etiam tanquam præses & rector quidam adiunctus est è senatu vnus, quem ex re fori magistrum appellitant: atq; idem alter ex eodem senatu, qui pro frumenti pretio, quod accrescit & decrescit, ex senatûs voluntate

tate piſtoribus pinſendi panis pondus præſcribit quali-bet exeunte ſeptimana: cui nomen ex re quoq; indi-tum. Nec prætereundus armẽtarij publici ἐπιμελήτης *& ipſe è ſanatorum numero, qui nõ ſolùm* ὁπλοθήκην *quæ in curia eſt inſtructiſſima in omnes caſus, curat, & id agit, ne quid vnquam ei deſit, ſed etiam tor-mentorum maiorum, quorum vſus in vallo & propug-naculis, & armatis nauibus eſt, pulueris pyrij, ingen-tium pilarum ferrearum, plumbearum, ſaxearum, & reliqui inſtrumenti, quod ad tormenta eius generis facit, curam ſibi commiſſam gerit. Cui in has res tor-mentorum magiſtri quatuor ſunt attributi, quorum opera vtitur. Hos* Conſtablios *vulgo nuncupant. Quid memorem eum, qui tales omnes lineas & lane-as peregrè aduectas recipit domo publicâ, quam* Hallam *vocant, eas examinat, metitur, aſſeruat fide publica, quamdiu eſt opus? Is Hallæ magiſter dici-tur: Quid item carceris publici præfectum, qui cum miniſtris armatis vrbem perambulat aſſiduò, & ſi quem tumultuari, aut aliud committere grauiùs de-prehendit, in cuſtodiam trahit? Plebs verò more a-liarum ciuitatum diſtincta eſt in varias ſodalitates, quales ſunt mercatorum, nautarum opificum omnis generis, quæ ſingulæ ſua ſtatuta, ſuas leges, ſuos con-greſſus, ſuos præſides habent. Hos præſidis* Older-mannos, *id eſt, ſeniores appellant, quorum arbitrio pleraq;, quæ controuerſa inter ſe habent ad res ſodali-tatis pertinentia, ſodales componunt ac tranſigunt: quæ tranſigere non poſſunt, ad ſenatum referunt. Sta-*

Plebis Sodalitates, siue Gildæ.

Oldermanni.

tuta earum valida non sunt, nisi à senatu confirmentur: eius arbitrij est, ea probare, mutare, abrogare, deniq; ordinem sodalitatibus dare. In vniuersum verò sodalitatis cum Rep. nihil habent cõmune, nec vllam eius partem attingunt, sed res tantùm suas agunt. Gildas *dicunt. Sunt numero 20. aliæ alijs potiores. Sed earum maxima & validißima est nautica, qua non solũ ij, qui mari & fluminibus vtuntur, sed etiam ditißimi ciuiũ, qui negotiationes maritimas tractãt, & pecuniam suam in ijsdem positã habent censentur. Præsunt huic Oldermanni duo perpetui magna gratiâ & autoritate pollentes, cum præbitoribus quatuor non perpetuis: de quibus iterum dicetur paulò post. Et sic quidẽ politica Ecclesiastica res in hac vrbe longè laudatißima fuit ab eo tempore, quo nuncium remissum est Papæ Romano, quod factum ante annos circiter 90. Nam statim ab initio sinceram veritatem sine fece reliquiarum superstitiosarum, & dogmatum deprauatorum ciuitas amplexa est: atq; ea in re cæteris ciuitatibus & populis totius penè Germaniæ prælaxit, exceptis paucis in Heluetiâ. Quod cùm angeret salutis hominum inimicum, varias Ecclesiæ ei tempestates excitauit, quas in Historiâ exposui: sed ex omnibus ijs eruit eam* DOMINVS, *sereneq; tranquillitati reddidit. Floruere in ea Doctores & Rectores eximij* Georgius Aportanus, *primus veritatis assertor contra Roman.* IOANNES LASCVS POLONVS *vir maximus,* Thom. Bramius, Herman. Braſsius, Cornel. Cœltunius, ALBERT. HARDENBERGIVS, *& nulli eorum cedens, plerosq; verò pro-*

Res Ecclesiastica.

cul

cul superans, omniumq́ optimè & Ecclesia meritus, MENSO ALTINGIVS: cuius laus heic viuet, quamdiu pietas ac vera religio ibidem locum sunt habituræ. Hæc est illa Ecclesia, ad quàm tot millia exulum pietatis sinceræ causa è Belgio, Anglia, Gallia, profugorum conuolarunt, cùm premeret eos domi atrox persecutio: quæ verè mater dici potest Ecclesiarũ Belgicarum, tum in ipso Belgio, tum in Anglia, à quâ non solùm consensum in doctrinâ hausêre, verum etiã exemplar εὐταξίας Ecclesiasticæ mutuatæ sunt. Et fuit quōdam tempus me adhuc iuuene, cùm apud Emdanos non solum Idiomate Germanico, sed etiam Gallico ac Anglico eadem doctrina veritatis diuersis in cœtibus sonaret, ac ijsdem penè ritibus sacramenta administrarētur, eadē disciplinæ atq; ordinis haberetur ratio essetq́; velut triplex eâdem in vrbe Ecclesia. Sed nos duabus omißis, quarum Gallica etiam nunc perdurat, de eâ solùm dicemus, quæ lingua vtitur patriâ. Docuêre in eâ à proximis aliquod annis, & nunc docent verbi diuini præcones quinq;: quorum munus positum est in habendis sacris concionibus administrandis Sacramentis, visitandis, monendis, instituendis, solandis etiam priuatim ijs, qui ipsorum curæ sunt cōmißi, tum firmis, tum infirmis, sanandis vulneribus, auertendis reprimendisq́; hæresibus ac similibus alijs: quo munere fideliter defunguntur. Conciones sacras habent duobus in templis, quorum alterum re & nomine maius Occidentem spectans, in ripâ Amasi situm, alterum Xenodocheio coniunctum, quondam

Emda Ecclesiarum Belgic. mater.

 mona-

monachorum familia Franciscana in mediâ vrbis regione; in illo diebus Dominicis ternis, in hoc binas, reliquo hebdomadis binas in illo, singulas in hoc, atq; ita octonas hebdomada quâuis. Vtroq; verò in templo baptismum administrant, in maiore solum sacram synaxin. Vocantur ad hoc sacrum munus hoc modo. Loco vacante initium ducitur ab inuocatione nominis diuini in publica concione, qua vniuersa Ecclesia Dei gratiæ rem commendat. Dein symmystis, presbyteris, Diaconis cura committitur dispiciendi de viro quam maximè idoneo: qui in synedrij loco congreßi, implorati illic rursum Dei gratiâ plures nominant, vt cuiq; animus fert, & post auditas examinatasq; rationes suffragijs agunt tam diu, donec aut plures eorum, aut omnes in vnum colliment. Is verò rogatus in suggestum ab ijs producitur, & concionem semel, bis, terve habet ad totam Ecclesiam. Cui sic dicendi facultatem ac gratiam probet, testeturq; interrogatus, imperata copia ab ijs, in quorum est fide & ministerio, non detrectaturum se munus, si contigerit legitimè se vocari, vocatur solenniter ab Ecclesia, adstipulante ac iuuante vrbis senatu. Quo facto, ne quisquam omninò, cuiuscunq; sit conditionis, queri iure poßit, pastorem animo ignaro & auersanti sibi datum, publicè in concione exponitur toti Ecclesiæ, quo loco res sit, monenturq; omnes, vt si qui etiam nunc sint, qui existiment haud vtilem eum Ecclesiæ ministrum futurum, ij bono Ecclesiæ intra certum tempus symmystis & senioribus id indicare non grauentur. Silentibus

omnibus

omnibus cùm primū synaxeos sacra dies venerit, præsente ipso & ad mensam sacram consistente in conspectu omnium, rursum symmysta Ecclesiæ iudicium quærit, & tacentibus vniuersis, quod assensus loco habetur, de S. ministerio verba facere incipit, quàm arcta sit inter ministrum Ecclesiamq́ coniunctio, declarat: tum vocatum ipsum te internâ Spiritus vocatione interrogat; Item an verbum Dei basin fidei ad salutem veram & sufficientem esse credat: an ei conformem esse doctrinam Catechesi Emdanâ comprehensam existimet, doctrinamq́ eandem, cum Ceremonijs & totâ εὐταξίᾳ Ecclesiæ tueri per Dei gratiam paratus sit: an constituerit doctrinam hanc & ministerium sacrum bonis moribus ornare, & disciplinæ vsitatæ per omnia sese obijcere. In quæ omnia si clarâ voce assenserit, ibidem per impositionem manus, & praces ad Deum in munere suscepto à symmystâ confirmatur. Symmystæ hi quanquam ordine ac dignitate primi censeantur in toto Ecclesiæ corpore, verè tamen sunt & dicuntur Ecclesiæ ministri, eorūq́ munus nihil aliud quàm purum putum ministerium est, in quo imperium omninò nullum. Omnibus stipendium honestum constitutum, alendæ frugaliter familiæ, nec ampliùs. Addidit verò his Ecclesia velut subsidiarias operas ægrotorum visitatores, solandis docendisq́ ijsce idoneos, sine quo sanè subsidio sufficere ministerij sacri oneribus in Ecclesiâ & ciuitate tam populosá ipsi symmystæ non possent. Post symmystas proximam locum in Ecclesiâ tenent seniores grauissimi & **Ecclesiastæ Munus.**

prudentißimi; Ecclesiasticâ societate delecti numero decem: & sunt tanquam παραστάται symmystarum, atq; excubitores in specula collocati, vt in omnia, quæ Ecclesiæ sunt, oculos intẽtos habeant curentq;, ne quid vitij aut in doctrinâ aut in vitâ & moribus vsquam inolescat, ne scandalis Ecclesiæ noceatur. Hi cum symmystis, quos cura & consilio iuuant, collegium conficiunt, quod presbyterium interdum, interdum consistorium nuncupant. Id coit omnibus septimanis feriâ tertiâ, & de rebus sibi commendatis agit: Ac primùm in conseßibus his locum semper tenent ipsi symmystæ, præsidentq; singuli per vices: Cætera quoq; collegij huius pleraq; eadem, cum ijs, quæ de presbyterio scripsi Leowerdiano: munus & agendi modus etiam idem. Sed in hoc differentia est, quod seniores, qui Leowerdiæ biennium in munere sunt, ac quotannis mediâ sui parte collegio decedunt, Emdæ sint perpetui, nec heic qui in senatu sunt, & curia vacare coguntur, in presbyterium cooptari consuetudo fert, quamuis senatui liceat suorum aliquem, si velit, aut è concilio 40. virum in presbyterium mittere mysteriorum Ecclesiæ participem, qui actionibus intersit: id quod tamen aut rarißimè fit, aut nunquam. Seniores, cùm opus est, cooptantur à toto presbyterij collegio eodem ordine & ritu, quo ipsi symmystæ, nisi quod Diaconi heic, cùm electio fit, non adhibeantur. Et hi cum decem numero sint, in totidem regiones vrbem partiuntur, singuliq; singulas partes curant: & vt rectius id fiat, singuli etiam suis in partibus aliquot sibi pietate probatos adsciscunt,

Consistoriũ.

sciscunt, qui cæteros Ecclesiæ ciues earundem partium diligenter obseruent, & sicubi exorbitur ab aliquo, id deprehensum senioribus indicent: hi, si poßint, monitionibus suis vitia corrigant: si non poßint, collegio rem exponant: illic porrò agatur, vt presbyterij mos habet supra in rebus Ecclesiæ Leoẅerdianæ expositus. Diaconia, quæ pauperum curam spectat, hic quadruplex est. Prima est ξενοδοχεῖον *quod sic vocant, quanquam non satis rectè: in quo senio inualidi vtriusq; sexus, aut alioqui mente aut corpore affecti, homines egeni, item parentibus orbi in ætate minore, qui ius ciuitatis habent, aluntur: aduenæ etiam, quos nox occupat in vrbe, hoßpitio iuuantur, aut quos morbus inuadit, ad tempus curantur; omnes domicilijs & conclauibus distincti. Huic Diaconi præsunt sex, quorum duo velut Ephori, quos* Oldermannos *dicunt, perpetui sunt: ex reliquis vnus quotannis è numero decedit, in eiusq; locum alius ex spectatißimis ciuium surrogatur. Id fit à cæteris quinque, & Ecclesiæ symmystis: factumq; eorum à senatu confirmatur. Horum Diaconum est census* ξενοδοχείου *quotannis exigere, testamentis in vsum eiusdem* ξενοδοχείου *legata recipere, Eleemosynas in templo, quod Xenodocheo cohæret, colligere stipem per vniuersam vrbem, comitantibus Verbi ministris, corrogare, omniaq; in hos, quos diximus, egenos ac debiles impendere, vt commodiùs meliusq; cuncta hæc administrentur, virum industrium & notæ fidei cum coniuge œconomiæ præfectum habent: eiusq; curæ, quæ ad culinam, ad* **Pauperum curatio.**

cellarium

cellarium, ad lectos vestesq; stragulas, & quæ eius generis sunt, committunt, operasq; necessarias famulorum & famularum mercede conductas eidem præstant: eidemq; in omnes iubendi, vetandi, munia vrgendi potestatem tribuunt: eo monente pecuniam in omnes vsus sufficiunt, rationes accepti expensiq; ab eo recipiunt. Conueniunt *loco certo in ipso* Xenodocheo *singulis septimanis ter, aut sæpius, si vsus postulet, præsidetq; in eorum conuentu ex* Ephoris *duobus alter & ferè vicißim. Habentq; hi ÿdem ex honestißimis totius ciuitatis, ac pientißimis fæminis viduis selectas quatuor, in hac curatione sibi adiunctas, quæ & ipsæ ter septimanatim eodem in* Xenodocheo *coëunt, & culcitras, stragula, vestes lineas inspiciunt, curant, operas fæmininas distribuunt, exiguntq;; quotannis etiam semel donatim per vrbem subsidia in supellectilem lineam, & res similes in egenorum vsus colligunt. Diacona altera habet curationem pauperum, qui sparsim totâ vbe & in suburbÿs habitant, quos vocant* Huß sittende Armen: *cuius curationis ergò ipsa vrbs cum suburbÿs in sex regiones distinguitur. Administratur à viris probitate & pietate præstantibus* Ecclesiæ *insitis 32. quorum 24.* Diaconi, *8. Archidiaconi sunt, dicunturq;.* Ex Diaconis *quaterni & quaterni singulis in regionibus curant: & omnes hos communi curâ complectuntur 8. quos dixi, Archidiaconi. Omnium munus est quadrienne. Quotannis enim ex Diaconis sex, ex Archidiaconis duo cum exeunte anno munere abeunt, totidemq; in eorum locum surgente an-*

te anno nouo succedunt: quos symmystæ, senioresq́ue, cum reliquis huius ordinis Diaconis & Archidiaconis eligunt, Ecclesiæq́ue proponunt, quæ si silentio suo eligentium iudicium comprobet (vt ferè sit) electi per preces publicas, & admonitionem rei conuenientem in templo solenni ritu confirmantur, & velut id administrationem muneris immittuntur. Archidiaconi, ἔφοροι & custodes sunt totius huius εὐταξίας, census pauperum, legataq́ue ijs data exigunt, Eleemosynas in templo maiore cùm conciones habentur, ac ostiatim per vices vrbis, adiunctis sibi symmystis, vnoq́ue atque altero ex Diaconis, quolibet trimestri colligunt. acceptorum indices conficiunt: singulis verò diebus Dominicis horâ pomeridianâ conueniunt eo loci in templo maiore, quem consistorij cameram appellant, & pro rerum præsentium conditione Diaconis ijs, quorum tum vices sunt (nam per vices semestres inopera obeunt) tantum adsignant, & annumerant, quantum postridiè ijsdem in pauperes pro cuiusq́ue ratione est erogandum. Id agunt præsente, ac præsidente, & sententias rogante è symmystis Ecclesiæ ministris vno. Eodem quoq́ue vocant egenos ἀτάκτους, & in quibus omnino aliquid desiderant, eosq́ue grauiter, verba faciente vt plurimùm eodem ministro Ecclesiæ, admonent: demiq́ue conuentum cum gratiarum actione ad Deum soluunt. Quolibet autem die Iouis feriá quintâ proximè ante sacram σύναξιν (ea singulis mensibus semel peragitur,) rationes menstruas accepti expensiq́ue, quas reddunt Diaconi, auscultant, præsente similiter

militer symmystarum aliquo, & rationes auscultatas manu suâ subsignante. Ipsi verò quotannis mox à Calendis Ianuarij vnà cum scriba suo, qui cōmentarios acceptorum & expensorum, item actorum omnium conficit, coram verbi ministris, senioribus Diaconis, ciuibus alijs, quibus noscendi animus est, (publicè enim ad id ipsum ciues pro concione inuitantur) calculum rationum omnium ponunt: cui deinde, peractâ re, præsentes omnes, præsertim symmystæ & seniores subscribunt. Ac simul gratiæ de diligentia & fide in munere molestißimo ijs aguntur. Ex horum voluntate quantū cuiq; egenorum dandum à Diaconis, quibus aliquid addendum minuendumq́;, quibus nihil tribuendum statuitur: nec sine horum consensu in numerum eorū, in quos Eleemosynæ conferuntur, quisquam à Diaconis recipitur: horum quoq; cura est, ne vrbs egenis aut medicis peregrinis in fraudem oppidanorū oppleatur. Intendunt diligenter in omnes pauperum res, cum Subdiaconis eos domi aliquoties inuisunt, in conditionem & vitam eorum inquirunt, omnes officij grauiter monent, ignauiæ deditos, aut Eleemosynis quo quo abutentes modò acriter corripiunt, indignos vrbe cogunt exire: tempestiuè necessaria in vsum pauperum ad tolerandam hyemem coemunt, pannos laneos lineosq́;, frumentum palustres cespites alendo igni, & quæ alia sunt huius generis, Subdiaconorum opera, vbi opus est, vtuntur: per scribam, vti iam dixi, indices & cōmentarios rerum omniū conficiunt, nō solùm in vsum suū, sed etiam successorum ac posterorum. Habent imperijs

suis

suis paratos ministros, quos pauperum præfectos vulgò vocant armen Vogeden / *qui quia vtrinq; Diaconiæ seruiunt, vtriusq; impendijs quoq; aluntur, & Diaconorum communibus suffragijs eliguntur. Hi mendicantes publico submouent, vrbem ingressos transeundi causa in* ξενοδοχεῖον *deducũt, vt illic noctẽ agant, viaticum ijsdem apud Archidiaconos procurant, operam dant, ne diutiùs quã opus sit, in vrbe hæreant. Sed hac tota in re nutum Archidiaconorum intuentur; inter quos sic cõmparatũ est, vt singuli per vices trimestres hanc curationem egenorũ peregrinorũ in vrbem venientium præcipuã obeant, obeuntiumq; nomina statim in trimestris initio è suggestu vtriusq; templi publicantur, vt adiri certiùs à quouis possint. Quidquid autem in aduenas inopes Diaconis erogatur, id melioris ordinis gratiâ in indices à reliquis separatos cum inopum nominibus refertur. Cautũ quoq; est* εὐταξίας *huius ergô, ne qui vrbis aut suburbiorum incolæ ex regionem commigrantes, sine testimonio Diaconorum, è quorum regione emigrant, id faciant, si in regione altera Eleemosynis frui cupiunt. Similiter cautum lege è magistratu lata, quæ omnibus semestribus repetitur, ne quis egenos aduenas receptet nesciо senatu ac Archidiaconis; qui contrà fecerit, vt is teneatur illos alere sine impendio Diaconorum. Deniq; puerorum egestate pressorum, qui aut literas in scholis discunt, aut opificis traditi sunt accuratissima quoq; habetur ratio, ne quid ad victum ijs desit. Tertia Diaconia est sodalitatis nauticæ & eorum qui negotiationes maritimas factitãt, quæ sodalitatis longè*

maxima

maxima & ditißima est in hac ciuitate, & ciuitatis potißimum robur. Hæc etiam suis legibus separatim regitur, quibus præsunt Oldermanni sodalitatis duo, & prebitores (Schaffers vocant) quatuor. Illi sunt perpetui, horum quotannis in sodalium conuentu, quem festum Nonis Ianuarij dato insigni epulo in curiâ agunt, publicè clara voce recitantur, ne in obliuionem eant. Qui præsunt curæ huic. egenorum huiusce sodalitatis omnis ætatis ac sextus rationem diligentem habent, eos visunt, pecuniâ & rebus alijs iuuant: imprimis omnibus diebus Dominicis à concione pomeridianâ in templo maiore pane ac butyro liberali modo distributo subleuant: quinetiam familijs non rarò, quæ Eleemosynis alij ordinariè non solent, si vel morbo, vel incommodo alio in angustias forte redactæ sunt, promptè succurrunt. Sæpè etiam aduenis naufragijs ac calamitate in mari affectis hac transeuntibus vnà cùm Diaconis prioribus auxiliarem manum porrigunt. In hos vsus census quosdam annuos & certos habent, dein in conuentu & epulo illo solenni conuiuæ omnes, quorum fide maior numerus est, & ferè locupletißimi quiq; ciuitatis non viri solùm, sed & fœminæ pecuniam liberaliter conferunt, quantam cuiq; fert animus: Ad hæc nauibus frumentarijs domum reuersis, earum Domini, cum ijs, quorum est frumentum, portionem frumenti aliquam, quasi gratiam Deo habentes, in solamen inopum largiuntur, & huius quicquid triticeum est, id Diaconiæ nauticæ in solidum cedit; si ligo autem, aut secale ex triente

tantùm:

tantùm: reliquum ξενοδοχείῳ, & Diaconiæ priori debuitur. Quæ eadem ratio seruatur etiam in eâ pecuniâ, quam in diuersorijs degentes ad subsidia pauperum in arculas per exilem rimam immittunt, quas arculas huius rei gratiâ Diaconi per diuersoria supra mensas de catenis ferreis suspendunt. Et sunt ij, qui Eleemosynas societatis nauticæ tractant, non minus, quàm cæteri, de quibus dixi ὑπεύθυνοι, rationesq́ quàm exactissimas quotannis apud collegas reddunt. Diaconia quarta est Belgarum profugorum, qui Religionis ergò solò patrio relicto sedes apud Emdanos posuêre, exceptis ijs, qui idiomate Gallico vtuntur, quorum peculiaris est ratio. Eam curant Diaconi 12. è quibus bini quotannis collegio hoc decedunt, totidemq́ in decentium locum ab Ecclesiæ Emdanæ ministris, & ipsis aduenis Belgis, ad quos res pertinet, sufficiuntur. Collegarum horum bini & bini omni hebdomade feriâ secundâ domus suorum obeunt, & Eleemosynas corrogant: duorum autem alter easdem corrogans inter egenos societatis istius distribuit, idq́ facit per dies 14. Quibus exactis coacto toto collegio, præsente Ecclesiæ symmystâ accepta expensaq́ in rationum libro perscribuntur: simulq́ alia aguntur, quæ res poscit. Tum curæ horum succedunt alij, idq́ id in orbem. Tandem cùm exierit annus, totius administrationis ratio redditur publicè, pari modo ac de Diaconiâ secundi ordinis est dictum. Hæc curatio pauperum. Reliqua Ecclesiæ instituta sic habent. Baptismus infantium peragitur publicè coram Ecclesiâ, præmissâ bre-

ui mysterij eius explicatione, cum precatione ad DEVM *pro baptizandis, & submissâ ad eundem gratiarum actione.* Fit id vtroque in templo die Do- *minico à meridie concione finitâ, & cæteris hebdomadis diebus antè meridiem, similiter concione peractâ. Sacra* σύναξις *heic menstrua est, vti ante ostendi, celebraturq́; solummodò in templo maiore, & quidem die altera Dominica à mensis cuiusuis initio.* Cuncta verò, *quæ istuc pertinent, tam decenter ac religiosè peraguntur ex Christi Apostoliq́; præscripto, vt nusquam terrarum decentius ac religiosius.* Ea omnia heic persequi, *instituti nostri breuitas non sinit: ab ipsis autem symmystis huius* Ecclesiæ *in libello de* Ecclesiæ *Emdanæ* εὐταξίᾳ *patrio sermone conscripto, & cum confeßione aut doctrinæ breui* συνόψει *anno 1594. editio accuratè sunt exposita. Administrant simul quatuor symmystæ, eorumq́; duo in ipsa actione panem frangunt, & accedentibus distribuunt cum enunciatione verborum certa, mysterio maximè congrua alter ad mensam aßistens, alter iuxta aßidens in subsellio ad parietem paulùm distante, vt inter vtrumque transitus euntibus pateat: duo reliqui populum similiter cum apposito verborum prologuio ijsdem porrigunt, ratione pari cum prioribus.* Et vt *initium actionis ducitur ab admonitione graui, & inuocatione nominis diuini, ita finis ei imponitur cum exhortatione simili ad colendam pietatem, & gratiarum actione.* Præter diem Do-

minicum

minicum hos tantum festos habet Ecclesia, quibus celebratur memoria natalis Christi, Paschatos, Pentecostes, Ephiabaniæ, & circumcisionis: & his quidem postremis duabus tribuit dies singulos, reliquis tribus binos. Sanctorum festa hodiè ignorat. Matrimonia quoque hic ineuntur & sanciuntur modo ac ordine tam commodo honestoq;, vt ne Momus quidem in eo reprehendere aut requirere queat quicquam. Ita conueniunt primùm sponsus & sponsa, ita vicem senatûs gerenti se sistunt, nomina sua profitentur, ita eadem nomina sua in templo ternis diebus Dominicis è suggesto publicari curant, ita denique à symmystâ solenni ritu copulantur. Reliqua huius generis breuitatis studeo prætereo. Nec de cœtu symmystarum maiore, qui oppidanis cum ijs, qui in agro sunt, communis repetere hoc loco libet. Prius enim de eo dixi, & originem formam, vsum in Historiâ exposui prolixè. Atq; hic desino, totamq; hanc diatriben finio.

NORDA.

EMdam in ordine ciuitatum sequitur NORDA, in Septentrionem ab eâ disiuncta milliaribus duobus magnis. Frequentiâ vicorum & domorum ei impar, ambitu ac spatio penè par. Fanis quatuor quondam spectabilis, duobus monasticis, totidem in vsum populi extructis: è quibus illa iam periêre: horum alterum præter parietes & turres editas tres etiam nihil habet reliquum; alterum solùm incolume, in eâdem areâ cum priore positum, sacrorum vsui seruit; cuius pars, quàm chorum vocant, magnifici operis & raræ altitudinis, Vlrici primi Comitis studio est structa. Area, quæ dormitorium nuncupatur, quia sepulturæ defunctorum dicata est, vtriq; fano circumfusa, spatio ingens, muro cingitur. Ea deniq; extra murum spatiosissimo foro ab omni parte ambitur. Forum non silicibus stratum, sed viridi gramine vestitum, insignibus ædificijs vndequaq; clauditur: in quibus curia cum turriculâ egregiâ ab Occidente ei imminet. Vici ciuitatis præcipui, & qui nomen hoc merentur, octo sunt, quorum sex capita habent in ipso fori ambitu: omnes prælongi, sed multò longissimus, quam Nouam viam vocant, rectâ lineâ à Meridie in Boream se extendens, ad forum non pertinens: post eum verò ijs, qui à foro in Orientem porrigitur, in quem ferè medium via noua ad angulum rectum incidit, & vltra hunc versus Boream nouo incremen-

tremento adiecto, protenditur; post Orientalem Silanus, ab aquarum claustro veteri sic nuncupatus, sed isto nobilior, latior, splendidior Occidentalis: vterq; etiam forum capite attingens, & hic quidem eo loco vbi curia est: Hinc à mola nomen ferens, deinde à cœnobio monastico appellationem sortitus. Reliqui obscuriores. Splendore & celebritate autem omnes antecedit Orientalis, & post eum Occidentalis, post Occidentalem via noua. Est mercatu non incelebris, & priuatorum opibus fortunata: portu olim commodo, at nunc exili, quod inuidiæ vicinorum in agro acceptum fert. Sed portas aut mœnia hæc ciuitas nunquam habuit, ideoq; multa sensit sæpè belli mala. Vicinias verò rusticas ternas habet à lateribus duobus Occiduo & Boreo, quasi suburbia, ædificijs egregijs, sed non contiguis, Gastam, Lintelam, Ekelam: *dein agrum longè lateq; porrectum soli humilioris, verùm valdè felicis pariter ad pastum & arationem, villis pulcherrimis obsitum, eadem cum ipsa ciuitate & suburbanis vicinijs parœciâ comprehensum, olim quoq; vsq; ad proximos hos annos eidem tribunali subiectum. Hunc agrum cognominibus distinctum* Marscam *vocant. Habuere Nordani stante populari libertate à multis sæculis rectores Reip. suæ Consules tres, & his additũ Iurisconsultum, quem Oratorem tum dicebant: nunc Syndicum vulgò vocant. At inualescente paucorum nobilium potentiâ, qui libertatem premebant exstructis in fraudem eius validis arcibus & cuncta sursum deorsùm mouebant, status quoq; Reip. immutatus est.*

Consulum munere oblitterato nobiles regundi & iudicandi potestatem in se verterunt, ijq; operâ iudicum prouincialium à populo probatorum, vt & alibi passim fiebat, in tribunalibus sunt vsi. Vlricus, qui primus dignitatem Comitum meruit, rerum potitus, Consules hic restituit, sed pro tribus voluit esse duos: idq; durauit per annos circiter 80. dein paulatim consulũ alter præfectus cœpit appellari. In consulum binorũ numero fuit auus meus maternus Egbertus Tiardi auri-faber, qui mores hominum multorum norat & vrbes, vixitq; in consulatu eo annos non minùs 30. Erant enim consules perpetui, aut quamdiu id placebat Comitibus, à quibus dabantur. Post aui mei mortem fluctuauit res ob dissensionem Comitum fratrum, & vt plurimùm vnus tribunal administrauit, & ciuitati agroq; vicino præfuit, vsusq; est adiutore scribâ chartarum custode. Quod & ipsum in more mansit diu etiam sub rectrice viduá Annâ Oldenburgicâ, tulitq; is, qui tribunal rexit, nomen præfecti. Tandemq; profecto abrogato surrogatus est honore vocabuli minor, potestate par, quem Amptmannũ dixêre, qui solus sine scribâ munus per aliquod annos obijt. Quo exautorato, aut ob consternationem inanem sine causâ profugiente, quatuor ædilibus qui foro & ponderibus ac mensuris, ac alijs rebus minoribus solent præesse, quorumq; operâ & consilio interdũ Amptmannus consuerat vti, iurisdictio & reliqua Reip. cura aliquandiu est cõmendata, tandemq; etiam consulum nomen ijsdem tributũ. Sed cùm indignè id plerìq; ferrẽt, qui in idoneos hos esse ad

gerendam

gerendam Remp. arbitrabantur, Comes demùm persuasus, duobus viris doctrinâ & auctoritate præstantibus consulatum rursus commisit. Post aliquod annos ad tres ex aulæ voluntate, (quæ cuncta pro arbitrio suo disponebat, numerum augebat, minuebat, honore ornatos eodem vicißim exuebat, alios sufficiebat,) potestas consularis deuenit. Postremò anno 1440. ad certam legem in transactione Osterbusanâ hæc tota res redacta fuit. Ex eâ tributum Nordanis, vt è ciuium suorum numero ederent, quos putarent honore dignos, & gerendæ Reip. idoneos, eosq; Comiti offerrent: Comes ex his deligeret 9. qui senatũ conficerent: è quibus tres consules, sex senatores essent. Hi & Remp. ciuilem administrarẽt, & ciuibus ius dicerent. Attamẽ ei, qui arci Berumanæ & vicinis agris pro Comite præest, ius esset, de negotijs Reip. grauiorib quoties ageretur, in senatũ venire, & in eodẽ nomine Comitis præsidere: imò senatus teneretur, de instituendis deliberationibus huiusmodi tempestive eũ certiorem reddere. Tum porrò sic ibidem statutum Nouem-viri hi in senatum à Comite delecti statim munus auspicantor (res acta vergente maio, & in eo continuato ad Calend. Ianuar. proximas: quæ vbi venerint, è consulibus vnus, è senatoribus duo munere abeunto, quos sors est designatura: cæteri sex, consules scilicet duo, & senatores quatuor, per annum istum surgentem Remp. administranto: isq; numerus perpetuò deinceps senatum conficito. Sed eodem anno circũacto Cal. Ianuar. rursum consul vnus, & senatores duo eodem modo arbitrio

 sortis

sortis honore decedunto, & priores illos iam per annum feriatos successores accipiunto. Deinde *isti quoq; anno exacto, & nouo renascente ijsdem* Calen*dis, tres nouißimi è nouenis sine sorte honorem relinquunto, & ijs qui ante annum senatu exiêre, eundem cedunto.* Et *hæ vices deinceps pari ratione absq; sorte in orbem recurrunto perpetuò, vt penes nouem illos hoc modo editos cura Reip. maneat, ad vitæ eorum finem: atque ita semper sex munere funguntor, tres ab eo vacanto: vacantes verò, si consilij causâ à cæteris in curiam vocentur, copiam sub ijs faciunto.* At *vbi contigerit è nouem viris aut morte decedere, aut locum suum casu alio vacuum facere,* Comes *è ciuium numero ab ipsâ ciuitate edito alium eligito surrogatoq;.* E 6. *viris senatum conficientibus duo semper consules sunto, duo* Camerarij, *duo* AEdiles. AEdili*um munus esto, ex consilio ac voluntate collegij vniuersi ædes publicas, pondera mensuras, vias, semitas, capita, aquaductus, & quæ his similia, curare:* Ca*merarij pecuniam ciuitatis tractanto, colligunto, ex totius senatûs sententiâ eroganto, de eâ præfecto* Co*mitis & senatui rationes quotannis reddunto. Senatus ex voluntate* Comitis *scribam à secretis & apparitores quatuor habeto.* Iuris*dictio agri vicini, quæ cum ciuitatis iurisdictioni solet coniuncta esse, & ab ijsdem coniunctim administrari, sed proximis annis per matrem* Comitis, *quæ sibi imperium in* Nordanos *ex pactis dotalibus à morte mariti vendicarat, ab oppidana separata fuerat, adhuc ad tempus penes perfe-*

ctum

ctum Comitis & Amptmannum maneto, sed exerceetor non alibi quam Norda in curia, diebus ijs, quibus senatus ius oppidanis non dicet: nec tamen praefectus & Amptmannus oneri sunto ciuitati, sed stipendia à Comite capiunto. Dimidium omnium multarum duplicatarum cum quibusdam censibus alijs in vsum stipendij consulum ac senatorum cedito. Senatus Comitio simul & ciuitati solenni ritu fidem iurato: idemq́ue facito praefectus, de quo diximus, & is, qui senatui à secretis est. Ciuitas Norda à seruitijs aulicis & oneribus non spontaneis in vsum arcis Berumanae cedentibus liberi imposterum esto. Hae veteris libertatis Nordensium reliquiae. Minores curationes, quae ad arma ciuium, ad vigilias, ad sodalitatum plebeiarum pertinent, volens praetermitto. De re Ecclesiastica, quae valdè varia fuit, frequentibusq́ue mutationibus obnoxia post abiectum Papismum, non libet dicere. Dixi satis prolixè in Historia. Nunc à multis annis Lutherano nomine qui gaudent, eam tenent. Ab his qui dissentiunt, & cum Emdana Ecclesia faciunt, quorum magna est multitudo, sacrorum causa Lutesburgum in arcem familiae nobilis itant frequentes, indignante & fremente parte aduersa, in qua zelus est sine scientiâ, in multis quoque factio potiùs quàm zelus, religionem susq́ue deq́ue habens: putantq́ue plerique, u[illegible] degeneres se fore, & Nordano nomine haud satis dignos, [illegible]si se Lutheranos profiteantur. Scola literaria pe[illegible] mplures annos illic non infrequens nec incelebris, caeteras certè omnes istius regionis inter Amasum & Visurgim, superans,

perans eum confessioni veritatis in doctrina sacra ibidem locus esset. Postquam ea libertas adempta est, & Ecclesia zelotis Lutherano se nomine iactantibus cessit, fortuna quoque illa Scholæ decessit: nec reduci postea potuit, quamuis omnia in eum finem tentata sint; & luci restituendæ facula accensa. Oppidum hoc grata quondam mihi sedes fuit per annos plus minus nouem, propter amœnitatem singularem, & iucundos amicos, quorum copiam illic habui, & annonæ vbertatem, & quia per matrem longa maiorum serie originem indè traxi: perstitissemq́ue ibidem diutiùs, nisi veri studium, quod profitebar, cui inimici erant zelotæ nonnulli, locum me relinquere compulisset. Mercatus Nordæ haud infrequens qualibet hebdomada feriâ secundâ: sed solennes, ad quos fidè maior omnium hominum numerus confluit, bini quotannis, postridie Pentecostes, & die 25. Iulij, qui Iacobo Apostolo sacer habetur.



A V R I-

AVRICA.

Oppidum hoc mediocre regione nemorosâ sed soli pertenuis, situm propè in meditullio prouinciæ: fossâ falloq; modico clausum contra incursus, sed sustinendis magnis belli viribus non sufficiens. Ab vno latere protegitur arce Comitis maioribus operibus quàm oppidum munita: quam qui tenet, oppidum quoq; habet in potestate. Sedem præstat Dicasterio supremo, de quo dixi priùs, eoq; fortunam suam nunc auget. Alterum, & multò vetustius fortunæ eius præsidium est ex frequenti mercatu pecorum, equorum, boum, vaccarum, suum, qui multoties illic agitur, ad quem magnus hominum numerus confluit, ex omni plagâ. Accedit aula Comitis, qui magnâ anni parte ibi degit propter amœnitatem, & venandi studium. Quamobrem & ij, quorum consilio & operâ Comes vtitur, vt plurimùm domicilium illic ponunt: & Comitem negotiorum causâ non subditi solùm, sed & peregrini frequenter sequuntur. Sedes antiqua familiæ nobilissimæ Broecmeriorum, qui oppidum cœperunt excolere, à quibus ad Focconem Vconis, ab eo ad Grethanos, & demùm Comites peruenit. Habet consules duos, & senatores totidem, qui ciuibus præsunt, & ius ipsis dicunt, sed satis abiectè, nec ex dignitate muneris sui. Sunt omnes in potestate Comitis, qui cùm vult, & quos vult, honore ornat, destituit in eo relinquit. Quapropter ab illo dissentire haud facilè audent.

Dicasteriū supremum Auricæ.

Aula Comitis Nordæ.

què

qui honorem perdere nolunt. Stipendium singuli ex publico capiunt aureos Carolinos 10. annuos, qui commutantur stuferis Brabanticis 200. Dignum sanè operæ istius pretium. Et tamen ciuitas hæc in comitijs ordinem suum tenet, non minus quàm cæteræ, cumq; ijs deliberat. sententiam dicit. suffragium fert: quæ si Emdæ comparetur, Aricia Romæ comparata videri poterit, aut Aphydna Athenis. Cæterum senatus scribam habet à secretis, qui hodiè ex senatoribus alter est. An sontium prehensionem & coërcitionem habeat, nescio, apparitores quidem habet ad iussa paratos, per quos iudicata in ciuilibus, cùm opus, exequuntur. Ciues ab oneribus & seruitijs aulicis, quorum consuetudo sensim ipsis obrepserat, præterq; à fœni collectione ex transactione eadem Osterhusanâ nunc sunt immunes: nec, vti solent, hospitijs eorum, qui aulam sequuntur, grauantur. Pro his verò remissis Daleros Imperiales 140. Comiti quotannis ex conuentione soluunt, præterquam quod æs mutuum Dalerorum similium mille eidem tum statim cùm Osterhusæ agerentur, condonauerint.

Ciuium immunitas.

Hic Auricensium status.

ALIA

ALIA OPPIDA ET FORA FRISIAE ORIENTALIS.

PRæter has ciuitates tres, sunt aliæ quoq; in Frisiâ Orientali, ESSENA, IEVERA, VVITMVNDA, quanquam hanc in ciuitatum numero censere non ausim: quæ nec magna fortuna est, nec mœnibus clausa. Sed hæ, vti & antè dixi, cum Rep. de quâ iam scribo, quæ libertatis reliquias tuetur, nihil habent commune. seruiuntq; seruitutem Dominis suis. Verùm sunt in eâdem regione, & eadem Rep. fora aliquod insignia, quæ vicorum rusticorum modum excedunt, ad oppidorum modum quàm proximè accedunt, & si oppidana iura haberent, inter ea quadam eorum censeri possent Maximum, & ædificijs populoq; frequentissimum, & cultissimum est LERA ad Ledam flumen, iuxta confluentem huius & Amasi, multis oppidis aliarum regionum par, multis quoq; maior, commercijs & nundinationibus florens, quibus commoditatem præstat copia importandi & exportandi per vtrumq; flumen, nauium varij generis patiens, ac nauigationibus aptum. Situm in Mormeria, duobus supra Emdam milliaribus Germanicis versum Ortum hybernum. Dein est IAMGVMVM Amaso quoq; adiacens, in Reideriâ medio milliari infra Leram, Embdâ dißitum in eandem plagam

FORA IN FRISIA ORIENTALI.

gam militari vno cum dimidio, portum habens satis commodum, quem riuus efficit latus, & profundus per aquarum claustrum defluens in Amasum, duabus exercituum cladibus nobilitatum, negotiationibus quoque deditum. Tum OLDERSHEMVM ad eundem Amasum in ripâ oppositâ, milliari nō magno supra Emdam, medio verò infra Iamgumum, cū portu egregio, quem naues maioris generis quoque subire possunt, atque hinc commercijs non infrequens, vicis & ædificijs in modū oppidorum non vilium nitens, in orbē collectum insigni arce familiæ nobilis ornatū, cuius in potestate forum ipsum hactenus fuit. VVENERA item in Amasi ripâ terræ Reideriæ, Emda remotum milliaribus Germanicis tribus, Oldershemo duobus, Lerâ vno, tribus prioribus fortunâ & formâ haud par, portu tamen & nauium vsus etiam gaudens. Sed & hæc & alia in præfecturis rusticis censentur, præfectisque parent, & in comitijs non aliud quàm reliqui vicani ius habent. De comitijs his dixi priùs, sed strictim:

COMITIORVM RATIO.

Nunc res poscit, vt dicam paulò pleniùs. Cum quid rei est, in quo sine consensu Ordinum constitui nihil potest, Comes aut sponte suâ, aut ab Ordinum delectis monitis, comitia indicit per literas, quibus causas ipsas, cur comitijs sit opus, exponit, vt omnes quorum interest, domi quoque rem expendere, suosque ad comitia mittendos, id quod ijsdē literis præcipitur, instruere necessarijs mandatis ac potestate queant: & simul tempus ad locum comitiorū designat. Atque has literas ad singulos è nobilitate, ad singulas ciuitates, in singulas præfecturas ad præfectos mittit. Nobilitas re deliberatâ aut

tâ aut viritim ad comitia se confert, aut delectos nomine omnium cum mandatis mittit. Ciuitates è suis, quot & quos volunt, singulæ potestate & mandatis instructos, eôdem legant. Emdanâ imprimis è senatu binos aut ternos, quos ipse senatus edit, ex collegio 40. virûm totidem plerumq; aut pauciores, quos permittente Senatu collegium nominat. Præfecti literarum Comitis exempla ad omnes vicos præfecturarum suarum deferri quamprimùm, & die Dominicâ, finitâ concione recitari è suggesto curant. Tum vici singuli aut binos, aut singulos è vicanis suis designant, quos ad comitia volunt ire. Dein communicatis consilijs de potestate ac mandatis, quæ designatis danda sunt statuunt. Quibus expeditis, cùm definito tempore ad comitia ventum, loco publico (in templo scilicet, aut curiâ) præfante Cancellario Comitis, aut alio qui à consilijs comiti est, scribarum aliquis, clarâ voce è chartâ recitat omnia, de quibus agendum, & quid de ijs Comes sentiat, quidve desideret: exemplumq; recitatorū nobilitati vnum, alterum oppidanis, tertium vicanis tradit. Eo facto, qui pro Comite adsunt, singulos cum potestate & mādatis missos, literas potestatis & mandatorum poscunt: si quos inueniunt aut nō habere has literas, aut probas & idoneas non habere, eos facessere iubēt, & ab actione abstinere, donec ritè instructos se rursū sistant. Dein ordines tres breuiter inter se collocuti de summâ rerū secedunt in diuersa, & seorsim singuli deliberāt. Et nobilitas reb. disquisitis secundū capita sententias dicit, & suffragia fert: oppidani ad-

ferunt quidem omnes in medium quod sentiunt, sed suffragia solùm conficiunt tria pro ciuitatum numero, operamq́ dant, quantum possunt, vt ea, si fortè dissentiant, in consensum redigant: si id facere non possunt, pluribus suffragiis locum dant, nisi id fiat in fraudem & detrimentum ciuitatis tertiæ: tum enim vt æquum est, aliud seruatur. Interdum etiam si consensum iniri non queunt, discrepantes sententias concipiũt. Qui ordinis tertij sunt, post dictas auditasq́ rationes varias secundum præfecturas suffragia ferunt, & ex maiore suffragiorum numero plerunq; concludunt. Nonnunquam tamen secus etiam faciunt exemplo ciuitatum, sententijsq́ diuersis sese disiungunt. Verùm fit vt plurimum, nisi factiosa studia, & pertinax æmulatio, capitales Rerumpubli: pestes, obstent, id quod maxime æquum est, & vniuersæ Reip. perutile, vt tum ciuitates minores autoritatem maxime sequantur in rebus magnis, tũ præfecturæ rusticæ, quarum minor fortuna est alijs, quæ opibus & hominum frequentiâ, cultu, peritiâ potiores sunt, cedant. Quẽadmodum enim istarum magis interest, Remp. esse saluam, ac vt eædem in communes vsus plus conferunt cæteris, & virorum prudentium copiâ, quorum consilijs & operâ in comitijs vtuntur, reliquas procul antecedunt, ita earundem consilia & sententias, cum de rebus communibus agitur, præualere, videtur legitimum, modò absit iniquitas & iniuria. Iniquum aũt ac iniustũ est, onera ab se reijcere, & deriuare in alios, onerumq; & virium proportionem æquam nõ seruare.

His

His verò deliberationibus atq; actionibus haud fas est eos, qui Comiti à consilijs sunt, aut eiusdem præfectos, officiaros, ministros vllo se modo miscere, ne eorum præsentiâ atq; autoritate, aut metu Comitis, deliberationum & sententiarum libertas arctetur. Vbi seorsim satis actum à quolibet ordine, omniaq; ad ineundam consensionem tentata, vocantur omnes coniunctim, vt coram ijs, qui pro Comite præsentes sunt, interdum & coram ipso Comite, si adsit, sententias expromant; quæ si consentiant in rerum summâ, & in ijs ordines constantes persistant, tenetur Comes secundùm eas decretum scribere & promulgare: nec licet ei in re ipsâ aut fundamento quicquam scribendo mutare, quanquam aliud Thomas Frantzius Cancellarius, vim veritati afferre conatus, cum consiliorum suorum socijs persuadere, sed operâ perditâ olim tentarit. At si sententiæ discrepent, monitu & hortatu Comitis, aut eorum, quorum is operâ vtitur, tollendæ minuendæve dissensionis ergò, instauratur non rarò deliberatio, rationesq; cum rationibus conferuntur, omnia deniq; ad ineundam inter ordines concordiam tentantur. Qui si frustraneus est conatus, nec spes restat vlterior, legitimum est, secundùm id, ad quod suffragia plura collimant, hoc est, in quo ordines duo sine iniuria ordinis tertij, aut læsione membri alicuius consentiunt, concludere & decernere. Si dissensio multiplex est, & suffragia videntur & pondere & numero paria, concludi decernique ritè nihil potest, manetq; res suspensa: aut si quid decernitur, id legi-

 timum

timum non habetur, nec facilè ab ijs, quibus aduersum est, admittitur, litesq́; & certamina ac turbas Reip. noxias parit. At verò si consensum ipsi inter se inire ordines, & ordinum membra non poßint, arbitriumq́; dirimendæ dissensionis ex æquo & bono Comiti permittant omnes, expeditur res, & decretum conficitur, cui parêre omnes necessum habent, modò extra terminos decretũ non exorbitet. Hoc ius à maioribus acceptum, hic agendi modus, legitimus & ordinarius. Ab His comitijs collegium pependet virorum sex, quod aßignatorum, aut administratorum pecuniæ publicæ, quæ ex tributis prouenit, vocatur, quodq́; tribus ordinibus commune est. Sedent in eo duo ex nobilitate, duo ex ciuitatibus, totidem ex ordine tertio, pari omnes potestate ac iure: Sed eorum qui ex ciuitatibus locum eum tenent, alter vtiq; ex lege Emdanus est, de altero Norda & Aurica inter se comparant. Sunt sexuiri hi curatores ærarij Ordinum, in quod Comes ius nullum habet: tributa publicanis locant, aut per ministros colligi, & in ærarium inferri curant: dant operam, ne qua fraus ærario è publicanis, aut alijs fiat: publicanis, vbi opus, quem ferunt, controuersias eorum & inter se, & alijs cognoscunt & expediunt: executionem promptam decretorum suorum habent per manum militarem, quam sumunt ex præsidio Emdano, volente senatu, & præsidij præfecto, quibus recusari id non licet. Quibus ex ærario aliquid debetur, hos conueniunt: hi si probant debitum, & soluendum putant, manu suâ id testatum faciunt: cum

Collegium administratorum pecuniæ publicæ.

ad

eâ debitum petentes ad Quæstorem ærarij mittunt, sine qua soluere cuiquam Quæstori non licet. Sedes collegio Emdæ *est ex decreto, quemadmodum & ærario, cui præest, Comiti licet, si velit, ex suis assessorem collegio dare, sed sine suffragij iure, ac sine potestate, sed vt audiat tantùm, & videat ea, quæ in collegio aguntur, & præsentiâ suâ honorem collegio adijciat. Sed nõ nisi rarò hoc fit. Additus collegio est scriba à secretis; qui præstat & expedit ea, quæ id genus hominum talibus in collegijs solent; de quibus alias scripsi. Additus est & Quæstor paulò ante nominatus, qui ærarij pecuniam tractat ex collegij mandato: recipit eam à publicanis, & tributorum collectoribus alijs; & omnibus qui ærario aliquid debent; in quorum numero* Emdani *sunt; quos dixi sextam omnium onerum* Reip. *communis debere: eandem custodiæ & fidei suæ cõmendatam habet, & ex præscripto expendit ac iussus rationes accepti & expensi reddit. Reliqua ministeria non libet memorare. Verum adiuncti etiam eidem huic collegio sunt trium ordinũ delecti, quos* Deputatos *vulgò indigitant, qui pro re natâ* Emdam *veniunt, sed rarò nisi à collegio vocati, vt in rebus difficilioribus consilio ei adsistant, & bonum publicum promoueant. Sunt vt plurimùm numero 17. quorum 10. ferè dant agricolæ ex ordine suo quinq; oppidani, duos nobilitas. Hic conuentus virorum 23. velut compendiũ quoddam est integrorum comitiorum, & multa expedit, ob quæ tota comitia conuocare operæ pretium non videtur. Hæc est illa, quam patria mea reliquam habet, non pœnitenda ciuiles libertas.*

Scriba collegij.

Quæstor.

Deputati Ordinum.

Regio felix, in orâ nulli fæcunditate cedens, nauigationum commoditate propter Amasum flumen cæteras Frisiæ partes superans. Sed vicißim præ reliquis aggerum difficultate & multitudine premitur. Infestus enim ei est Amasus longißimo tractu per milliaria haud minus 4. versus interiora à Borsumo vico vsque ad fines Monasterienses, vtrimque aggeribus coërcendus, infestus Lædafluuius ab arce Lehrorthonâ ad terminos Oldenburgicos porrectus; vt de amne eo, qui Transledanos permeat ex Sagelthanis veniens, & in Lædam influit, dicam nihil: magis verò infestus Dullartus sinus in orâ Reideriæ, infestißimus verò idem Amasus infra Borsumũ, & vrbem Emdam, & infestißima maris æstuaria illa inter insulas & continentem se fundentia, ac intra terras se insinuantia: ne quid de incommodis Ladæ grauiter sæpè sæuientis memorẽ. Vnde & difficilis & multiplex aggerum tuendorum curatio, & complures eiusce præfecti aut iudices, quos χωματάρχους aut χωματοδικάστας dici posse antè ostendi, cùm de regione inter Fleuum & Lauicam agerem. Nusquàm verò curatio hæc difficilior, quàm in præfecturis duabus Emdanâ & Grethanâ.

AGGERVM CVRA.

D B

DE RE ECCLESIASTICA.

Ecclesiastica, quod paucis debetur hominibus naturâ contentiosis ac ἀντιλογικοῖς, in hac regione non sunt vbiq; vniformia. Sunt enim vt antè dixi, qui Lutherano nomine gaudent, & ab Ecclesiâ Emdanâ, cæterisq; cum eâ consentientibus secessionem fecêre, frigidam non ita nuper suffundente aulâ, magno tum pietatis, tum probitatis, tum concordiæ politicæ malo. Nam aula, quæ in partibus Lutheranis eo tempore erat, abutens potestate, & titulum iuris, quod Patronatus vocant, prætexens, inuitis paræcis pastores alios adimebat, alios obtrudebat, non sine dolore ac offensione optimorum quorumq; longè grauissimo. Et querelæ passim in populo crebrescebant, non solùm pietati & conscientijs suis vim fieri, sed etiam accepto à maioribus iuri fieri iniuriam. Demùm cùm populus omnis vniuersas suas controuersias cum Comite Ennone patriæ regimen inituro componeret anno 1599. in hac re conuenit sic: vt paræcijs esset liberum Ecclesiæ ministros sibi eligere, quibuscum in religione consentirent, modò eligerent bonos ac idoneos, & Emdano cœtui, si Emdanam confessionem sequerentur, aut cœtui alteri, quem Comes Lutheranis erat daturus, probatos: nec liceret Comiti hanc omnem libertatem turbare: ab eo tamen vt magistratu summo

Ecclesiastica toti regioni communia.

confirmatio peteretur, quàm abnuere comes sine iniuriá non posset. Atq; hoc ab eo tempore sine vitio seruatum: A parte verò Lutheranâ res sine ordine illo à Comite promisso mansit, in quâ Nordani Auricaniq; hæsêre. Cœtus Emdanus vtcumq; instauratus. Is cœtus, cum integer vigebat, conuentus erat symmystarum Euangelium docentium totâ regione, maximè eorum, qui cum Ecclesiâ Emdanâ in doctrinâ consentiebant. Initium ei datum à Ioanne Lasco Polono viro maximo, cùm is Ecclesiæ Emdanæ pastor esset, & ex voluntate summi magistratus, desiderantibus ipsis Ecclesijs rogantibusq; earum ministris ἐφόρειαν omnium Ecclesiarum toto agro dispersarum in se recepisset. Scopus præcipuus erat, vt per eum doctrinæ integritas & consensus conseruaretur, vt εὐταξία vigeret, vt scandala auerterentur ab Ecclesijs, & probis pijsq; moribus tum doctrina, tum sacrum ministerium vbique ornaretur. Conueniebant symmystæ frequentes, qui concordiam bonumq; ordinem non auersabantur, & quibus venire incommodũ non erat, semel singulis septimanis feriâ secundâ ab octauâ die Paschatos vsq; in Michaelis. Reliquo tempore, si quid esset, quod conuentum posceret, conueniebant pauci, quibus id à toto cœtu commissum, & in his ferè ij, qui vrbi erant maximè vicini. Conuentus verò omnes cum seriâ inuocatione nominis diuini inchoabant & claudebant. Ordinarium erat primo quoq; conuentu post Paschatos symmystarũ omnium suffragijs præsidem designare, qui rebus agendis per æstatẽ præesset, ac negotia dirigeret; eidemq; addere scribam,

Cœtus Emdanus.

qui cœtus acta notaret, ac redigeret in Protocollum, virumq; ex symmistarum ipsorum numero. Et ferè fiebat vt ex symmystis Emdanis aliquis, qui doctrinâ & autoritate antecederet, præses designaretur, idemq; sæpiùs, si in agendo dexteritas eum commendaret, reficeretur, atq; adeo in munere istô maneret per annos plurimos. Quod Mensoni Altingio accidit nostro tempore, cui frustra deprecanti, & successorem petenti ac roganti labor hic continuatus fuit per annos plus minus 33. Deinde ad censurā morū, cui omnes sine discrimine subijciebantur, transitus fiebat cum fraternâ admonitione aut correptione, prout res aut mores cuiusq; poscebant: quæ censura verè salis instar erat, ne quid in corpore toto, aut membris putresceret. Eâ cēsurâ peractâ examen accuratum instituebatur eorū, qui ad sacrum ministerium adspirabant, aut ei se præparabant, instructiq; erant testimonijs bonis vitæ prioris actæ, vt de eruditione quoq;, & doctrinæ sanitate cognosceretur: videbanturq; etiam ijdem facultatis suæ in dicendo specimen aliquod coram toto cœtu deponere: iudiciumq; de his omnibus erat non soliùs præsidis, sed omnium symmystarum, quorum suffragia per ordinem præses querebat: quod si qui muneri nondum sufficere viderentur, differebantur tantisper, donec idoneos se probarēt: petentibus iudicij cœtus testimonia scripta concedebantur. Post hæc ad disputationes veniebatur, quarum causa theses aliæ post alias proponebantur de præcipuis doctrinæ Theologicæ partibus maximeq; de ijs, quæ solent in controuersiam trahi: quas tue-

batur symmystarum vnus, reliqui, quibus animus erat, oppugnabant: præses actionem regebat, & si opus erat, respondenti interdum suppetias ferebat, aut iudicium suum interponebat, & contentioni modum statuebat. Seruabatur autem in actione vbiq; summa modestia, ac grauitas, ordoq; optimus. Ac licebat omnibus omninò, quibus voluntas erat, etiam ijs, qui ab Ecclesia Emdana dissentiebant, liberrimè, quæ cupiebant, in medium afferre. Id institutum à Lasco fuit tum exercendis symmystis, tum erudiendis, & ijs, qui fortè opinionibus non veris imbuti erant per rationum comparationes placidas ac amicas in viam veritatis deducendis: de quo sæpè hoc prædicare audiui viros eruditione ac pietate præclaros, & diu iam in sacro ministerio versatos, plus se veræ Theologiæ, quæ in Ecclesiæ ministris requireretur, ex his exercitationibus in cœtu didicisse, quàm ex disputationib. Academicis. Atq; hoc exercitij genere cum ijs, quæ sæpè agenda intercurrebant, pertinentia ad cõtrouersias cognoscendas & tollendas, ad offensiones sanandas, & quicquid erat huiusmodi, reliquum æstatis transigebatur. Hæc verò omnia per omnes æstates in orbem redibant. Et iamdudum vsus docuerat optimus sanè magister, per cœtum hunc omnes eos fructus, ob quos institutum fuisse dixi, Ecclesias huius regionis præclarè esse assecutas. Florebant enim ipsæ Ecclesiæ, doctorumq; optimorum copiam habebant; hi & concordes inter se erant, & diligenter ac fideliter munere suo defungebantur, amabanturq; & colebantur à suis: fidelium cœtus vbique

crescebant,

crescebant, templa audiendis concionibus sacris implebantur, sacramenta ex instituto Christi cum summa veneratione administrabantur, συνάξεις erant pro Ecclesiarum & locorum modo frequentes, plusq; ordinis Ecclesiastici conspiciebatur in non paucis vicis rusticis, quàm alibi deprehenditur etiam in oppidis non postremis, quæ tamen Ecclesijs orthodoxis hospitia præbent: deniq; veritati doctrinæ, pietati ac probitati vitæ honos tribuebatur. Verùm cum facto illorum, quibus inuisa tanta Ecclesiarum fortuna erat, cœtus turbatus, & neruus ille incisus fuit, eadem hæc in peius iuêre: donec cœtus idem vti dixi, restitutus est, quanquam pristinæ fortunæ nondum redditus: ex quo mala quoq; cœpêre rursum decrescere, & bona ex aduerso alas quasi mouere: sperantq; omnes, qui DEVM timent, ab eiusdem DEI vbere gratiâ vlteriora. Cum quo velut felici omine Διαζιβὴν hanc de statu patriæ libens concludo. DEVS ille omnis boni largißimus fons vetus Ecclesiæ suæ hospitium, & piorum exulum asylum incolume cõseruet, & principi eius cæterisq; Rectoribus sapientiam, pietatem virtutem inspiret: Amen.

* * *

FINIS.

VBBONIS EMMII
FRISIAE ORIENTALIS DESCRIPTIO CHOROGRAPHICA.



ESCRIPTIO *Frisiæ Orientalis sic habet. Post Belling & woldios VVestervvoldicum agrum finientes* REIDERIA *hodierna incipit, riuulo ab ijs separata in orâ Dullarti, quem riuulum Sypam alij, alij Aam dicunt. Vbi riuum transieris, villa primum cœnobij Dunebrocai, deinde ipsum cœnobium occurrit, tum VVimêra in eadem * orâ ad Ortum æstiuum cum fano, mox in Boream Bona sine fano, demùm * Bunda portu commoda sequitur, cuius fanum antiquum & magnitudine structuráq; reliqua omnia eius regionis superans. Vicus ipse magnus, à multis olim familijs nobilibus habitatus: quod arcium area & rudera, quæ etiam nunc ob oculos sunt, demõstrant, Distat à Bellingvvoldicis, passuum millibus 4. Hinc in extremum Reideriæ angulum, qui in Boream maximè attollitur,* AMASVMQVE *attingit, non minus quàm per sena passuũ millia Dullarti litus anfractuosum ascendit. Rursum ab effluxu eiusdem riuuli, quem terminum Reideriæ à Billingvvoldijs designaui Ortum versus inuiæ paludes iacent, per quas triũ millium*

* In hac orâ proximis agunis, gementibus vicinis, nouus ager aggere cinctus.
* Portus Bundensis nunc ferè deficit.

lium quingentorũ passuum itinere, cùm gelu cuncta concreta sunt, aut siccissima æstas humorem minuit, ad Amasum, Frisiæ fines primum attingentem peruenitur: isq; Reideriæ terminus Austrinus est, quo à Monasteriensibus seiungitur. Illic in Amasi ripâ, prima syluula se offert, quem Dilensem saltum vocant, humili & aquosâ planicie, nec cuiquam facilè peruiâ à Meridie præcincta, ad Ortum paludibus iã dictis penè contigua, spatio nõ magno relicto viæ militari, quæ è Monasteriensibus sola in Reideriam ducit, ipsamq; hanc syluulam stringit. Eam ob causam fossâ valloq; militari cincta à populo, & castrorum in formam redacta est, contra incursus hostium non inutili consilio. Estq; hoc velut claustrum prouinciæ, quæ multas sæpè calamitates à peregrino milite perpessa olim fuit. Ab hoc saltu in Ortum se Amasus incitat ad mille passus, vbi Haltanum cœnobium attingit: ab eo paulatim se flectens initiò, mox rectè in Septentrionem effertur per sena passuum millia, donec recepto Ladâ amne alio, ad Bingumum vicum perueniat: indè in Circium aut Corum declinans, pari spatio, vbi Oldershemum attigit, rectà in Zephyrum per 3. pass. millia fluens iam latus, maximarũ nauiũ capax Reidanũ agrũ prætervehitur, atq; illic Dullarto aquas suas miscet, amœnissimus & opũ aduector fluuius. Sed ad agri descriptionẽ reuertamur. Post syluã vicus sequitur Dila: deinde ripæ magis appropinquans Velga, atq; in flexu Amasi Halta cœnobiũ Ioannit: intus verò post Dilam mille quingẽtenos passus ab Amaso recedẽs Stapelmora cum fano vetusto, Holthusa stadiũ, vnde iuxta stagnũ

VVenera-

VVeneranum, deinde per editionem planitiem, quam Ielstgastum vocant, Bundam transuersum iter est in Corum se porrigens non binis passuum millibus. Rursum in Amasi ripâ post Stapelmoram est VVENERA haud ignobile forum egregio situ, hinc editos campos arenosi soli, sationi percommodos ac spugibus lætos, indè graminosa prata pascendis armentis felicißima habens cum opportuno portu, quem riuus per cataractam illic ad Boream oppiduli partem effluens efficit tali alueo, vt à modicis subiri nauibus poßit. Ipsum forum in longum porrigitur à Meridie in Septentrionem ascendens continuis, & in oppidi modum dispositis ædificijs, cuius in medio pulcherrimum est templum, cum amœnâ in ambitu areâ. Præpositura, vt vocant, honore insigne. A VVenerâ deinceps secundum Amasum vsq; ab Dullarti initia per dena paß. millia, eoq; amplius ager frumenti ac pabuli mirè ferax se aperit: in quo primùm Borgumum in ipsâ Amasi ripâ, mox alter & tertius eiusdem nominis pagus, vbi templum tribus commune, occurrit: Deinde Ledæ Amasiq; confluente præterito Bingumgastum ad læuam à flumine nonnihil recedens, & ipsum Bingumum in orâ cum portu, sed exili, cui ex aduerso insula in Amaso obijcitur: tum procul à litore eandē ad læuam Holtgastum cum fanos totius Reideriæ, vt communis fama habet, vetustißimo & rursum in ripâ Stolburgum, relictisq; duabus egregijs villis sinistrorsum Deddoburgo & Vcoburgo cœnobium Iemgumanum, aut reliquia potiùs, finis eâ parte præfecturæ

Droosdtje.

Ortha-

Orthana ac Reideriæ superioris. Sed intus agri totius in medio in solo palustri, ac ad humani pedis pulsum, etiam vbi maximè firmum videtur, cum ipsis ædificijs tremiscente vici habitantur quatuor; VVeingermora inter Bundam & Borgumũ media, Syluula S. Georgij, Syluula Bohemica, postremò Mariæ chorus Iemgumum è latere obliq; respiciẽs] cum stagno piscoso ad Aquilonem fano & postremis ædibus adiacente. Quorũ tres priores superiori, hic inferiori præfecturæ accensentur. A cœnobij Iemgumani reliquijs in Reideria inferiore, quæ præfecto Emdano paret, statim IEMGVMVM *se offert, forum peregregium, oppidiq; non vilis speciem habens, siue amplitudinem spectes, siue nitorem, totius omninò Reideriæ oculus, portu non incommodum, & super insita bona binis quoq; magnis exercituum cladibus paucos intra annos nobilitatum. E latere verò eius introrsum, Climpa, Iemgogastum. Sed iuxta oram longo ordine sunt Eppingȝwera sine fano, Midlumum, Critsumum, Hatsumum, Nemdorpium, Oldendorpium, Ditsumum cum portu, demũq; Paȝwinga in extremo agri Reidani angulo ad Dullarti initium, quem angulum antè designaui, pagi omnes mediocres cum fanis, quibus alij minores sine fanis, paucis comprehensi villis, interijciuntur. Ailingȝwera, Bomburgum, VVischeburgum, & ab orâ paulò longiùs introrsum submotâ arx Coldeburgica, quã donatione Vdonis postremi Domini possident Falcoburgij: Postremò tractus est à Dullarto initium ducens sparsim villis habitatis è regione vicorum quos recensui.*

recensui, quē patriâ linguâ die Hamrick *vocant. Sed omnis hic ager iā descriptus, felix qua flumini propinquat, & gramine fœcundus, deficit pedetim introrsum vergens, donec post Sylvestrem, quem exposui, tractum in ericeta & paludes desinat. Post Pauvvingamū angulum, à quo agri vetusti pars oblonga angustæ linguæ speciem præ se ferens quadringentorum ferè passuum spatio procurrit,* DVLLARTVS *sinus aperitur, & medius inter Præfecturam veterem & Reideriam hanc, quam describimus, influit: Vltra quem eodem hoc ex angulo Reida in aduerso litore aspicitur, interuallo 4. mil. paß. haud minore: vnde se paulatim sinus ipse velut submotis terris in spatium latiùs explicat, maximè in Zephyrum ventum. Quo de sinu, quoniam res poscere videtur, hoc loco prolixiùs quædam dicam, atq; ignorata etiam nostris hominibus plerisq; aperiam. Fuit quondam ab antiquißimâ maiorum nostrorū memoriâ longè alia, ac iam videtur totius regionis facies. Nam post extremum hunc Reideriæ angulum continua, & nusquam interrupta terra procurrit in oram vsq; agri Nessani, qui iam in insulæ formam dudum abijt: inde rursum à Boreâ eius agri parte latiùs in Occidentem progressa sensim in Africū descendit, donec Præfecturæ veteri in Groninganis ad Reidam, vicum paulò antè dictum, iungeretur. Atq; eo tempore, vbi Dullartus iam est fluctibus cuncta operiens, vbi pulcherrimi campi, fanis, vicis, villis frequētibus occupati fuêre. Vici non pauciores 32. ita habuêre. In Corū euntibus à Pavvingâ vico proximè occur-*

Dullartus sinus.

rit

rit Vterpavvinga in vltimâ Amasi ripâ: inde in Occidentē TORVMV M *fuit, non vicus sed oppidū pro captu temporum illorum frequens & egregium, cuius opum fortunaq; declarandæ causa auorum memoriâ vulgò fieri solet & cudendæ monetæ magistrum, & auri argentiq; fabros octo eo in oppido artificij sui officinas exercuisse. Quod verum videri non debet in tanto earum rerum, quæ ex ijs metallis fiebant, hac in gente vsu. Solum oppidi etiam nunc nomen retinet, & rudera ædificiorum veterum, ac vestigia quoq; platearum cùm Euroflante aqua recesßére, commonstrat. Et sæpè accidit, vt qui solum nudum diligentiùs scrutantur, pecuniæ aut veterum rerum aliarum in scrutis & arenis aliquid inueniant: Vulgoq; notum est, paucos ante annos vasculum è ruderibus erutum esse plenum argenteis nimis minoribus, quos plurima ante sæcula signatos fuisse inscriptio docebat; quorum aliquot nigredine squalentes, sæpius mihi visi. A Torumo in Circium aut Boream VVilgumum proximum agro Nessano quâ is in Meridiem desinit, & angulū efficit in Ortum brumalem procurentem, vbi nunc operis ad dirigendos Amasi fluctus ab Emdanis factum est initium. Inde Fletum in Occidentem VVilgumo succedens, quod Nessanis Reidam intuentibus aspiciebatur, proximumq; ipsis erat. Huic Berumū in Boreā, Nessanis ad Occasū erat. Sed Fletanos in Occasū Iansumū excipiebat primâ ruptorū aggerū calamitate, vnde Dullarto origo extitit, ad posteros infame Hinc porrò obliq; in Africum declinans fanū Ludgero sacrū,*

Torumi officinæ [illegible] variæ.

post

* Hæc Reida Occidẽtalis proximis his annis etiam propemodũ tota di speriji, vbi nunc in extremo soli eius angulo castellũ militare est.

*post fanum in Austrum breui interuallo * Reida sequebatur, quam ad differentiam ab altero eiusdem nominis vico, qui etiam nunc in viciniâ illâ superest, ex situ Orientalem nominabant: Eum quippè Occidentem versus circiter mille passuum minoreve intercapedine aspiciebat, ac fluuiolo agrorum distinctore ab eo dirimebatur: habebatq; adiunctum sibi cœnobium velatarum virginum. Et hi vici non incelebres olim, quorum alter qui ad Occasum est, duobus fanis conspicuus fuit, à quibus Reideriam nomen quondam accepisse, non abs re coniectare me dixi. In eádem porrò viciniâ viculus quoq; minutus Leida sedit, Reidæ & Iansumo proximus, & Petri syluula in Orientem ab eo recedens, Mediâ inter Iansumum & Torumum viâ, VVILGVMVM in Ortum solstitialem, Fletum ex obliquo in Septentrionem intuens, peneq; triangulum æquilaterum cum ijs ipsis efficiens. Tum introrsum Meridiem versus complures vici alij fuêre, Tysδwera Reidæ vtriq; finitima, in Occidentem prima, Beda Hakelsum Toramo in Austrum, vicinum. Duuelea in Ortum maximè procurens, Evvirzvvera, Stocdorpium Bedæ propinquum, Sandorpium in Meridiem Stocdorpio subiectũ: rursum in Occasu Soxumervvolda, atq; istinc in Ortum hybernum Hermenvvolda, Soxumum, & longiore interuallo in subsolanum sequens. VVynhamum, virorum nobilium domicilio olim florens, atq; ampliùs etiam in Hellespontiũ ventum Vterbeerda in reliquijs soli, quæ aquis circũfluæ sunt iuxta oram Reideriæ, vetus nomen hodiè seruans,

uans, in Vulturnum Beerda Orientalis, & ipſa in latere hodiernæ Reideriæ: ſub ea verò eodem in latere Meridiem versùs VVinemera, Megabamum prope inſulam minutam, quam tardam Bundicam dicunt, & poſtremò in Libonotum leniter deflectens Exterhouium, VVincmeræ ferè in Corum oppoſitum, agroq; eius annexum. Sed Soxumerẞwoldæ ſpatio mille paſſ. interiecto in Africum ſubÿciebatur Reiderẞwolda, Soxumumq; & VVynhamum rectâ lineâ in Orientem eiectâ contingebat, omnes reliquos eiuſdem agri vicos magnitudine & ſplendore antecedens. De quâ ſilere non debeo, quod conſtans fama fert à maioribus poſteritati tradita, in argumentum ampliſſimæ, ac vix credibilis fortunæ, matronas 180. eo vno in vico habitaſſe, quæ ex ſolido auro ſextarÿ capaces phialas, cum reliquo ornatu more gentis in pectore ferrent, ſuoq; in mundo haberent. Vnde mirum videri haud poteſt, duo ibidem fana fuiſſe; è quibus alterum tantis opibus & dignitate præſtiterit, vt Canonicorum collegium, qui ſacris illic operarentur, haberet. Atq; huic vico nomen ex eo fuiſſe nõ ambigo, quod Reideriæ in ſolo eſſet, cùm complures alÿ eâ in viciniâ, quibus ſylua nomen dederat, Soxumerẞwolda, Harmenẞwolda, Midẞwolda, Oſtẞwolda, Finſerẞwolda, velut in ambitu poſiti, in Præfecturâ veteri cenſerentur. Non procul hinc in Circium cœnobium locuples Palmâre Tysẞweram è propinquo in Boream aſpiciens auorum noſtrorũ memoriâ, cùm pleraq; alia iamdudum periſſent, è fluctibus ſuperſtes, vt & Tysẞwera, & Suachium & quædã

Reiderwolda vicus excellens, ac raræ opulentiæ.

NOTA.

alia. Tum eo in sinu, qui Occasum sequens longo tractu in præfecturam veterem medius se insinuat, Cappeldeberda, Beerda in sinûs vmbilico, cœnobium inclytum Menterna, ex quo pereunte Grisomonachum natum, Goldhorna, Astochium, in sinu intimo. Midwolda ingens quondam & prædiues, ac nobilium plurimorum ædificijs supra, quàm credi posit, frequens, totiusq; adeò præfecturæ veteris caput: nunc solo penè fano insigni, & turribus quatuor latè spectabili in ipsâ extimâ terræ orâ sito incolumis: cætera fluctibus superata; reliquiæ in interiora iam secundùm translatæ: deniq; Merchusa propè ad sinus initium. Rursum in maiore sinu, & quâ is in Austrum se fundit, VVineldhamum cum arce vicinâ, Honninghamum, Garmeda, Donella, Torpera seu Torpsumum, Homningastum, Ostfinserwolda oræ prominenti proxima, Exterhusium Beerdæ vicinum: iterum versus Ortum æstiuum, non longè Garmedâ dißitum, cui in meridiem positum fuit, Blyhamum, inde Herckenburgum, & longiùs quoq; in Africum, Medumum, demùm Stocsterhusium, cuius nomen in angulo eo, qui post Finserios Orientem versùs in Dullartum longißimè extenditur, ac Bundam è regione aduerso in litore aspicit, etiam nunc residet: à quo lineam in Septentriones eductam terminum confusis hodie ditionibus dare, id est, Reideriæ ius à Præfecturâ veteri ac ditione Groningensium secernere multi arbitrantur: quàm verè, nescio. Sed alia longe ratio, ac termini alij quondam fuêre: quos ego è vetustis

trans-

transactionum tabulis erutos in lucem proferam. Omnem hanc regionem, quam Dullartus fluctibus infusis hausit, olim riui complures deducendis palustribus aquis seu naturæ vi, siue industriâ hominum instituti per currêre, quorum magna pars, ne humilibus agris aquæ incumberent, ac detrimentum inferrent, per depreßiora loca aggeribus vtrinq; præsepti fuere. Ex *his qui maximus fuit, è monasteriensibus aut Drentinis supra Apelam cœnobium ortus, emensusq; omnem agrum VVesterwoldicum, ac VVeddam, Vristoam, Bleihamum, Billingwoldam, præteruectus, per spatium id, in quod Dullartus iam se fundit, sinuoso meatu in Septentrionem per sena circiter passuum millia, Garmedam à dextrâ, VVynhamum à sinistrâ stringens ascendit. omnibusq; in se reliquis vtroq; à latere receptis, post VVynhamum obliquato in Corum cursu, iam tantus, vt amnis nomen tueri posset, ad Occidentem Reidæ Orientalis in Amasum se effudit, per septem canales ingentes communi omnium structos operâ & impendio. Hunc siue riuum siue amnem vsitato vocabulo* * Eam *indigenæ vocarunt. Seruatq; idem etiam nunc magnâ ex parte in ipso sinu alueum suum notum nauiculariјs, qui eum nauigando plerumq; sequuntur. Sed qui in maximum hunc influebant, cæteris maiores duo fuêre: alter ad Bundam initium capiens, Iardamq; Bundicam ac Vterbeerdam non procul litore Reidano, qualis iam facies loci est, allapsus, deinde diremptus agri partibus, quas* Blineas *hodiè nominant, conuertit*

* *In VVesterwoldiis hodiè Aha vocatur, quod nomẽ idẽ est cum Eâ.*

cursum in Occasum, & maximo riuo se miscuit: alter Occiduâ à parte in eundem se fudit duobus millibus passuum intra eum locum, Austrum versus, sinuosis lapsus ambagibus. Nam in palustribus primùm se colligens in extremis partibus præfecturæ veteris, & confinibus Eextæ, Scemedæ, Hilligerleæ se insinuans, vbi Sypa nomen talit, modicoq́ spatio confecto in palustria eius loci rursum incurrit Eurum sequens: deinde in Aquilonem flectens, iterumq́ in Ortum leniter conuersus post Midwoldios & Ostwoldios ad sinistram præteritos inter Beerdam & Finserwoldam fanum Nicolai petijt, quod in Ostfinservvoldijs erat: illinc in Corum rediens, ac in Septentrionem per anfractus se recipiens Torpsumum vicum, & Megahamum pertransiit, demumq́ Reidervvoldâ in Meridiem relictâ, versoq́ contra Solis ortum cursu, ac VVineldhamo quoq́ irrigato, ad arcem eius vici minus mille paßibus infra VVynhamum cum Eâ se cōiunxit. Tiamma huic nomen fuit, nescio an proprium illius, an alijs quoque, vt de Ea alibi dixi, Commune. Is Præfecturæ veteris & Reideriæ à prima memoria terminus fuit. Qui quamdiu valuit, non solùm quæ iam fluctibus periêre loca, Iansumum, Lada, Reida Orientalis, Beda, Garmeda, Homminghamum, VVineldhamum, Reidervvolda, Ostfinservvolda, Hommingastum, sed etiam quæ supersunt, Beerta, VVynscota, VVesterlea cum cœnobio Hilligerlêo, Bleihamum, Bellingvvolda, totusq́ ager VVestervvoldicus in Reideriâ fuêre. Sed Dullartus aquis locum aperiens limitator

tator

iater magis idoneus obscurato antiquo termino; ista mutauit. De cuius origine & caussis, breuiter etiam dicam. Causas ego tantæ cladis cunctis diligenter consideratis, præter diuini numinis iram tres potissimum reperio, aggerum agriq; situm, soli ipsius naturam, postremò factionum studia, corruptamq; immoderatâ licentiâ libertatem: quæ tempestatibus crebris promotæ longiùs nocuêre. Etenim à Reidâ vico, vt priùs ostendi, ora in Septentrionem primùm modicè, mox in Aquilonem iuxta Iansumum, postremò in Orientem se extendit, donec Emdam aduersam haberet: indè in Austrum rectâ descendit VVilgumo tenus, rursúmq; ex abrupto se vertens contra Ortum iuit, ac Pavvingano agro se iunxit. Itaq; cum litorum reliquorum positu atq; ordine in Iansumum primùm ex Occasu æstiuo, deinde in VVilgumi ac Nessæ vicinâ è Septentrionibus quotidianus æstus directè, illideret, factum fuit, vt maior etiam quàm cæteris in locis vtrobiq; sub ipsis aggeribus fluminis altitudo extiterit: deinde quoties tempestatibus exortis Amasus aquis intumuit (id quod attritis insulis, ostijsq; fluuij ad infundendum mare latioribus factis, & sæpiùs quàm solet, & maiore vi accidit.) si Corus flaret vehementius, omnis fluctuum rabies in Iansumanos aggeres incubuit, si boreas sæuiret, in VVilgumanos recto impetu incurrit, vt sanè in pace, atq; omnium ordinum concordiâ non facilè esset, aggeres ijs locis sartos tectos seruare, difficilius etiam disiectos reficere. At verò illo etiam sæculo præ nimiâ libertate luxuriare Dollarti sinus orige.

Ff 3 homi-

hominum animi, & factionibus intendere, vicini à vicinis dißidere, nobiles nobilibus, rustici rusticis inuidêre, antistites proximorum antistitum odio laborare, priuati potiùs quàm publici curam omnes habere, legum reuerentia proiecta iacere. Et vox prædiuitis ac potentis in populo audita memoratur, qua testatus est, malle se omnes agros suos ad lanceæ longitudinem fluctibus opertos cernere, quàm incommodum vicinorum, à quibus dißidebat, aggeres reparare. Ita fieri necesse fuit vt & à fluctibus attrita disiectaq; neglecta manerent, & vndis latior in terras influxus indies aperiretur. Illæ latius admissæ, ob soli naturam facilè tantam calamitatem peperêre. Nam vt toto illo ad Amasum tractu, sic eo quoq; loco ager secundum litus circiter 1000. paß. latitudine soli fuit densi ac tenacis, quodq; fluctibus commodè resistere posset, intus verò primùm summo sub cespite, deinde & in vniuersum ad superficiem vsq; palustris: eoq; ferè humilior, paucis editioribus locis, vnde ignis fomenta fodi solent, exceptis, quo à litore magis recedit. Huius verò soli ingenium tale est vti iam dixi, vt ad pedis percussum moueatur subsultetq; velut tremens, dein fluctibus facilè cedat, postremò incumbentem plano æquore aquarum molem ferre non poßit. Itaq; si quid tale acciderit, hic illic, vt fors aliquid soluerit, à fundo prorumpit ac innatat, fragminibus interdum paruis modicisve, interdum & maximis, totisq; adeo areis, aut campis. Cuius rei periti agricolæ Dullarii accolæ etiam nunc cum aquæ in agros inundant, equos immit-

immittunt in sata, quæ facilius id malum sentiunt, & cursum agitant, eoq; modo efficiunt, vt pulsu equinæ vngulæ velut soluta æqualiter superficies palustris soli binûm ferè aut ternûm pedum alti se attollat, atque innatet, sensimq; cum vndis rursum sidat. Sic integra sæpè prata magna ac plana nauis instar, cum pecoribus, villis, vicis, fanis fluctant, aut vndis suspenduntur. Prodigio simillima res, & admirationem citius quàm fidem apud exteros homines inuentura: nec nostris quoq; creditu facilis, nisi in magnis eluuionibus per experimenta suo sæpè cum malo eam veram esse discerent. Hæ Dullarto causa, hæc origo fuit. Nam fluctus magnâ vi infusi in palustres ac humiles campos, conuulso longè lateq; leui solo, alueum sibi aperuêre. Nec tamen is ab initio tantus repentè extitit, quantum hodie conspicimus. Sed cùm ad annum 1277. vt annotatum à maioribus est, Iansumanus primum agger, deinde VVilgumanus magnis tempestatibus euersus aquas immisisset terris, multa sanè hominum ac pecorum pernicies, magna ædificiorum strages, magnum agrorum incommodum est insecutum. Post, cùm sæpè tempestates proximis annis recurrerent, neglectiq; incuriâ, aut virium defectu iacerent aggeres, id quod magnum initio statim erat, progressu temporis, atq; assiduo aquarum influxu maximum factum, plura paulatim loca fluctibus superata, & vt quæq; humilia magis aut palustria, quanquã longius à mali fonte, id est, ab Amasi ripâ abessent, ita latius statim ac facilius absorpta:

quæ proxima Amaſo, lento pinguiq́ʒ in ſolo fuerunt, diutius reſtitêre. Ita iſtinc Reida Orientalis, Tysvvera, Svvachium, hinc VVilgumum, Vterpavvinga, Torumum ad auorum ferè memoriam peruenere: Et hoc quidem cæteris poſterius etiam perſtitit, quanquam ſine aggerum vallo, fluctuum iniuriæ expoſitum. Quippe quod ad annum 1507. duraſſe, & iudicio prouinciali locum dediſſe quædam monumenta declarent. Sed ortiuo in latere, quo tempore aut loco ad coercendos aquarum influxus aggeres à primâ illâ calamitate, ſtructi rurſum ſint, non facilè quis dixerit. At oppoſitâ in parte, pro vt aut res aut tempus tulit, ſed leui plerunqʒ operâ, contra vim fluminis ſæpè aliquid inſtitutum, & ſæpè rurſum diſiectum, poſtremò ad annum Chriſti 1454. Groningenſium præcipuè ſtudio, quorum tum imperio vetus præfectura parebat, opem verò cæteris quoqʒ ferentibus eo à loco, vbi Ianſumum fuerat, Tyſvveram primùm & Palmare, ac Svvachium, inde rectâ in meridiem in Finſerios non continuus modò ſed & ſuſtinendis fluctibus ſufficiens agger perductus: isq́ʒ cùm per annos 40. locum tenuiſſet, bello demum Saxonico poſtremo & omnium grauiſsimo ſtrepente negligentius, vt fit, habitus, & quotidiano magis æſtu quàm magnis tempeſtatibus attritus, in Occidentem longo tractu ſolo paluſtri & humili vndis aditum dedit, & velut alterum ſinum aperuit. Quod malum cùm latè ſe funderet, ijsq́ʒ etiam, qui in Fiuelingijs habitant, noceret, coniunctâ rurſum operâ ei obuiam itum, ſpacio fluctibus dato,

circiter

circiter annum 1519. Et cùm ne sic quidem satis perfectum esset, 20. ferè post annos maius quoq; spacium vndis permissum, atq; in hunc modum, quo nunc videtur, aggerum ratio composita. Nimis multa iamdudum de Dullarto. * *Reideriam superiorem in ortum sequuntur* † TRANSLAEDANI, *Amaso fluuio ab ea dirempti, & ad* LAEDAM *vsq; amnem, qui ab ortu in Amasum influit, pertinentes, vnde nomen habent. Horum aper Austrinâ in parte, qua Amaso propinquat, à Monasteriensibus, diuiditur Hampôla riuulô minuto, & æstiuis mensibus ferè exarescente, qui è palustribus obscuro principio ortus. nec 1000. paß. longitudinem habens ex aduerso Haltæ cœnobij in Amasum exit. Ad huius riuuli caput in ipso principio vliginosarum atq; inuiarum paludum, quæ inde per sena passuum Millia in Orientem latè patent, VVestphalosq; à Frisiis separant, & in ipsis terminis Monasteriensium est Papenburgum, turris lateritia ad tuendos Frisiæ fines eâ parte quondam ædificata: inter quam & Amasum medio ferè interuallo via militaris est, vnica ex diœcesi Monast. illo in latere Amasi in Frisiam ducens. Atq; hinc angusta quidem, sed multò pulcherrima & fœcundißima agri Transledani pars incipit secundum Amasi oram ex aduerso Reideriæ extensa, cui ex aggeribus quibus contra flumen munitur, Dycrimæ nomen datum. In eâ vicorum primus & maximus occurrit Aschendorpio venientibus Volla, in longum porrectus, 500. passuum spacio à finibus distans, in quo munitiones in*

* *Sed post hoc tēporis, quo hæc scripta sunt, multa rursum Dullarto adempta, nouus quo agger ad arctandum eum ductus: & quadam rerum vicißitudine agri optimi iterum istic existimo, incrementūq; capiunt indies, vbi dudum fluctus profundi fuerant.*

† *Transledani.*

Monasterienses olim excitata, vnde & nomen inditum, ruinosæ reliquiæ etiam nunc supersunt. Post *Vollam, Midlinga, Marca, Hilkoburgium,* Coldo-*monachum in ripâ Gastum maius à flumine modicè recedens, ac rursum in orâ* Dorneburgum, *VVeyeoburgum, Driuera, Muda cœnobium Ioannitarum semirutum in Amasi & Ladæ confluento, Esclumum,* Heringburgum, Nettelburgum *ad Ladam longo ordine per septena passuum millia sequuntur. Sed in his Vollenses,* Midlingani, *Gastini, Driuerani, Esclumani templa tantùm habent, quibus etiam reliqui vtuntur.* Tractum *verò eum à Vollensibus vsq; Ladam amnem à dextris riuus claudit nusquam longius Mille pass. ab Amaso deflectens, quem VValslotam accolæ dicunt.* In *reliquo agro interius sunt Stebenuelda, VVolda cum singulis fanis in solo sterili & nemoroso,* Idæra *&* Iderhaua *in quorum posteriore fanum est vtriq; commune. Et hactenus Transladani ad præfecturam* Orthanam *pertinent. Quæ deinceps dicentur. Stichti sani iuris sunt. Post* Iderhauam Folmenhusa *fano carens,* Breinermôra, Bacomôra, *eiq; cohærens Scatteburgum, tum in meridiem declinans* Collinghorstum, Holta, Rouda, *& rursum in Orientem* Potshusa *palustri in regione sunt procul à Ladâ amne. Ad Ladam verò VVilfhusa viculus in confluente, & ei è regione respondens villa* Bonnonis, *deinde* Amdorpium, *VVolda,* Meeburgum, *postremò longissimè ad ortum* Berga, Detera *aduersa: in quibus tamen,* Amdorpium *&* Neoburgum *si demas, fanum*

num nullum est. Cætera in Austrum longè latèq; ericetis ac paludibus obsessa tenentur, & cespitibus fodiendis, quibus ignis alitur, materiam inexhaustam præbent. Hominum verò sedes illic, Langholto cœnobio excepto, quod quondam recessus causâ in desertis locis extructum etiam nunc integrum manet, nulla. Nec procul hinc Frisico agro confinis Esterwega, in solo quidem Monasteriensi, sed iuri tamen eius diœceseos exempta. Alius verò ager Transladanis in meridiem quoq; connexus est, quorum pars olim fuit, quem Sageltanum vocant, in septem vicos distinctus, palustris vniuersus. Incolæ eius Frisici generis quondam cùm seditionibus omnia per Frisiam miscerentur, quo paci suæ consulerent, in tutelam Episcopi Monasteriensis, in cuius diœcesim ager omnis procurrit, se sponte contulêre, saluis legibus patriis, & cætero omni iure libertatis, quo etiam nunc in tantâ vicinorum seruitute fruuntur, gaudentq;. Hos amnis nauigabilis interluit Amasi quoq; nomine per imperitiam vulgò affictus, qui Transladanum agrum ingressus vbi Pothusam præterfluit, ponte iungitur, atq; inde in Zephyrum, mox paulatim in Septentrionem conuersus, relicto ad dextram Amdorpio, ad VVilbusam Ladæ se miscet, haud parua commoda Sageltanis ac Transladanorum nonnullis præstans. Nam ij eruendis è terrâ bituminosis globis in ignis fomentum, quos cespites vocant, maximè occupati, quas solas propè diuitias habent, quicquid quotannis effodiunt, id per flumen hoc ad Leranos, Iemgumanos, Oldersheimios, ac cæ-

teros

teros Amasi accolas, sed maximè omnium ad vrbem Emdam deuehunt, magnoq; precio venundant. Quâ deuectandi commoditate si destituerentur, omnes illi reditus è materiâ, quæ domi vilißima est, ijs simul perirent, & oppidanis quoq; foci cariùs sane instruerentur. Leda Fl. *LAEDA in Monasteriensibus ortus, vbi Cloppenburgum & Oitam, Frisici quondam iuris, vnde cognomen reliquum, attigit, tandem ad Barselam, pagum illius diœceseos vltimum, in angulo extremo positum, in quem trium regionum Monasteriensis, Oldenburgicæ, Frisiæ limites coeunt, modicus defertur. Inde Frisicum iam agrum secans multiplici ambage, & supra Deteram alio quoque amne nauigabili, qui ex Oldenburgensibus deuoluitur, auctior factus, in Corum ventum per 4. paß. 1000. fluit ad arcem vsq; Stichusam: à qua deinde in Occasum æquinoctialem pari ferè spatio progrediens, & rursum supra Loganos in hybernum Occasum cursum dirigens per passus 1500. iterumq; præcipiti flexu in Septentrionem se sinuans ac in Meridiem confestim reuertens, vbi Lera est, haud multò post iuxta Mudam cœnobium patulus & profundus Amaso se infundit.* Mormerij. *Vltra hunc amnem in boreo latere Mormeria est, à palustri solo, quod Moram nostrates vocitant, nomen ferens, longitudine, vbi maxima est, Millium paß. 8. latitudine supra dimidium eius maiore, Transledanis in Meridie, Reiderijs, à quibus Amaso flumine dirimitur, partim, partim Amasanis in Occasu, Auricanis ad Boream, Lenganis aut Oldenburgensibus in Ortu con-*

contermina. Primus in eâ viculus ad Ortum est Holtgastum cum saltu vicino, breuissimo interuallo Boculâ distans, qui postremus Oldenburgici agri pagus est Apâ venientibus & Frisiam ingressuris, Apâq; abest non longius 1200. passibus. Holtgastum Detera sequitur in ripâ Ledæ, vicus non vilis, & victoria Foccuconis, conciso illic hostium exercitu, ac Nicolao Bremensi Archiepiscopo capto, clarius nomen adeptus: ad quem ex Oldenburgicis veniens amnis, de quo dixi, qui Apam, VVesterstedam, & complura eius Comitatus loca alluit, ac commercijs vtriusq; gentis seruit, Ledam aquis suis auget & paruo ante confluentem spacio ponte sublicio iungitur. Is pons Barselam & in reliquam diœcesim Monast. mittit. Trans amnem hunc Deteræ ad Meridiem adiacet viculus Scarla Bergæ Transledanæ aduersa, à qua Ledæ fluento seiungitur: cis amnem ad Occasum Velda est intra passus 500. paulum à Ledâ remota, & æquali rursum interuallo post Veldam in ipsâ Ledæ sinuosè meantis ripâ, arx STICHVSA, domicilium comitum, & Mormeriæ propugnaculum benè munitum contra Oldenburgicos, incertum ab Hamburgensibus ac socijs olim, an à nobilitate Frisicâ primùm extructâ, in qua præfectus præsidet, qui magnæ parti Mormeriæ ac Transledanæ cunctisq;, vt nunc res sunt, Lenganis ius dicit. Cætera huius agri, intra 4. Mille pass. quæ sequuntur, à flumine cuncta recedunt. In aquilonem Stichusæ sunt Ammersum cum syluulâ vicus exiguus, & Holla: in circium Filsumum, cuius parochia inter

vicinas

vicinas maxima, inter Corum & Zephyrum regione mediâ Nortmora in longum non minus 1000. pass. patens, terminus Stichusanæ præfecturæ in Occasum. In Septentrionem recedunt supra Nortmoram Brinca cum saltu vicino, Holtlandia. & vlterius Hesela, & ab hac in Orientem 1000. paß. abiens cœnobium sacrarum virginum Barta, duæq; eius villæ in plaudibus sita Hasselta in Euroaustrum, Oldehaua in Aquilonem à cœnobio circiter 1400. paß. vtrinq; remotæ. Ex his rectâ in Ortum per paludes & ericeta Lengani adeuntur, de quibus posteà dicendi locus erit. Iam reliqua Mormeriæ exequemur. In boream magis assurgunt Stikelcampus viculus in nemore, Bachanda, Stracholtum, pagi duo haud vulgares, & insignibus fanis præditi. Sed hi Auricanis, à quibus palude humili, nec vsquam nisi vno tramite humanâ operâ communito perui a dirimuntur, iamdudum asscripti fuêre, quemadmodum & alia nonnulla, vt Timmela, Thedingano cœnobio obnoxia, Hatshusa, Ainkwolda ab Oldershemÿs quondam possessæ, Sylua Simonis etiam nunc in eorum possesione manens, Bocseda in desertâ planicie inter Ainkwoldios, & Stikelcampios sita. Omnia hæc in Mormeriâ dictâ infelici in solo ferè sunt. Sed post Nortmoram in Occidentem solem deinceps eadē in Mormeria Logoberumū excipit primus in præfecturâ Orthana vicus circiter 1000. paß. interuallo: inde in africum pari spacio Loga magna magis quàm pulchra aut locuples, Ledæ austrino fine propinquans, vbi maximè fluminis alueus amœnus

inter

inter villas defluit: Et post eum editus ac sationi percommodus campus nusquã 1300 pass. angustior: quem vbi transieris, LERA occurrit, Ladæ post flexum, de quo dixi, in Meridiem descendenti, longo spacio assidens, atq; illinc in Corum longiore quoq; spacio procurrens, vbi fanum extremo in fine ei cohæret: Et iuxta fanum tumulus in orbem fastigatus, altior quàm pro regionis more, quem Plytonis collem incolæ vocant, dubium impiane superstitionis gratiâ olim in ritu gentili, an aliam ob causam humanâ manu excitatus. Forum sanè hoc insigne, nec magnitudine solùm, sed & splendore & populi frequentiâ, & situs commoditate, deniq; negociationum multitudine iam cætera, quæ diximus, aut dicemus fora, tum oppida quoq; omnia, quæ inter Dullarlum & Album in solo Frisico sunt, post Emdam & Nordam procul antecedens. Sedes quondam Foccuconis, cuius ibi firmis operibus munita, vt illa ferebant tempora, ara fuit, de qua in historia nobis dicendum. Sed non tanta tum Lera, quantam hodie videmus, haud amplius, quàm modici vici modũ implens: maior etiam nunc futura, si occasione vti, & diuini numinis affulgentem benignitatem amplecti nosset. Inter cætera verò, quæ fœlicitatem eius securis incolis maturant, mollissimus Lada allapsus est, qui obiectu peninsularum oportuno percommodam illic nauibus stationem ac portum præstat. Quæ res mercatum apud Leranos celebrem efficit, & nundinationes annuas à magnâ hominum multitudine frequentatas. Nunc procul hinc in confluente

Amasi

Amasi & Ledæ ORTHA *arx celeberrima ab angulo terræ peranguſto, in quo poſita eſt, ſic nominata, quam per humiles campos ſecundum Amaſi ripam breuiſsimo interuallo collis Plytonis deſpicit, ſitu admirabili. Namq; in ipſo Amaſi flexu ſic in eum Leda ſinuoſo meatu veniens influit, vt peninſulam in extremo angulo efficiat non maiorem quàm quantum ad arcis aream cum propugnaculis ſatis ſit. Hanc commoditatem loci ſpeculati quondam Hamburgenſes, cùm bellum in Friſiâ, coniunctis cum Edſardo & Vlricho fratribus Grethanis contra Focconem armis, gererent, arci extruendæ eum ceperunt, ac caſtello pro tempore excitato præſidium impoſuerunt complures ad vſus. Poſtea verò operibus maximis firmata à Comitibus arcium in Friſiâ facta eſt haud dubiè munitiſsima, ad quam Henricus Senior Brunſuicenſium dux olim tormento percuſſus occubuit, cùm patris mei auunculus mihi ὁμώνυμος iuridicundo in eâ præeſſet. Ita porrò poſita eſt, vt ipſa in Meridiem vergens, cum Lerâ in aquilonem, & Bingumo in circum trigonum conſtituat, cuius latera ſingula circiter 1200. paſs. contineantur, deinde Mudam cœnobium ad dextram, ſi Meridiem ſpectes. Eſclumum ad ſiniſtram in vlteriore Ledæ ripâ vtrumq; habeat. In Septentrionem deinde poſt Laram ſequuntur introrſum à flumine Haisfelda breui interuallo per eundem apertum ac editum campum, quem à Loganis inchoari dixi, Bollinghuſa, vici minores, & ſine ædibus ſacris, Vttermora cum ſacra æde in Occaſum declinans, Thedinga cœnobium*

Virgi-

Virginum Benedicti inſtituta ſequentium egregium & opulentum in agro, quod mireris, circumquaq; humili & paluſtri ſitum, ad paß. 1300. ab Amaſo recedens, Iemgumum ad occaſum, Leram in meridiem aſpiciens pari ferè interuallo: cuius tantæ res olim fuêre, vt ſub Abbate quodam Theda, qui nomen dediſſe loco videtur, non pauciores quàm 140. initiatas Virgines, totidemq; monachos operarios, quos laicos vocant, habuiſſe in eius monumentis annotatum reperiatur. A cœnobio deinde in eandem plagam Venhuſa, Edermora longo & continuo ordine porrecta cum fanis ſiniſtro in latere procul ab ipſis vicis. Poſtremò Rarchumora Edermoræ velut acceßio, & Cyvva arci quàm villæ ſimilior, quæ Oldershemicæ ditionis eſt: reliqua omnia ad iuriſdictionem præfecti Orthani pertinent. Rurſum ab arce Orthanâ in orâ Amaſi continua felicis ſoli paſcua iacent, aggeribus à flumine defenſa, non occupata vicis, ſed villis hic illic poſitis, inter quas Thedingana excellit paulum infra Iemgumum: à qua in occaſum vbi nunc Amaſus fluit, vicus Oſtervvinſumum quondam fuit, cum Amaſus & minore alueo & occidentalior eo loco deferretur: iam nulla eius veſtigia ſuperſunt. Deinde poſt 4. mil. paß. Borgi tres non magno interuallo ordine ſuccedunt, ſine æde, viciniæ ruſticæ, quorum primus, qui & maximus, Præfecturam Orthanam finit. Reliqui duo cum Rarchinno proximè ſequenti in eadem orâ, & Gaſto, quod Olderhemicum vocant, introrſum ad ſeptentrionem vergente, vtroq; ſacra æde ornato, Oldershemijs parent,

rent, & Mormeriam terminant. Sequitur in occasu AMASANA secundum Amasi reliquum litus porrecta per dena ferè passuum mill. sursumq; secundum æstuarium eius ingenti spacio se erigens in Boream: cuius felicitas reliquarum omnium, quæ in Orientali Frisiâ sunt, fortunam multum antecedit. Hic OLDERSHEMVM primum se offert situ ad Amasum peroportuno, cum portu ac arce insigni familiæ nobilis, in cuius potestate hactenus à plurimis annis fuit. Id vicini quidem iura non excedit, sed si cultum, magnitudinem, frequentiamq; spectes, multas aliarum regionum ciuitates, quæ iura sua egregia iactitant, superare dicas. Distat Lerâ senis pass. millibus, Iemgumo paulò minus 4. Mox post Gandershemum Oldershemicæ ditionis, & coloniæ monasticæ, in villas dudum redacta, quam Petcumanam dicunt: eadem in ora Petcumũ est egregiũ fano & arce vetustâ, quæ cum pago extructis prioribus Dominis translata est ad Dornumanos, vt suo dicatur loco, situm ita, vt trans Amas. Ditsumum & Pavvingã in Reideriâ ex obliquo respiciat. Tum VViddelsuera cum sacello, Iarsumum, Borsumum maius, Borsumum minus, singula cum singulis delubris, illa in obsequio Grimershemiorum, hæc tria iuris Oldershemici sunt. Atq; hos omnes vicos post Oldershemum Amasus meridiano in latere præterfluens, iam latitudine ingens, recto ferè cursu occasum petit. Post Borsumum verò quanquàm Dullarto iam aquas confundat, tamen si alueum respicias, præcipiti se vertens flexu vbi, promontorium excurrit, quod Borsionanum angulum vocant, & litus dextrum sum-

Amasani.

Huius familiæ vltimus masculini sexus Acro paucos ante annos obijt, & familiæ finem dedit.

summouens, recta in Boream fertur, obiectu insulæ in occasu, ac mille paßibus confectis Embdam occurrentem habet: Cuius mœnibus reiectus in Zephyrum repellitur pari ferè spatio, rursumq; in meridiem conuersus; paulò post superato Logano promontorio obliquo cursu occidentem denuò petit, tandemq; litoribus se liberans per vastum illud & longè lateq; patens æstuarium, quod inter insulas & continentem est, alueo suo peramplo seruato inter Brocumnum & Rottumnum insulas ingenti ore in Oceanum euoluitur. Abest Emdâ hoc os Amasi, si aluei decursum sequaris, paß. millibus non minus 20. Igitur Borsumio Emdam iter est secundum litus passuum 1000. in boream. EMDA *metropolis est totius prouinciæ, quam describimus, inter Amasum & Visurgim, non situ minus, quàm opibus & pulchritudine, & populi frequentiâ præclara. Situs sic habet. A reliquo latere omni ager iacet pascuus fœlicißimus & pulcherrimus: ad austrum tota longitudine Amasus alluit ac mœnia fluctibus verberat, Amasoq; coniunctus Dullartus sinus ille ingens latißimum per aquas ciuitati prospectum præbet. Hunc verò sinum Amasumq; inter, insula, quam dixi, Nessa nomine, interiecta ex aduerso vrbis, velut limes vtriusq;, tria circiter paß. millia in ambitu habens, forma ferè quadratæ: Cuius oppositu cōmodißimus ad vrbem portus & statio nauiū efficitur, vix vt parē in Germaniâ liceat inuenire, maximo ciuiū negotiātiū bono. Quæ fortuna ne quando ciuitatē deserat immensis sanè sumptib. & labore opus nunc struitur, depactis*

 influ-

in flumen ac longâ seriè contextis ingentibus trabibus & solerti ingenio validè deuinctis ad coercendos, dirigendosq; Amasi fluctus, ne pristino alueo deserto post insulæ tergum se incitent, vadumq; tandem inter vrbem & insulam relinquant: quo nihil accidere ciuitati magis pernitiosum posset. Hæc moles ab insulæ angulo, quo inter meridiem & orientem excurrit, initium capit, & solum id, in quo Torumum quondam stetit, à litore Reideriæ procurrens rectâ lineâ petit, mille ducentorum passuum spacio, Amasum eâ parte à Dullarto seclusura. Insulæ verò promontorium septẽtrionale, quod vrbem respicit, & continenti maximè propinquũ est, 400. paß. interuallo non maiore à mœnibus distat. Nec est cis Oldershemum alibi flumen inter ripas angustius. Vrbs hæc sæculo nostro commune quasi asylum fuit eorum, qui ob pietatem & religionem domo cedentes exularunt, Belgarum præcipuè & Britannorum. Quæ res maximo illi & emolumento, & laudi apud bonos fuit, diuinamq; imprimis benedictionem conciliauit: quod ex tantò, tamq; repentino fortunarum eius incremẽto, ac periculorum sæpè circumstantium depulsione, felici coniectare licet. Ambitus eius mediocris. Groningano paulò minor, formâ quadrilaterâ, multò longiore, angustißimâ, quà occidentem intuetur, latißimâ, quà orientem. Verum haud facilè aliam vrbem repereris, in qua pari spatio tanta hominum multitudo sedes habeat. Vallo ingenti, foßâq; maiore parte, duplice ac latâ clauditur, quà terram spectat. A Meridie, quà Amasus alluit, muro

præ-

præcingitur. At omnes munitiones reliquas ſuperat: quod apertis canalibus, quos plures intra mœnia habet, æſtum maris agro circumpoſito immittere, hoſtileſq; exercitus aut in aggeres anguſtos compellere, aut procul in vicos ſubmouere ſine labore poßit. Accedit & alius vſus longè maximus ab iiſdem his canalibus. Nam corriualis huc, deductiſq; ex omni viciná regione aquis, alueos tam profundos in Amaſum per vrbem emittunt, vt maximas naues, quas olcandas vocant, onere leuatas, mediocres etiam cum onere intra mœnia recipere queant. Horum alueorum, præcipuum qui frequentiſsimam & pulcherrimam vrbis partem interluit, ponteq; ſublicio iuxta curiam iungitur, Delfam patrio vocabulo appellant. Hinc verò tantæ illæ opes breui tempore, quas Oceanus vectat, ex diuerſis orbis partibus in hanc ciuitatem congeſtæ, illa rerum omnium copia, ille in ueſte, in ſupellectile nitor, illæ ædium ſubſtructiones magnificæ, quas aduenas nouitate rei ſtupentes oculis & animis in ſe vertere ſæpe videas. Verum totâ vrbe nihil admirabilius aut magnificentius eſt, nouâ curiâ, immenſis ſumptibus pulchroq; opere cum turriculâ elegante & ſublimi in faſtigij medio, quæ longè lateq; ſpectabilem ſe præbet, paucos ante annos ſtructâ, è regione pontis ſublicij. In occidente autem oppido cohæret, iiſdemq; mœnibus cingitur arx antiqua Amaſo imminens, muroq; & latâ foßâ à reliquo oppido ſeiuncta, nunc etiam nouis ædificijs cum turriculá aucta: domicilium vetus Comitū, quiq; ante Comites oppidum tenuerunt. Ei præfectus à Comite

Multa in his iam mutata.

Comite datus præsidet, cui imperium non in ciues est, sed in agricolas tantùm, qui eâ præfecturâ continentur: nisi forte idem & præfectus & Consul sit, quod persæpè accidit. Ciuitati verò Consules & Senatores præsunt arbitrio Comitum lecti, quorum in potestate tum ipsi sunt, tum totam ciuitas. Porrò arci templum accubat in eodem Amasi margine, quo solo olim oppidani in sacris vsi fuerunt. Quippe perangusta eo tempore oppiduli mœnia nil amplius quàm quantum arci ac Delfa riuo interiacet Amasoq;, & fori noui latere austrino clauditur, continebant. Postea foro nouo cum ijs, quæ ad vallum vsq; sunt in Boreâ parte, cœnobio verò Franciscano, & quicquid ex vtroq; eius latere est, in oriente paulatim adiectis ambitus ampliatus, oppidumq; conduplicatum: postremò nostra quoq; memoriâ vtraq; Valdera, qui duo olim pagi suburbani in nobilium potestate fuerunt, eodem ortiuo in latere addita valloq; cincta, vici directi, totaq; ingens area in mortem vrbis pulcherrimis domibus occupata: inquilini tamen eius partis in ciuitatem non asscripti, sed nescio quo genio aduerso, certè nequaquã bono publico sub præfecti iurisdictione pari ferè cũ cæteris, qui rus habitant, lege mansere. Sed flux hæc, quæ dixi, fortunæq; casib. obnoxia, & quæ specie magis externa quã re præclarâ videri poßint. Id verò vnicũ & perpetuũ, cunctaq; reliqua exuperans ciuitatis decus est, quod post tenebras põtific. illucescẽte rursum Euangelij veritate purũ Dei cultũ statim ab initio amplexa perauidè, quanquam sæpè pericula eam propterea prahenderint, tamen in eadem illâ puritate, eodemq;

studio

studio constantibus animis hucusq; perstiterit, atq; etiamnum perstet: quodque eâ liberalitate in egenos sit, vt peregrini in vrbem aduenientes si quando memorari eam audiunt, non historiam veram, sed fabulam se audire arbitrentur, vixq; in rem præsentem adducti fidem ei adhibere poßint. * *Distat Embda Oldershemo 4. Lerâ 10. Millibus pass. Hinc in Occidentem porrò ad 1200. passus sed paulum sinuatâ formâ litus procedit, Larletum vsq;, castellum quondam mœnibus cinctum: nunc vicus est amplus & egregius cum insigni fano, & portu quem riuus per canalem effluens efficit in orâ Amasi, sed olim etiam, quàm iam est meliore. Inde in meridiem littus descendit paßibus ferè 900. conuersumq; denuo in† Zephyrum promontoriū efficit, quod à vicino vico Loganum dicitur. Atq; isto quidem litorum ambitu à promontorio Borsumano ad hoc Loganum ex aduerso positum sinus quidā efformatur figuræ fermè qurdrilateræ, magis longa quàm lata, cuius in medio insula Nessana, quam dixi, locata est, tali situ, vt linea ducta secundum latus eius austrinum ad promontorium vtrumq; pertineat, sinumq; claudat: insulæ verò promontoria promontorijs continentis opposita pari fere ab his vtrinq; distent interuallo pass. circiter 600. Nec alio loco per tot tamq; difficiles anfractus enititur Amasus ille omnium rerum, quas longinquæ, & diuersißimis sitæ plagis gentes mittunt, mercator auidißimus. Vnde mirum nō est olim fluctuum impetu, qui recto cursu in littora impingebant, eo loci potißimum aggeribus ruptis tot terras, quas ipsa humilitas*

* *Et sic quidē hæc omnia, cū primum hæc scriberem ante annos plus minus 25. Ab eo verò tempore mutata multa. Nam comitis arx munitionibus omnibus contra vrbem nudata, fossa complanata, Valderana regio iurisdictioni & potestati senatus pari lege cum vrbe reliqua subiecta, vallum intermediū prorsus dirutum, & solo aquarum: Comitis potestas arctata ciuitatis libertas aucta, aut in integrum restituta:*

 etiam

etiam eluuionibus obnoxias faciebat, periisse & nunc quoq; declinato in obliquum meatu, flumen rectiorem sibi alueum quærere. A Logano angulo, cui Reidanus Groningano in agro ex obliquo obiicitur interuallo pass. 2. mille, Loga statim sequitur, cuius maior pars fluctibus iam hausta, *templumq; eius extra aggerem positum. Tum præter VViuelshemum paulum interiùs, itemq; Gedesvveram, (à quâ non procul in meridiem, vbi iam Amasus funditur, Folkersvvera quondam fuit, auorum memoriâ adhuc superstes) litus sinuoso progressu in hybernum occasum per duo pass. 1000. præteritâ quoq; villâ rubeâ ad angulum Cnoccanum peruenit. Iuxta hunc cataracta est cum paucis ædibus portum faciens, ex quo breuissimus omninò & commendissimus est in Groninganos traiectus ad Oterdumum opposito in littore situm. Hinc in circium litus reuertens breui spatio Bettevveram excipit sine aggerum obiectu fluctibus expositam, Amasusq; iam planè liber, angustiis littorum sugeratis; per latitudinem æstuarii aquas diffundere atq; euagari lõgè lateq; incipit. Tum porrò relictis inter vada ad læuam Drewerti pagi vestigiis in Septentrionem longo tractu non minore pass. Mill. 6. ora porrigitur, quoad Pilsumum ex adverso in ortum habeat, indeq; in aquilonem

ius illud cõstituendi cõsules & senatores proximis temporibus vsurpatum Comite, subà latum, & ciuium delectis 40. certis legib. permissum: senatui potestas ordinandi ciuitatem, & quæ istuc pertinent, tributa: denique suburbia quaquauersum imperio senatus addita: postremò mœnia ipsa toto latere boreo formâ propè semicirculi propugnaculis ingentibus quinq; præcincti hoc anno ampliata, & vrbs multò maior eâ parte facta: in oriente quoque hyberno ad aggerem atque Amasum nouis munitionibus tutior contra hostes reddita.

† Hic à Comite validissimi operis castellũ militare anno 1602. structum ad premendos Emdanos: sed anno proximo rursus euersum.

* Templum hoc ad interiora paulò post translatum.

quilonem paulatim, & mox in ortum ſolſtitialem ſinuoſo flexu ſe recipiat per paſſus circiter 1500. ad locum vſq; quem à prominente angulo Topperhornam vicini dicunt, haud procul Gretha pago. Cuius ſpacij poſt Bettewera medio ager nouellus iacet 1500. paſſ. longus, vix 400. qua ampliſſimus eſt, latus ante annos non multos aggeribus ſeptus: extraq; aggeres illos etiam nunc ingenti ſpacio in vadum contra occidentem ſolum procurrit: Et quod mireris, ne iam quidem deſinunt fluctus limum illic inuehere, quamuis vtrinq; citra vltraq; hunc locū tam infeſti agris ſint, vt vix magnis aggerum molibus ac impendijs ſubmoueri poſſint. Cuius ego non aliam reperio, quam quod inter duos ingentes alueos locus ille in vado medius intercedat: vnde vndarum quies. Ab angulo autem Topperano contra ortum Brumalem agger porrectus ſtatim portu Grethano interrumpitur, moxq; in eandem plagam per tria paſſ. 1000. continuo progreditur, donec VVirdumum vicinum habeat. Inde ſe conuertens, vt nunc quidem fortuna loci habet, arcuato flexu in ſeptentrionem ſe refert paſſibus 1200. agrumq; alium nouum à fluctuum iniuriâ vindicatum præcingit 800. paſſus, quâ maximè diſtenditur, latitudine complectentem. Olim verò ab angulo VVirdumano introrſum magis agger procedens, deinde ſe ſinuans, & in occidentem longiſſime recurrens ſinum profundum, ac procul intra terras penetrantem efformabat, quem hodie claudit agger is recentior, de quo dixi. Qui vbi cum vetere denuò iungitur, collem vicinum

etiam eluuionibus obnoxias faciebat, periisse & nunc quoq; declinato in obliquum meatu, flumen rectiorem sibi alueum quærere. A Logano angulo, cui Reidanus Groningano in agro ex obliquo obiicitur interuallo pass. 2. mille, Loga statim sequitur, cuius maior pars fluctibus iam hausta, *templumq; eius extra aggerem positum. Tum præter VViuelshemum paulum interiùs, itemq; Gedesvveram, (à quâ non procul in meridiem, vbi iam Amasus funditur, Folkersvvera quondam fuit, auorum memoriâ adhuc superstes) litus sinuoso progressu in hybernum occasum per duo pass. 1000. præteritâ quoq; villâ rubeâ ad angulum Cnoccanum peruenit. Iuxta hunc cataracta est cum paucis ædibus portum faciens, ex quo breuissimus omninò & commendissimus est in Groninganos traiectus ad Oterdumum opposito in littore situm. Hinc in circium litus reuertens breui spatio Bettevveram excipit sine aggerum obiectu fluctibus expositam, Amasusq; iam planè liber, angustiis littorum sugeratus; per latitudinem æstuarii aquas diffundere atq; euagari lõgè lateq; incipit. Tum porrò relictus inter vada ad læuam Dreðwerti pagi vestigiis in Septentrionem longo tractu non minore pass. Mill. 6. ora porrigitur, quoad Pilsumum ex adverso in ortum habeat, indeq; in aquilonem

ius illud cõstituendi cõsules & senatores proximis temporibus vsurpatum Comite, sublatum, & ciuium delectis 40. certis legib. permissum: senatui potestas ordinandi ciuitatem, & quæ istuc pertinent, tributa: denique suburbia quaquauersum imperio senatus addita: postremò mœnia ipsa toto latere boreo formâ propè semicirculi propugnaculis ingentibus quinq; præcincti hoc anno ampliata, & vrbs multò maior eâ parte facta: in oriente quoque hyberno ad aggerem atque Amasum nouis munitionibus tutior contra hostes reddita.

† Hic à Comite validissimi operis castellũ militare anno 1602. structum ad premendos Emdanos: sed anno proximo rursus euersum.

* Templum hoc ad interiora paulò post translatum.

quilonem paulatim, & mox in ortum solstitialem sinuoso flexu se recipiat per passus circiter 1500. ad locum vsq; quem à prominente angulo Topperhornam vicini dicunt, haud procul Gretha pago. Cuius spacij post Betteweram medio ager nouellus iacet 1500. pass. longus, vix 400. qua amplissimus est, latus ante annos non multos aggeribus septus: extraq; aggeres illos etiam nunc ingenti spacio in vadum contra occidentem solum procurrit: Et quod mireris, ne iam quidem desinunt fluctus limum illic inuehere, quamuis vtrinq; citra vltraq; hunc locū tam infesti agris sint, vt vix magnis aggerum molibus ac impendijs submoueri possint. Cuius ego non aliam reperio, quam quod inter duos ingentes alueos locus ille in vado medius intercedat: vnde vndarum quies. Ab angulo autem Topperano contra ortum Brumalem agger porrectus statim portu Grethano interrumpitur, moxq; in eandem plagam per tria pass. 1000. continuo progreditur, donec VVirdumum vicinum habeat. Inde se conuertens, vt nunc quidem fortuna loci habet, arcuato flexu in septentrionem se refert passibus 1200. agrumq; alium nouum à fluctuum iniuriâ vindicatum praecingit 800. passus, quâ maximè distenditur, latitudine complectentem. Olim verò ab angulo VVirdumano introrsum magis agger procedens, deinde se sinuans, & in occidentem longissime recurrens sinum profundum, ac procul intra terras penetrantem efformabat, quem hodie claudit agger is recentior, de quo dixi. Qui vbi cum vetere denuò iungitur, collem vicinum

prospicit circularis in ambitu figuræ æqualiter fastigiatum, altitudinis modicæ, sedem procul dubio arcis vetustæ, quod & solum rudere plenum, & fossa ambiens arguunt. Hic collis in orâ Amasanæ limes est: à quo in Vulturnum eiecta linea ad 1500. pass. indeq; in meridiem oblique reflexa maximo spacio, quoad Oldershemum attingat, Broecmeriam & postremò Auricanum agrum ab eá disterminat. Atq; hac Amasanæ area fere quadratâ vici cum fanis numero 44. quorum plerique tales, vt oppida aliarum gentium æquare possint, ac præter hoc alij minores, & sine fanis ad 5. arces frequentes cœnobia cum Emdano 7. villæ splendidæ & insignes plurimæ, agri omnes cultissimi & vberrimi ad sationes pariter & pascua comprehenduntur. Et vicis præter eos, quos iam dixi & cœnobijs sunt Tuixlumum breuissimo spacio in occasum solstitialem à Larletanis distans, Blauhusium cœnobium, Vestalium omnium in Frisiâ cis Amasum recentissimum, in eandem ferè plagam sed interuallo triplo maiore, loco humili & aquis stagnante: super id 500. pass. in septent. VVoltseta vicus tenuis, à quo in aquilonem passibus 800. Canumium vltimum eâ parte in præfecturâ Emdanâ: tum in meridiem aut ortum brumalem redeundo Emdam versus Erepsumiũ, Midlumum, ad stagna piscosa, quæ duo illic sunt, vtrumque, & hoc arce quoq; familiæ nobilis ornatum, VVesterhusa, Sylmonachum cœnobium Bernardinorum in Amasanâ epulentissimum & pulcherrimum, ac Vmbilicum eius obtinens: Id riuo alluitur boreâ

in parte, qui à Grethanis ad Emdanos pertinens vniuersum agrum Amasanum duas in partes propè æquales diuidit, & quæ dicta hactenus post Emdam sunt, occidentem relinquit. Vltra riuum porrò sunt maximè borealia in Emdam præfectura, Sircvverumium, Canhusium, Abbingvvera cœnobium Ioannitarum nunc in villas conuersum, idq; in ortum plurimum excurrens, tum rursum in meridiem & occasum reuertendo, primum ager in villas sparsus iuxta stagna, quem Marscam & Haicelandiam vocant, deinde Loppershemum cum arce viri nobilis, Suderhusa, amplus, & in longum se porrigens vicus, eoque etiam lautior Osterhusa, quanquam fano destituta, sedes olim Alleniorum, quorum magnæ opes his locis fuere, & mœnibus ab ijs cincta, Emdæq; ipsi per id tempus aut par, aut non multum cedens ad quam portus ille, qui iam apud Emdanos est, cum cataracta quoque pertinebat. Inde VVychusa Cnypensium villæ in circium, Hintha cum arce & fano illustri in occasum hybernum, medio ferè inter Osterhusam & VVesterhusam, eodemq; breuissimo interuallo, in ripâ illius, quem dixi, riui: qui illic pluribus ex Orientis parte aquis acceptis per duo ferè passuum 1000. inde iam latior Emda defertur recto in meridiem cursu, effususq; per canalem ingentem, in vrbe alueum eum, quem Delfam vocari ostendi, præcipue efficit. Hinthano fano tanquam suo Osterhusa vtitur, vnde ad fanum via ducit silicibus strata. At in spacij eius, quod inter

Ehmdam

Embdam & Hintham est, medio Harsvvega habetur, atq; istinc procul in ortum Mariæwera humilimo in agro iuxta stagna, & hybernis mensibus aquâ ferè tecto. Atq; hactenus Embdano præfecto subiecta omnia. Sed in meridiem quæ magis descendunt, vrbiq; in ortum solstitialem aspiciuntur, VVolthusa mœnibus propè contigua, & Vphusa nobili viro parent. Hinc porrò in Orientem stagna iacent longo ordine, quæ riuis ita connexa sunt, vt ex vrbe VVolthusam, Vphusam, Olderhemum scaphis commeari possit. Rursum Occidua in ora post Bettewerам succedunt Risumum cũ arce in potestate familiæ nobilibus multis ab annis 1300. paß. inde dißitum, Loquerdia itidem cum arce, Compa, vtraq; nunc Comitum, olim etiam eorundem nobilium, Heiselhusa non iustus vicus, sed vicinia rustica aggeri proxima, vbi nouellus incipit ager principiumq; ducit præfectura Grethana: in quâ longo ordine sequuntur Vpplevverdia, Hamsuerumũ, cum singulis arcibus Grothusa & re & nomine magna, atq; vtroq; in latere arcem habens, sed maior etiam olim quàm nunc est. Manslachtum, Slouta rusticorum vicinia, Pilsumum oppidulo quàm vico similius, & vt constans fama est, famæq; consentiens situs, castelli more quondam communitum, ambiente etiã nunc in orbem fossa, in cuius medio fanum sublime & fano imposita turris, Haumum sine æde, postremò in ortum se reducens atque omnibus septentrionalior GRETHA insigni situ, vbi arx egregij operis præfecturæ totius caput, sedes & antiquißima hæreditas Sircse-

Vterque hic vicus cum arce Vphusanâ. ad iurisdictionẽ quantũ attinet, ab Emdanis pecuniâ iã emptus. Nunc commeatus ille scapharum inter Olderhemum & vrbem multo rectior & breuior.

Sircſeniæ domûs, quæ Comites edidit: tum portus ad canalem arci coniunctum valde commodus, nec vlli totâ Friſiâ poſt Emdanum cedens, & ante portum interiorem ſtatio nauium optima & latiſsima, quam profundus æquè ac vaſtus æſtuarij alueus inter Brocumum & Iuſtani inſulas influens, terrisq́ſe inſinuans & iuxta portum obiectu puluini ab aquilone tectus præſtat. Hunc alueum Amaſum Orientalem homines nautici appellant. Portum verò riuus efficit, cuius à nobis facta mentio eſt, qui ex magnâ Amaſiæ parte collectas aquas per canalem tumidus & ſtrepens effundit, mediumq́ vicum diuidit. Rara ſanè loci à naturâ felicitas, quæ ſi incultores induſtrios, & negotiationibus deditos prioribus ſeculis incidiſſet, & rectores iſtuc pronos habuiſſet, ſine dubio ex vico modico iamdudum non extremæ fortunæ oppidum ibidem extitiſſet. Quod dum ſcribo, in memoriam mihi recurrit ſermo viri grauis, & multarum rerum periti, è Belgio religionis causâ exulantis: qui cum contemplatus locum eſſet, & mecum forte iter faceret adhuc iuuene, facere dicebat, nihil loco ad parandam fortunam inſignem deeſſe, niſi à cæcis teneretur. Nam & ſoli felicitas reliquis quæ dixi, ſubſeruit, quæ tanta eſt eâ in orâ, vt inter Amaſum & Albim aut ſimilis, aut certè maior inueniri nequeat. Hæc mihi ſolum natale eſt, in quo & lucem primùm vidi, & educatus ſum: vbi & pater meus, & auus paternus & proauus, & auia quoq́ paterna, & auiæ pater, & patris mei auunculus eodem mecum nomine & cognomine dictus,

Nunc alter canalis aliunde tranſlatus priori additus ad vrẽdos Emdenſes.

ctus, cuius & paulo prius mentionẽ feci, nati fuere, omnes inter suos honorati, & possessiones soli ibidẽ tenentes. Abest Emdâ septẽ ferè pas. 1000. in circiũ vergens: Nordã verò in Aquilonẽ habet interuallo millium trecentorũ pas. minore. Hinc porrò in ortum iuxta oram sunt. Vterstevvera domiciliũ amœnißimũ viri nobilis, Middelstevvera Housingvvera, sine fanis, Eidelshemũ egregium situ, introrsum à litore declinans, riuo prope circumfluũ qui per canalẽ in boream euoluitur. Grimershemum arce nobilium virorũ vetusta ornatum, VVirdumum in ortu postremũ: cui à septentrionibus imminet ager villis frequentibus distinctus, ille, de quo dixi prius quẽ à re nouũ vocitant. Sed à VVirdumo in meridiem Alandia est, cœnobium Virgineum, cui ripa Mariæ nomẽ olim fuit ex eo, quod ad stagna sit positũ, non postremæ quondã fortunæ. Iam reliquiæ solũ ædificiorũ veterũ supersunt. Hinc proximè in Canhusinos trãsitur breuißimo itinere, quos in Emdana præfectura memoraui, ijsdẽ stagnis adiacentes. Stagna in ortũ patent, & Broecmericos VVoldiosue riuulis inter se varie iuncta attingunt. Rursũ in meridiẽ Gretha Appinganũ quondã Cœnob. nunc nihil nisi rudera in vacuo solo vix memoriã conseruantia. Visquerdia vicus non paruus in orientẽ paulũ deflectens. Dichusiũ aliud Cœnob. olim, nunc villæ in solo eius structæ. Ienletũ cũ arce Visquerdiæ in ortũ, Eidelshemijs in meridiẽ breuißimo interuallo vergens, huic tamen quã illi proprius: Vttumum inter Eidelshemũ & Sircvverumũ ferè mediũ cum domicilio familiæ nobilis, & edita ac late cõspicua turri fano pulcherrimo adiuncta: à quo non procul

Huic agro nouo alius paucos ante annos adiectus occidentem spectans, nonusq; agger difficili labore per loca humilia limo obsita ductus.

procul Middelshemū recedit. Hic terminus præfecturæ Grethanæ, quâ cuncta cōtinentur, quæ post Cōpam dicta sunt, Ienleto tantū dempto, quod quanquā ambitu huius clausum, tamen nobilibus Eusumanis paret. Reliqui in Amas sunt pagi duo Grotbusanis ortū versus proximi. VVachvverdia, & Peusumū, in quo arx pulchra magis quā contra vim munita cum cætero vtriusq; pagi iure paucos ante annos ære Comitis empta ab Hoicone Manningâ nobili viro, qui eā à maioribus acceperat. Huic qui præest præfectus, in Peusumanos, VVachvverdios, Compenses, Loquerdios imperium vicarium pro Comite habet. Amasanā Broecmeria excipit, in septētrione partim eo, quē designaui, termino partim ab ortu latera eius claudens, ipsa Nordanos in Boream, Auricanos ad Orientem & meridiē habens. Et ab Amasanæ quidem termino Boreo secundum huius eandem in plagam erigitur per 1500. circiter pass. donec vestigia soli VVestelani, qui egregius olim vicus fuit, ad lauā extra aggeres præterierit, vbi Nordanū agrum occurrentē habet. Ab ea linea occidui limitis ager huberrimus per 1400. pass. quâ maximè angustus est, in ortū se porrigit vsq; in proximos regionis vicos: quos si excesseris, sata primum, deinde paludes inertes occurrūt, è quib. cespites in vsum foci indigenæ eruūt. Pagorū primus ad septentrionē est Ostela, ab ea, quod VVestelæ oppositus in subsolanum olim erat, hoc nomen sortitus, nō minus 800. pass. in longitudinem in meridiē obliquè descendentē patens: ad cuius longitudinis totius bessem vbi veneris, templum succurrit sublime, turriq; magna molis in altū educta, & area ingens circū templum,

Nunc Guilhelmi Cnyphusii est.

Broecmeria.

templum, quæ funeribus condendis relinqui solet, in formam castelli peralto validoq; muro circundata ac ingressus portá communitus. Quod contra hostium incursus comparatum subsidium esse, nemo, qui videt, dubitare potest. Nusquam in Frisiâ plebs asperior, aut æquæ intractabilis. Huic deinde non succedit, sed cohæret in meridiem forum tenue Mariahaua, dubium, ab aula ne, an à portu denominatum, cum vtriusq; opinionis rationes ferantur. Id castellum quondam fuit lateritio opere cinctum, ac satis ad hostiles impetus sustinendos validum, quo vsos esse receptaculo atauorum memoriâ prædones maritimos, qui Nicolao quodam & Godecone ducibus longè lateq; infesta maria habebant, à maioribus accepimus. Munitionis reliquiæ ad nostram vsq; memoriam peruenere. Cætera vici modum iam non excedens: sed templum ingens, & omnibus quæ inter Amasum & Albim sunt, sublimius & augustius, totumq; ære tectum, intus verò suprema parietum parte per ambitum etiam peristyliis ornatum, ac fornice perpetuo clausum: Tum turris conspicua rectis lateribus è lapide coctili in sublimè surgens vastæ altitudinis & operis longe firmißimi: cui si fastigium reliquiæ moli respondens impositum esset, inter præcipua, quæ ad Oceanum sunt, humanæ industriæ opera conferri posset: quippe quæ nunc etiam eo omni ferè honore carens talis sit, vt per complura milliaria spectari poßit. Huic ædi turriq; struendæ, prædones, collata huc prædarum parte, ad expianda peccata, aut memoriæ relinquendæ causâ, vt Hispalensi

lensi in vrbe Hispalensi fecisse dicuntur, auxilio indigenis fuisse, in analibus nostris reperimus. Addit fama per manus accepta, quod ego pro verò non dixero, constitutum habuisse prædones, argenteo fastigio turrim claudere, si Hamburgensium manus euasissent. Memorabile verò & ob nouitatem non prætereundum, quod in ædis eius structurâ visitur: Imagines sunt foris loco sublimi sub imbrice proximo, saxis lõgo ordine insculptæ, vetustate iam ferè detritæ, quibus religio Romanensis, & totus ille rasorum & cuculatorum grex cum nanijs & nugis suis deridendus spectatori proponitur, dæmon Pontificiâ coronâ & paludamento ornatus, vulpes missificans, sus cucullâ indutus, & moribundo assistens cum cæreis, & reliquo superstitionis impiæ instrumento, tum funeris pompa ab his bestijs ducta, compluraq; alia: Quæ satis euidenter demonstrant, quid ædificatores siue illi doctrinâ Viclefi, vt quidam haud absurdè coniectant, in Anglia imbuti, seu aliunde luce haustâ, de toto illo ineptiarum genere senserint, quidue ijsdem tribuerint, qui hac spectare impressa sacris parietibus tot annos potuerint. Quod cùm considero, haud mirandum mihi videtur, cùm spargi lux Euangelij primùm cœpisset, tam facile statim in initio totum Papatum hisce in locis concidisse. Hoc forum totius Broecmeriæ caput est. Ab eo in brumalem occasum longâ domorum serie procurrens vix 200. pass. Vpgantum abest, parœciæ Mariahauicæ: ad cuius finem austrinum locus iacet, quem Scottum iam vocant, veteres Gentam appellasse videntur, & inde Vpganto nomen dedisse mediâ æstate ferè siccus, at re- NOTA.

liquis anni mensibus stagnantibus aquis ad altitudinem duorum triumve cubitorum plenus, interdum etiam multo profundior. Vltra quem breui in meridiem spacio Broecmeria finem capit, atq; Amasana iungitur. Post Vpgantum Sigelshemum sequitur modicè in meridiem vergens, & Veengusa in ortum brumalem, sed interuallo duplo maiore, iuxta quam Oldeburgum tenuis iam rusticorum vicinia, vbi quondã Broecmeriæ rectorũ sedes & arx præcipua à Foccucone excisa, vixq; memoriam in solo iam retinens. Tum magis in meridiẽ abeuntes Engerbaua & Fitterbura, illa in occasu, hæc ad ortũ sita, sed breui interuallo disiuncta. Postrema in Austrũ extenditur VVibelsbura. Broecmerios in Boreã, vt dixi NORDANI sequũtur, palustri tractu ab ijs dirempti, præterquã vbi litori propinquant. Horum litus à Broecmerio termino ascendit per duo ferè pass. 1000. in septentrionẽ, donec Nordã ipsam totius agri caput attingat in intimo sinu: Inde inter Zephyrum & Austrũ longo tractu recurrens, sinumq; coarctans, post tria pass. 1000. in solstitialem occasum reflectitur spacio dimidio fermè minore, rursumq; ex eo loco inter septentrionẽ & ortum diu se porrigẽs, tum in ortũ æstiuũ, mox in æquinoctialem, rursum in æstiuũ incedens, quoad Dornumũ præterierit, inæqualiter progreditur, quod spacium nõ minus pass. 1000. duodecim comprehendit, longitudinem agri Nordani. Atq; ab hoc litore boreo agri termino, vsq; in insulas à circio & Septent. obiectas Iustã, Nordeneiã, Balterã vadum iacet diuersá latitudine, quâ maximè spaciosũ versus occidentẽ senis, quâ angustissimum

Nordani.

mum in ortū trinis paſ. millib. patens. Ager omnis mirè fertilis, quicquid eius 1500. alibi 1000. paſſ propius ad litus accedit, præſertim quod ad occidentem Nordæ iacet: idq; non vicis, ſed frequentibus, & perquā ſplendidis villis eſt inſeſſum. Marſcā noſtrates vocant tractum illū pinguis ſoli, atq; in Occiduam, Orietalē, & mediā inter has Lintelanā diſtinguunt. Interiora, quæ rectâ in ortū Norda ſpectat, anguſto tractu ſolū tenue & arenoſum, quæ in auſtrum magis deſcendunt, paluſtria habent. Hinc incredibilis vis ceſpitū, id eſt, paluſtrium glebarū, quibus pro ligno in focis vtimur, quotannis effoditur, vt mireris ſi videas, tamdiu ſufficere. NORDA in ſinu intimo, qui ſe inter Amaſ. & hunc agrum terris ingerit, & olim Mariahauā vſq; vt vulgò creditur, penetrauit, boreâ eius in parte, quâ in arctum deſinit, poſita, ſoli cis Amaſ. & amplitudine & populi frequentiâ ac cultu, ædificiorumq; publicanorū & priuatorū ſplendore Emdæ hodie cōcedens, olim verò hac ipsâ etiā, cum res eius tenues eſſent, omnibusq; reliquis multò ſuperior. Quippe complura iam ante ſæcula ciuitatis iure prædita & conſulibus ſuis è nobiliū ferè ordine lectis, conſulumq; oratore viro erudito, qualē Syndicum vulgò hodie nuncupat, vſa fuit. Deinde & cōmercia cum maritimis vrbibus antiquitus habuit. Conſpicua imprimis & illuſtris quatuor fanis pulchrioribus quàm in reliquâ viciniâ, ſi Mariahauicum demeres, lōgo tractu reperiri poſſent. E quib. Dominici ſodalitio, ac Benedict. virginū collegio dicata duo proximis annis interiore: duo in populi vſum ſtructa eadem in areâ ſpacioſâ, quam muris ambit, æquè

egregia: sed alterum etiam, quod vetustate ac magnificentia anteibat, in tumulo modicè surgente positum, tribus insigniter editis turribus spectabili, bello Geldrico liuore Esensium incendio vastatum præter muros ingentesq; ruinas, ac deformatas turres nihil hodie ostentat: alterum sublimi cellâ interiore, quam chorum vocant, conspicuum solum incolume manet. Ipsa verò fanorum arx, quam dixi latißima planicies vndequaque circumiecta domibus in circuitu egregijs clauditur, pulcherrimumq; & amœnißimum aspectum præbet, viridi gramine plerumq; vestita. Ea capita omnium platearum velut centrum, vna atq; altera dempta, & curiam in latere Occidentali habet, & nundinationibus non solum illis maioribus quæ bis quotannis, sed etiam quæ singulis septimanis frequenti hominum concursu ibi aguntur, locum præbet, câq; de causâ forum vocatur. Vnum loco ad reliquam fortunam sanè egregiam præcipuè deest, quod mœnibus nullis claudatur, & quod portus eius, qui aliquando optimus fuit, dum crescunt vtrimq; in orâ agri, limusq; aßiduò inuebitur, in annos deficiat, & nisi remedia quærantur, breui expiraturus esse videatur. Quamquam id quoq; malum pulcherrimorum agrorũ adiectione naturam ei reponere velle, quis dixerit. Hinc mihi maternum genus: heic auus meus Egbertus, per multos annos consul fuit: heic proaui abauiq; sedes habuêre. Abest hoc oppidum Emdâ paßibus millibus circiter 40. eamq; in meridiem aspicit, Gretham propiore interuallo in Libonotum. Sed oppido vici in ambitu propè continui velut suburbiá quædam cohærent,

rent, in Occidente Gastim, ad Circium ventum Lintela, in Aquilonem Ekela, è quibus Lintela complures olim nobilium arces habuit. In ortum verò Bergerburij incipiunt, ac mille ferè paß. vsq; in Lutesburgum arcem, sedem antiquam Mamingarum nobilium, in quorum fide etiam hactenus ijdem illi fuere, perueniunt: nunc cum arce in ius Guilhelmi Cniphusij, in cuius matrimonio Vcilonis Manningæ filia vnica est, transierunt. Tum in proximo Haga excipit pagus benè magnus, & fano egregio cum turri modicè fastigiatâ ornatus: quem vbi transieris statim BERVMANA arx domiciliũ comitis, atq; eius oræ cõfugium contra hostes occurrit, sita in exili solo, vt & ea, quæ longâ serie eandem in plagam contra ortum solis sequuntur, viculi vt plurimum tenues, aut rusticæ potius viciniæ, VVichta, Blandorpa, OsterVVichta, Halla, Mensteda. Arla pagus iam plenior, in quo insigni templo excelsæ turris reliquiæ, validißimi quondam operis indicium, etiam nunc imminent: vltra quem Osterarla & Ostergastum breuißimo interuallo longius procurrunt. At à viculis ijs statim post Berumũ in Meridiẽ nõnihil declinãt Heidæ duæ, quarũ maior olim quàm iam est, (nam admodum tenues sunt) fortuna fuisse dicitur, & has in ortum sequens, palustri via, Coldinna cœnobium infœlici in solo inter paludes quondam structum, cui Arla à septentrionibus est, non longius 800. paßibus inde abcedens. Atq; ab his locis deinceps in ortum humilis ac vliginosa camporum planicies iacet, per quàm in proximos Harlingios iter, sed maiore anni tempore incõmodum ob vligines patet. Distat Arla

à ciuitate Nordanâ in subsolanum quinque, à litore boreo non tribus passuum millibus. Sed in Boream Nessa est quingentis ferè à litore passibus locuples & modicæ magnitudinis vicus cum fano, in litore verò ipso canalis riuum effundens, portumque & tenuem efficiēs. Eadem in vicinia villæ complures aliquod locis ita cōcurrunt, vt vici minores esse videantur, vt Harcodæpa, VVestdorpa, Ostdorpa. Post Nessanos in Ortum exiguus ager sequitur agri Nordani velut appendix, qui nobili familiæ Dornumanæ paret. In eo Dornumum est, paulò plus 1000. passibus Nessa distans, in quo quondam tres nobilium virorum egregiæ arces, nunc duæ tantum reliquiæ, tertia à Saxonibus euersa in ruderibus fossâ circumfluis conspicitur. Vicus ipse amœnus frequensque, & in latere eius non vile fanum: nec longe inde ad pass. 500. fanum aliud Resterhaua, duoque exigui vici, ad quos fani illius vis pertinet Rershemum & Suittershemum. Supra Dornumum in septentrionem secundum aggeres tractus Groda vocatur, vbi vicinia rusticorum Munco&weruum nomē habet. Vltra hæc quæ sunt ad Harlingios pertinent. Cæterum Nordanus ager omnis, nisi quantum Lutesburgicis & Dornumanis subest, duabus præfecturis continetur, Nordanâ propriè sic dictâ, & Berumâ, quarū ista oppidanos cum agro, qui Occiduâ, & Lintelanâ Marscâ comprehenditur, quique à termino Broecmeriæ secundum litus Nordam vsque peruenit, habet: reliqua cuncta Berumanæ asscribuntur. Vltra hæc in orientem HARLINGIA extenditur & ipsa litoralis regio, longitudine non minus 11. mil. passuum, latitudine va-

Harlingij.

riâ,

riâ, sed vbi media est, circiter 5. mill. pass. A meridie Auricanos, ab ortu Ostringios & VVangros habet. Septentrionalem limitem litus tenet. Id post Dornumanos per 6. circiter pass. millia in solstitialem ortum deinde se obliquans in brumalem, ac rursum in æquinoctialem abit: iterumq; pedetentem, vbi VVangriam attigit, se sinuans in Ortũ æstiuum, mox in aquilonem pergit, altiusq; deinde attollitur, ac sinum Harlingiæ & VVangriæ communem efformat. Tota regio qua ad litus pertinet, glebæ pinguis & fœcunda est, satisq; & pascuis equè commoda, media sterilescit, austrino in limite in culta & paludibus obsita desinit: diuisa in præfecturas duas Esensem Nordanis contiguam, & VVitmundanam Ostringijs & VVangris vicinam. Post Coldinnam, quam in austrino fine agri Nordani dixi, Nendorpiũ primum extremo in Harlingiæ angulo inter ericeta se offert, viculus inops, statimq; VVesterholtũ sequitur, cuius templum in meridiem à vico modico spacio recedẽs, vallo circũducto militaris castelli formam quandã induit. Et huic proxime eandem in plagam cohærens cœnob. ab ericeto, in quo est, Heida nuncupatum præter nomen vix quicquid retinet. Tum æstiuũ in ortum post VVesterholtum despecti vici Suyndorpium, Vtorpium, Nyerpa, Ochtershemũ duplex, prius solum ex dictis fanum habens, Barcholtum, Holtgastum, Schoe, nescio cœnobiumne aut cœnobij villa, & ab his austrino in latere recedentia cœnobij cuiusdam veteris vestigia, ac longo interuallo sequens Dunumum cum fano pagus maiusculus, cuncta ad meridiẽ pertinentia. In septentrionẽ ascendunt post

Vtorpium, Roggasteda in media ferè latitudine, Accunium in occasum diuertens Dornumumq́; cui aduersum est, propè attingens: riuo ab eo dirimitur, qui nō ropcul Vtorpio ortus postquam curuo ac flexuoso lapsu hos vicos superauit, deinde inter ortum & boream maioribus ambagibus cursu directo in vadum exit per canalem quem nouum nuncupant, vtriq; vico cōmunem, Harlingiosq́; à Dornumanis sciungit. Ibi ager nouus, diuturna controuersiæ materia inter vicinos, quæ ad vim sæpe spectauit. Inde sunt Sudenborgum, VVesterburij, Middelburij in ipso litore, Osterburij à continente auulsi & fluctibus victi Damsumum, Sypcovverda, Oldendorpiū, alijq; viculi omnibusq; maius Fulcumum cum fano in medio agri. Ab eo in orientē post duo ferè paß. Millia Mariæ campus cœnobium quondam lautum & locuples sub Abbate agens: iam in villas abijt. Tum in aquilonem ESENA proximè sequitur oppidum munitum magis quàm egregiū, primum in Harlingijs locum obtinens, riuo irriguum, qui à meridie veniens paßibus circiter bis mille infra oppidum se effundit. Hoc in oppido arx est magnis operibus contra vim hostilem instructa, & ipso etiam oppido munitior. Oppidani bis capti ab hostibus parentū nostrorum memoriâ magnam calamitatem accepere dum pro Balthasari Domini sui fortunis pertinacius contendunt. Vbi riuus, quem dixi, exit, Bensa est in litore, eiq; cohærens portus tenuis, ac insula alteri vico eiusdem nominis sedem quondam præbens, sed tum reliquiæ continenti connexa. Vnde tractus secundum litus procedens Serima, quod litoralem sonat, vulgo dicitur.

citur. Sed Esensibus ab aquilone Norterpium imminet, pagus olim quem iam molior, & contra Esenam in æstimanda nobilium rectorum hæreditate numeratus, in quo vestigia egregiæ arcis in solis ruderibus etiam nunc licet deprehendere: In Ortum hybernum Stedesdorpium, & hoc quoq; cum arce suâ Esenæ olim æmulum, in Ortum æquinoctialem Tuniam, vterq; vt eorum locorum captus est, pagus nunc etiam egregius. Folcersbusa iuxta Serimios domicilium familiæ nobilis vetus & pulchrum. Vlterius VVerdumum itidem cum arce viri nobilis & fano modico, ac longius in orâ sinus, de quo antè scripsi, VVerdumanus canalis, per què riuus effluit, qui initio iuxta Dumimum accepto latitudinem totius Harlingiæ emetitur, & portam gignit perexilem. Hactenus Esensis præfectura. Reliqua *in VVitmundanâ sunt, Butforda in latitudine regionis media, VVarnsata, Burhana, Bleersumum versus austrum, & magis eodem declinans Vpdorpium ignobile, mox ipsa VVITMVNDA meridianum limitem, cui maximè appropinquat, tenuens, forum vetustum, nec infra Esenam magnitudine, aut oppidano iure, quippe quod à consulibus regitur, sed mœnibus nullis cinctum. Arx quoq; ei in occidentis parte loco idoneo cohæret, magnifica & benè munita, præfecturæ caput. Hoc forum cum arce circumiectisq; vicis quibus modis à Cankenijs, quorum in potestate antiquitus fuit, ad Esenæ Dominos peruenerit, in historiâ suo loco exponemus. Ab Esenâ in Euro austrum recedit, pass. 1000. ferè 7. Vltra eam 1500. passib. Asela in orientem procurrit vltima Harlingiæ illo in*

tractu: prater quam riuus à meridiei parte veniens in Septentrionem labitur, agrumq; hunc ab Ostringijs & VVangrijs separat, cui agger etiam in ripâ additus ad prohibendos hostium incursus. Eundem ad limitem Eglinga magis in boream vergit medio fere in austrinum terminum & litus interuallo. Sed litori vicina ora habentur VVesterhusa, Funixa, item portus Funixanus totius Harlingiæ optimus, modico interuallo à vico, cuius nomen fert, disiunctus, sed cuius ora ad canalem, per quem riuus VVitmundam interluens emenso curuis ambagibus reliquo agro se exonerat, ob nauicularioru commercia domicilijs occupata viculi speciem etiam ipsa ostentat, postremò Berdumum, vltra quod limitator riuus, quem ante descripsi, à pass. 500. præterfluens in septentrionem exit. Hinc iam VVANGRIA initium capit, cuius litus molliter se sinuans primum in ortum æstiuum, tum in boream, rursum in eundem ortum circiter 6. pass. Millia progreditur, ac sinum eum, de quo in Harlingiâ dixi, cõficit: Inde angulo efformato, qui cis Iadam omnium, qui in Frisia sunt, in boream maximè excurrit, & Schillichij nomen habet, amplius quam per quatuor pass. Mill. rectâ in meridiem reducitur, ibiq; in portum incidit Hocanum: à quo non longo spacio in Orientem rursum, mox in Euronotum per sena circiter pass. millia porrigitur. Atq; hoc totum litus ab angulo Schillichio æstuario Iadæ fl. profundo vastoq; obijcitur ab occasu: Sed fluctus eius tempestatibus vim nacti, longè lateq; contra occidentem in terram se ingessere, ac cum pernicie pulcherrimorum agrorum magnum

VVangri.

gnum sinum patefecere, non minus sex passuum Millibus longum, vbi terras primum ingreditur, ac in Vltraiadanos transmittitur non 900. cum se pandit, tribus millibus latum. Iadam hunc sinum, à fluuiolo tenui influente ex Oldenburgicis, vulgò dicunt. Isto verò litorum ambitu ab Harlingiæ fine, in intima huiusce sinus VVangria, Rustria Cisiadana, quantula hodie reliqua est, Ostringia circumueniuntur: quas iam breuiter dicemus. VVANGRIA post Berdumum à Medochio vico incipit, qui fanum & domicilium familiæ nobilis habet, nec procul litore abest. Eum sequuntur Tettena cum viculis circumpositis, Hogekerke, vbi fanum totius VVangriæ maximum & pulcherrimum, cæterisq; locupletius, portusq; è regione Garmecanus domibus frequens, VVyarda longius à litore posita, Minzium in Septentrionem plurimum se erigens, atq; aggeri rursum propinquans vltra quod amplius etiam in aquilonem procurrens terræ angulus, quem Schillichium vocari ostendi, in cuius fine villa amplior à Maria Ieuerana ædificata procul conspicitur, Ager is omnis mirè pinguis, & magnâ parte paucos ante annos in orâ extimâ aggeris noui obiectu à fluctibus vindicatus: multumq; etiam nunc soli iacet extremâ aggeres per oram sinus illius, qui Harlingijs & VVangris se insinuat, maximè post portum Funixanum: atq; id agro vtriq; cui obijcitur, commune est. Ad hæc eadem in VVangria, Sanctus Iodocus, vicus post VVyardam in ortu, post Tettenam verò Oldendorpium, VVippena, Vischusa Pakena, Hoca in litore cum portu cuius memi-

meminimus prius, non solùm VVangriæ, sed omnium, quos post Nordanum diximus, ac deinceps cis Iadam dicemus, commodissimus, quo Ieueranorum ac totius huius oræ cum Bremensibus constant cõmercia. Hunc riuus aperit per canalem magnum istic in æstuarium exiens, qui Ieueram mox ab exortu præterlapsus omnem deinde agrum iam nauigabilis percurrit. Nomen patrium portui ab angulo, in quem se aqua insinuat. Præterea Haddium sine templo, VVadŏverdia, Rikelhusa, VVesterum, VVibelse, in meridiano latere. In litore, verò post portum dictum vsq; in Madam riuum, & canalem Accumanum, longeq; à litore in Meridiem & occasum receptus ager iacet, quem ex eo, quod Domino Cnipenæ arcis paret: Cniphusanum appellitant. Huius in orâ portus Inhusanus. Hocanum interuallo 1200. pass. sequens, eâ commoditate, vt ob nauiculariorum commercia frequentia locus domibus vici speciem induerit: Intus Sengŏverdia vicus magnus; & circum eum viciniæ rusticæ plures; Inhusa arcis solum cum fossa in ambitu, cæteraq; rudera tantùm seruans. Tidoueldia villa amplissima, ex ruinis Inhusâ in proximo structa à Tidone Cniphusio, Fedvverdia, Accumum, vtrumq; fano egregio insigne, vt & Sengvverdia, demum ipsa arx Cnipena splendidissima & principe viro non indigna, domicilium Iconis Cniphusij in Baronum ordinem nuper ab Imperatore allecti, totiusq; agri Domini. Ager vndequaq; pulcher & ferax, olim VVangriæ & Rustriæ ac Ostringiæ pars, nunc seiunctus & medium se ijs insinuans, sed inuidia non carens. Vltra Madam riuum, qui à meridie

ridie eum agrum claudit, RVSTRI in orâ succedunt, quos Cisiadanos voco discriminis causâ, iam in arctũ redacti iniuriâ fluctuum. Nam ex compluribus vicis, quibus olim res eorum floruit, tres modò hoc tempore supersunt cum fanis suis, & paucula his interiecta. Ea sic habent. Post Cnipenam Schara, ædes sacra: nismerhaua, cui turris addita fastigio se efferens, Sibetsburgum arces in modum extructum in memoriam Sibeti Rustriæ quondam rectoris, Heppena vicus cum fano litori proximus, & paulum istinc ad Meridiem eodem in litore traiectus in Transiadanos vbi occursu mutuo vtriusq; Rustrici agri Iada angustißimus. Vltra quẽ locum si progrediare ad passus mille aggerem sequendo, ad angulum peruenies, à quo in occidentem longißimè terras ille, quem dixi, Iadæ sinus submouet, ac litus extendit. Eo in cursu ferè medio canalis est Mariæsyla dictus ex nomine Mariæ Ieueranæ. Intus verò Mariæ domus eiusdem fœminæ opus, postremò Sanda litori paulo vicinior. Ex ijs quæ interiêre, Sedyca, Ama, Oldebrugga, Hauermonachum cœnobium, Berda, Bantha, 70. ante annos adhuc magna ex parte incolumes steterunt, quorum iam vestigia tantum in nudo solo vndis circumfluo restant. Cæterorum fama obscurior & mihi tacenda. Ellense cœnobium, Dangastum, Arnegastum, quæ in eodem sinu reliquias ostentat, quamuis Frisicæ gentis olim fuere, tamen cum ijs, quæ in altero sinus litore, quod ad Meridiem iacet, posita sunt, iamdudum Oldenburgicis asscripta à Frisiorum republica recessere, & nescio an in Rustris vnquam sint habita. Causa calamitatis eadem penè,

Calamitas Iadanæ in Rustris Dullartanæ simillima, sed recentior.

pene, quæ in Dullarto expressa, itidem modus. Et fluenta quadam agros illos antiquitus perluisse, qui per canales emitti solent, in eâq; admissos fluctus facilius reliqua obruisse vulgò ferunt: è quibus maximum Slicam adhuc vestigium nominis in ipso ferè sinus initio retinere. Ea vero similia: istud verò certum, anno 1509. item 10. & 12. maximam à tempestatibus cladem esse acceptam, indeq; in peius paulatim rem Rustricam iuisse. Bamba quondam Rustria caput, & rectorem eius sedes, iam nomine & exiguo tumulo, in quo templum stetit, aggeribus proximo ac pene contiguo, solummodo nota Rustriam ad sinum quæ sequũtur, quaque deinceps ad Occidentem per 4. circiter passuum millia succedunt, vsque in paludem in via, Ostringijs quondam annumerata inuenio. Nec de Rustrorum finitimis, qui ad sinum colunt dubitandum existimo. Hi viro nobili obsequium præbent qui Godenam arcem in potestate habet. In litore habent ad canalem portumq; Godensem, Neostadium, vicum nuper primum natum, sed domibus oppidi in morem structis insignem; Godenæ arcis veteris, dudumq; dirutæ vestigia in tuderibus: interius Godenam nouam, arcem egregiam. Dychusinum fanum toti huic agro commune. Cætera in villas frequentes sparguntur, inter quas Lapholtum, domicilium iuri nobilis. Solum agri, vt & Rustricum, maximè tamen, qua aggeribus propinquant, gramine frugibusq; mirè fœcundum, nulliq; cis Amasum cedens. Atq; huic oræ fluctus quod quondam rapuere id nunc nouo incremento quotidie restituunt. Post hos ad Occidentem porrecta, Ostrin-

gia

gia partes aliquando fuerint, nec ne, ego non affirmauero, quanquam verosimile id situs efficiat. Friburgicum agrum hodie dicimus, de quo, cum cætera Ostringia, quæ nomen retinent, exposuerimus agemus. Ea Harlingijs in ortu, VVangris in meridie, Cnipensibus in Rustris in occasu sita, Friburgicos in austrum aspectant. Ab oriente prima est Sillensteda in latere agri Cnipensis, non infelix IEVERA non minus bis 1000. passuum in Occidentem reducta, in solo tenui, vt cuncta quæ sequuntur, modicum oppidum, sed operibus non paruis munitum, quanquam aduersâ loci naturâ. Oppidanorum fortuna à nundinis ferè vniuersa pendent, quas eam ob causam percrebras illis Rectores instituerunt. Sed est in oppido arx validißima ad quamuis vim hostilem sustinendam: cui præest, is non in Ostringios solùm, sed etiam in Rustros & VVangros, imperium habet: nec alibi quam istic cunctis his ius dicitur, non sine magno litigantium incommodo. Primus mortalium Edo Rustrus senior ante annos 230. arcem eo loco posuisse fertur, ad quam cum plures paulatim habitandi causâ concederent, ac domicilia construerent, oppidulum tandem extitisse. Oppidum hoc VVitmundâ distat in ortũ pas. 1000. ab arce Cnipenâ in occasum paulò amplius, medio ferè loco his interiectum. Hocam verò cũ portu inter Septentrionem & ortum mediâ plaga remotam habet pari fermè interuallo. Eidem, quâ sol hybernus demergitur Cleuerana à mil. 500. pas. & post hanc Sandela duo in Ostringiâ vici siti, meridiano aũt in latere spacio non multũ impari cœnobiũ antiquum, cui Velda Ostringica nomen

Omnino fieres nabent Fur. v. inquam parties Ostringia.

Ostr. agij.

aut

aut reliquiæ potius eius, in quibus stupendæ molis turris, quæ nulla post Mariahauicam in Orientali Frisia altior, Nordanamq; aut æquans aut superans, sed ruinosa, & sine fastigio omni, memoriam pristinæ fortunæ cõseruaret. Fanum illud à primis conditoribus Canonicorum collegio dicatum, post cùm incendio euersum esset, Canonicis quoq; morte consumptis, vastum iacuit toto sæculo: sed demum cùm pestis regionem popularetur, ex voto publico instauratum, nouoq; virginum collegio familiæ Dominicanæ attributum ad annum Christi 1350. additi virginibus sacerdotes 6. qui sacrorum solemnia peragerent. Hinc in eam plagam, quâ sol in brumâ surgit, non 1000. pass. Scortena vicus celebris, Ostimum Scortenæ proximum aut parœciæ eius pars cum viculis pluribus, Rosbusa ad ortũ æquinoctialem, familiæ nobili, quæ ex loco cognomen ferebat, bello Saxonico per vim adempta, & Ieuerano Edoni tradita, proxima Cnipensium finibus Accumoq; in meridiem respondens interlabente Madâ amniculo, munitionibus iamdudum cunctis nudata, atq; arx ad solum deiecta. Sed Scortenæ templum est sublimius quàm reliqua in viciniâ, & turris fastigio etiam altius se efferens, 400. ante annos, vt patria monumenta habent, ex voto totius Ostringici populi ædificatũ, cum in bello intestino contra Rustros insigni victoriâ potiti essent. Est etiam eodem in agro vicus inter arbusta Vpievera Veldano cœnobio in eam partem, vbi sol hybernus occumbit, positus, itineris non totius horæ interuallo, à quo statim in agrum Friburgicũ transitur, item Barkela, vnde per Vpslotam angustum tra-

mitem in Auricanos iter patet. Et hucusq; Ostringia Ieueranis subiecta, multò maximâ sui parte soli macri & sterilis.

In præfecturâ Friburgica *ab occasu prima sunt in* Harlingiæ Ostringiæq; *confinibus cœnobium Burismonachum iam desolatum, Lerhaua fanum, Rispela vicus eo fano vtens: deinde post bina passuum millia* Dosa, *Vpieueræ proxima in meridiem, non 1000. pass. ab eâ distans, eamq; statim eandem in meridiem sequens Abcohaua, & vlterius* Hogegastum, *& ab his in occasum deflectens Repsholtum toto illo tractu præcipuum, & duobus quondam egregijs fanis conspicuũ, è quibus alterum prorsus interijt, alterum quod restat amplum, & Canonicis antiquitùs attributum, ruinas vastæ & semirutæ turris latè spectabiles præfert. Vicus nobilium domicilijs, quæ contra eum communiri solent, olim frequens, & proauorum memoriâ castello militari contra* Friburgum *quoq; firmatus iuxta pontem: Tum VVysta in nemore inter meridiem & occidentem longius à Repsholto recedens, quanquam parochiæ eius asscripta, vt & cæteri vici tres post Rispelam memorati. Sed ab Iadæ sinum in angulo eius intimo versus occasum à limite agri* Godensis, *ac solæ vetustæ arcis, de quâ dixi, statim canalis excipit* Friburgicus *in aggere, per quem vnicus eius agri riuus in sinum emittitur: vnde breuißima secundum sinus flexũ via est* Horstenam *ducens vicum cæteris istius viciniæ maiorem & celebriorem.* Hic *in Iadæ orâ vicus vltimus est* Frisiæ *Orientalis, quæ Comitatu continetur, quem non longo interuallo* Zetela *sequitur eadem*

in ora in Euronotum, Oldenburgicæ ditionis. Eos inter vicos, quos palustria inculta disiungunt, mediáque ferè regione limites ditionum obscuri & ambigui antiquitùs, indentidem quoties litis aliquid extitit, restituti sunt, dissensioq́ue, quæ ad arma non semel peruenit, composita. Limites à Bolenbergo (locus est in palustribus quem se vocant) per mediam Eam rubeam (& id aquosi tractus nomen est) in intimum Iadæ sinũ pertinent. Ea definitio olim accuratius facta magno iam concordiam tuendam vsui esse deprehẽditur, cum in orá nouus, & multò quam prius fuerat melior ager alluuionis beneficio adijcitur, incrementumq́ue indies capit. Sed & tempus fuit, cum Zetelam & vicum alterum vicinum Oldenburgici Frisiæ Comitibus dimittere ex pacto coacti sunt, eoq́ue modo terminus comitatus ampliatus. Verum non diutius quàm necesse fuit, illi in pacto stetere. Horstena in plagam, ex quá Corus flat, Repsholtum aspicit interuallo circiter in Mill. pass. eodemq́ue in situ Ezelam vicum alium, cum fano habet cis itineris illius medium, FRIBVRGVM verò contra Solis occasum intuetur, itinera hora vnius non longius remotum, idemq́ue Repsholto, cui in meridiem aut Euronotum vergit, pari ferè spacio distans. Eam arcem tuendo limiti contra Oldenburgicos extructam Cankeniorum olim fuisse, quorum ijs in locis latæ possessiones erant, ex analibus deprehendimus, sed nõ tantis operibus, quantis iam est contra vim circumuallata. Verum ne nunc quidem operibus plus debet, quàm loci natura. Nam in paludum ambientium margine ita posita est, vt nisi angustâ viâ, qua Oldenburgicos

in Frisiam solâ iis partibus mittit, ipsamq́; hanc arcem vno ac latere stringit, adiri nusquam poßit. Fortunam eius sæpe commutatam, in quâ multum lapsus est Cranzius, quippe Cranzium sequuntur, dum cum aliâ eiusdem nomine arce in Transiadanis hanc confundunt, in historia exequemur. Extra eam in Meridiem breuißimo spacio in via militari, quæ Neoburgo venit ex Oldenburgicis, quam modo dixi. Marcus est pagus, & in pago fanum Euangelistæ illi sacrum: nec procul inde finis agri Frisici eâ parte: quem si egrediaris, in præfecturam Neoburgicam venies, Oldenburgici Comitatus membrum: cuius caput Neoburgum ad 4. paß. 1000 Friburgo distat, regione inter ortum & meridiem mediâ. De Frisiâ VVedâ, id agri nomen est ad Iadæ sinum, quæ Comitibus Frisiæ aßignata ab Imperatore ac initio fuit, ab Oldenburgicis detenta, cum commodum erit, memorabimus. Marco in latere occiduo est Hopelse non satis scio, cœnobium ne an cœnobij villa, arboribus vndiq́; cincta. Vltra quicquid est in meridiē atque occasum per quatuor quinque ve paß. Millia, id perpetuæ paludem vligines desertum & inuium faciunt. Nec quicquam in his præter aquas stagnantes, quibus marium nomen nostri tribuunt: quorum maximum est, quod à vico in Friburgicis dicto, VVystanum vocant, & iuxta id saltus cognominis. Sed trans paludes in meridiem, Lengamus ager Lengam. *ille, cuius in Mermeriâ mentio nobis facta, se aperit ternis passuum Millibus in longum, totidem in latum patens, quem continuus quidem paludum ambitus velut latis mœnibus cingit, ipse arenoso solo & haud-*

quaquam benigno, si cum cæteris plerisq; Frisiæ agris cum conferas, Oldenburgico finitimo tamen felicior. Sparsus est in vicos 10. non magnos: quorum vnus tantum Remelse in agri totius medio fanum habet reliquis cunctis in orbem positis commune, quod per se amplum & reliqua structura pro loci ratione magnificum, quo illustrius esset, præcelsâ turre in fronte additâ proauorum memoriâ populus adauxerat. Sed ea, mirum dictu, cum nulla eius causa appareret, sereno, vt aiunt, cœlo vixdum extremo fastigio imposito, concidit. Nec ab eo tempore instaurandæ eius causâ quicquam tentatum, spacium tantum, quo steterat fastigio clausum, & reliquo templo additum. Nunc ingrata posteritas, quod magno sumptu à maiorib. structum, & fornice tectum perpetuo est, magno dedecore suo diffluere sinunt. Huius fani area ita comparata est, vt confugio esse vicinis, & castrorum vicem præstare in subito periculo possit. Reliqui vici sunt Selvverda ad occidentem hybernum, qua Hasselto aut Berthâ venitur, ad saltum posita, Oldendorpium minus & maius in Corum, qua Stracholto & ex cætero agro Auricano, Poghusa, Spolsa, in Aquilonem, quâ ab Friburgo in hunc agrum accessus est; Eura Remelsi proxima. Sanda maior, Sanda minor contra ortum, quâ in VVesterstedam in Oldenburgios palustris via ducit. Iuberda cum saltu in latere, versus austrum, quâ Stichusani adeuntur. Lengani in armis quondam mire parati & fortes Oldenburgensium vim sæpe soli sustinuere, qui hostes illis anniuersarij erant. In hos vbi Sanda maior est, in ipso vici regionisq; aditu, opor-

tuno

tuno valde loco, arx quondam stetit, ad quàm è palustribus veniens per angusta via ferebat: quæ cum munitionibus appropinquasset, profundissimæ fossæ oram continebat formâ semicirculi, vt sanè sine summo periculo illac transire inuitis præsidiarijs nemo posset. Deinde, quò reliquus aditus, quem natura impeditũ fecerat, difficilior etiam fieret, hac ab arce in Sandam vsq; minorem perpetua munitio ducta est per spacium 500. passuum. Sed pace cum Oldenburgicis firmatâ, quod nullus eius vsus esse videretur, arx ex decreto Comitum diruta, vallumq; altißimum mediò ferè ambitu reliquo solo æquatum: pars Oldenburgensibus obuersa quæ munitionis forma magnitudoq; fuerit, etiã nunc demonstrat. Ab eo tempore Præfectus, quẽ Lengani peculiarem semper habuerant, illic esse desijt: præfectura Stichusanæ asscripta est. Harum omnium regionum, quas descripsi hactenus cis Amasum ambitu perpetuo AVRICANVS ager cingitur medium ipse obtinens: & in medio ipsius AVRICA, cui nomen debet. Excipe Transledanos & VVangros, qui Auricanos nusquam attingunt. Spacium agri fere quadri, vt cunctis reliquis amplius, ita bonitate à fructu ijsdem inferius: Quippe quod saltibus aut ericetis, paludumve squalore totum penè occupetur: quà paludes non sunt, arenæ tenent. Caput eius agri AVRICA est oppidum mediocre non solùm in meditullio agri huius situm, sed centrum quoq; vniuersi comitatus obtinens, exili in solo ac arenis obsito, sed nemora & arbusta peramœno. Quæ causa est, cur illic in arce, quæ oppido adhæret, maximis omninò operibus munita, ædifi- Auricani.

cijq; & omni apparatu cæteris in Frisiâ splendidior, æstiua potißimum agere, multumq; hac sede, delectari Comites soleant. Accedit & aliud, quod in eo loco magis quàm alibi ex æquo fere cunctis è partibus regionis suæ adiri poßint. At in oppidi nihil celebrius est, quàm frequentes nundinæ in commodum ciuium atq; vsum vicinarum prouinciarum illic institutæ, ad quas septies quotannis infinita vis maioris pecoris venum agitur, atq; inde in diuersas regiones abigitur. Hoc subsidium tenui fortunæ ciuitatis in sterili solo opportunè quæsitum. Situs huius ab oppida cætera prætereundus non videtur, ob raritatem. Emdam enim in hyberno. Nordam id æstiuo occasu, Esenam ad aquilonem, VVitmundam contra ortum solstitialem pari propè millium passuum circiter 8. aut paulum maiore interuallo habet: deinde Ieueram in eandem prope plagam cum VVitmundâ, sed in meridiem paulum declinantem, aspicit per millia pass. 12. Friburgum in Vulturnum per 10. rursum Stichusam in Euronotum per 12. ferè, Leram ad Meridiem non totis 10. demq; Olderhemium in Libonotum minus etiam quàm 8. Porrò idem oppidum Emdam Nordamq; ita ex obliquo intuetur, vt triangulum propè æquilaterum cum ijs constituat: quorum laterum id quod Emdam ac Nordam connectit, maximum quod Auricam Emdamq; minimum est, sed differentiâ haud magnâ. Nec valde dißimilis figura, quam Norda, Esena, Aurica efformant. Sed illæ priores per tria ferè passuum Millia longius dißitæ inter se ab æquilateri formâ magis quoq; hunc triangulum recedere cogunt. Quibus &

hoc

hoc addere libet, quod ad totius regionis dimensionem potius quàm ad oppidum istud pertinet, ab Apâ, quæ non procul à limite Frisiæ in Oldenburgicis supra dictà est, ad Leranos duo milliaria Germanica magna, totidem Emdam vsq; à Leranis. & rursum inter Emdam & Nordam totidem, iterumq; à Nordanis Esenam, & ab Esenâ Ieueram, quæ interualla Auricam tribus, à lateribus cingunt, vulgò computari. Circum oppidum in agro vici sunt Kredorpium Raba, Extum, VValla ad Austrum & Occasum, Samborstum VVallinghusium ad orientem omnia loca vilia, & oppido fermè contigua, VVisena cum sacrâ æde in ortum brumalem paulò remotior. Fana cum nemore lato in Libonotum VVesterenda in Zephyrum longius abcedentes, Merbusium cœnobium ad tria passuum millia in aquilonem ambiens, & iuxta id vestigia castelli militaris. Multò Saxonum sanguine bello Saxonico capti, in solo palustri. Reliqua extimo in orbe: Middels in arbusto, Ardorpium loco in aperto, cum singulis ædibus sacris, Harlingijs proxima in ortum solstitialem, tum hinc in meridiem descendens, ab oppido verò in ortum & Friburgicos longè lateq; procurrens solitudo, quam Bracsetelen vocant nostrates, non modò ab hominum cultu ac domicilijs, sed à pecoribus quoque arbustisq; penè deserta, obsita sterilibus ericis: inde Holtdorpium, & post Oldendorpium via Spetzæ imminens ex aduerso Stracholti, vtrumq; cum fano, ac brumalē in ortum vergens: Sanderæ duæ Orientalis & occidentalis in longum porrectæ in latere priorum, hisq; ad Septentriones sita VVenda sacra ædes sola

patenti in agro, vtriq; vico communis: Ila cœnobium virgineum, pulcherrimum & peramœnum Auricæ ad meridiem medio in saltu, qui longo se spacio explicat, positum, eodemq; ordine in occasum Sanderas sequēs: distat ab oppido ad passuum 1000. tria. Tum longius in occidentem vici cum templis singulis prope contigui Banestada, Ochtelbura, Ripa, quam ex re longam dicunt, reliquis etiam maior, quos ad vicos ab Vphusanis, Volthusanis, Emdensibus riuus pertinens Auricam mittit Fanam vsq;, quæ 1500. passibus ab oppido distat, schapis nauigalibus: Postrema meridiano in latere Barsteda. Infra hæc autem in Meridiem remota longius quæ sunt, Auricano præfecto parentia, ea in Mormeria diximus. At in Occasu brumali ager est non late patens, quem Auricanis etiam annumerant, ab Amasanis, in quos procurrit, stagnis diremptus. Eum nescio qua ratione syluis vacuum Syluestrem tamen appellant. Parœcias complectitur tres, Suidvveldam & Bedecaspelam, extremas in stagni, quod magni nomen habet, orâ, Forlizam cum Morhusio vico mediam, sed intus orientem versus modicè reductam. Nullus toto Auricano agro locus felicior, si non humilitas soli obesset. Ea enim tanta illic est, & vniuerso illo spacio, quod istinc Emdam vsq; & vlterius versus occidētem & meridiem in Petcumanos ferè & Oldershemios porrigitur, vt hybernis mensibus plerunq; aquis cuncta natent, nec quicquam præter vicos ac ædificia, & si quæ sunt editiora in campis loca, terræ faciem ostendat, interdum etiam in æstiuos mēses, si humidior annus sit, cum detrimento hominum & peco-

pecorum, id malum prorogetur. Auricanus ager omnis cum Broecmerio ab vno præfecto regitur, qui auricæ domicilium, ac prætorium in arce habet. Sed vnum superest in eo agro, quod silentio præterire nefas dixi. Locus est non procul VVesterendâ patenti in campo Vpstallesbomi *nomine, in margine viæ militaris, iam nihil nisi antiquas & emorientes quercus tres ostendens. Ad eum ex omni Frisiâ inter Rhenum & Visurgim comitiorum causâ conuenire præcipuè populo cum mandatis suorum, illic sub tentorijs aut aperto sub cœlo de rep. consultare, tribunal erigere, cõtrouersias finiri, solet. Nec quicquam ad totam remp. pertinens confectum ritè credebatur, quod non illic communi consensu esset decretum. Imprimis si quid libertati graue existeret, aut intentari videretur: huc velut ad libertatis aram magno studio concurrebatur. Vnde factum vt ad Vpstallesbomum coire tantũdem ferè maioribus significaret; ac ad vindicias secundum libertatem poscendas concurrere. Quod regionis pulcherrimum priuilegium vt honori maioribus nostris olim fuit, ita iam ferendum forte sit, quod locum hunc sine honore nunc relinquimus, augendo dedecori nostro apud posteros pariter & hodiernos rectè iudicantes esse poßit. Sed in oram reuertamur.* **Vpstallesbomum.**

Post Rustros Cisiadanos Ieueranis aßcriptos. Rustriæ pars altera sequitur trans Iadam fl. quam eam ob causam Transiadanam appellamus. In eam traiectus est breuißimus ex Heppenensi litore non mille paß. latitudine. Tota inter Iadæ sinum Visurgimq; inclusa, obliquâ fronte in Septentrionem euehitur ac litora **Rustri Transiadani.**

curuat nullis præcincta insulis: Atq; illic inter ora fluminum latißima, non minus 10. pass. 1000. spacium tenens, vbi in meridiem descendit, pressantibus vtrimque ripis adductior: In duas partes diuiditur hodie. Superiora & litorum extima in boream multoq; fœcundißima Butiadæ tenent proprio nomine sic vocati, id est, ac si dixeris Extraiadani, porriguntur q; inter Iadam & Visurgim in Hetha riuuli alueum, flumen vtrumq; coniungentem. Reliqua Stadlandi, eiusdem sanguinis & iuris populus, occupant longo secundum Visurgim tractu, donec Marsmios attingant. In Butiadia parecia sunt hodie 10. quarum singulæ singulos vicos habent cum fanis & plures alios sine fanis. Vicorum primus cũ fano ad Iadæ traiectum ex orâ Heppenensi est Ecquerdia: eiq; proxime vicinus Mẽmoburgius. Ab Ecquardia verò in ortum solstitialem sequitur Tossena: atq; hinc porrò in eandem plagam Langowerda, cuius paracia quondam maxima, ni fallor, totius Rustriæ magnum numerum vicorum minorum complexa, & fanis olim ornata tribus, extensa tunc boream versus ad arcem vsq; Mellumanam iamdudũ fluctibus obrutam procul litore, quâ nunc vada se pandunt: ex vicis illis iam reliqui 12. templum vnum, sed grande. Hic natus est magni nominis Theologus amicus noster Sibrandus Lubbertus, lumen & columen Academiæ Frisiorum, quæ est Franekeræ. A Langowerdâ deinde in ortum Burhaua iacet, vicus frequẽs, nundinationibus celebris, in cuius parœciâ vicus alius est Sillens nomine, fano carens, vbi sedem domicilij habuit Sibetus Lubbonis F. auus eiusdem amici nostri,

Butiada

bono

bono genere ortus, à quo ille vti genus & fortunas, ita nomen accepit. Burbauam in ortum æſtiuum excipit VVaddena, & poſt VVaddenam in ortam æquinoctialem Blexhemum vicus Ruſtriæ antiquiſſimus, in ripâ Viſurgis fl. nobilis morte primi Bremenſium Archiepiſcopi VVillehadi, qui floruit cum Carolo Magno Imp. nobilior cæde memorabili hoſtilis exercitus, qui anno Chriſti 1 3 6 7. ibidem fœde periit. Situm Blexhemum in extimâ orâ Viſurgis, vbi flumen in æſtuaria ſe fundere latius, ac Ruſtriæ oram ſubmouere in Corum incipit: vnde traiectus eſt frequens & commodus in agrum VVordenium ad orientem fluminis poſitum. Ex Iadæ orâ, vbi Ecquardia eſt, in hunc vicum Viſurgi accubantem, quatuor horarum iter expedito & properanti patet. Hæc longitudo Butiadiæ ab occaſu in ortum porrecta. Idem Ecquardiæ in ortũ brumalẽ poſitũ eſt Stolhamũ, & poſt Stolhamum Abbehuſa, cuius parœciæ vicus Ellingſvordius viſurgim quoq; attingit, Blexhamo auſtralior. Et in eadẽ vicinia vicus alius Atens: iuxta quẽ Freburgũ olim à Bremenſib. cõditũ in cõfinibus Butiadarũ & Stadlandorũ, quos Hetha amniculus exilis, aut riuus diſterminat, ad vtroſq; in obſequiũ cogendos. Stadlandi Butiadis ſunt ad auſtrũ, eiuſdẽ Viſurgis accolæ, & ab occidẽte à Iada preſſi, & magis etiã quam illi ab eo arctati. In his primũ occurrit Enſeshamũ vicus fano inſignis, Abbehuſios, quos in Butiadia dixi, ad boreã intuens: dein in meridiẽ Rodenkerka, cuius fanũ ſæpe ab armatis inſeſſum, & in modũ caſtelli munitũ: locus vltimi certaminis Ruſtrorũ pro libertate, multo eorũ ſanguine fœdatus: Stadlandi.

datus: post Rodenkerkam in austrum similiter nō procul Visurgi Golsvverda parœcia non ignobilis, quæ ad solam occidentem intuetur Ouelgumam arcem Comitis Oldenburgici, ad initium regionis structam, velut frenum toti Rustriæ Transiadanæ impositum. Vltra est Hammelvvorda sed nescio Stadlandicine an Stedingici iuris, & post eam Elsfleta propè confluentem Huntæ & Visurgis fluminum, quæ sine dubio Stedingiorum est. Statlandi in longum porriguntur à Butiadis in finem austrinum itinere horarum quatuor, in latum patent spacij eius semisse. Paret tota hæc Rustriæ regio à traiectu Iadæ in Stedingios vsq; Comiti Oldenburgio: quanquā in tabulis Friderici III. Imperatoris cum Rustriâ Cisiadanâ, Ostringiâ, Vangriâ, Harlingiâ, in quibus Ieuera, VVitmunda, Esena sunt, Vlrico I. Comiti Frisiæ Orientalis, & Domini eius in feudum sit aßignata, eaq; aßignatio tabulis sequentium Imperatorum omnium confirmata. Sed quâ vi, quo iure partes hæ omnes, paucis exceptis, à domo eiusdem Vlrici, & Comitatu Frisiæ Orientalis iamdudum recessere. Stedingios, qui in orâ Visurgis sequuntur, & quondam inter Frisios Rustros censi quoq; fuere, sed nunc Oldenburgijs etiam ab aliquod sæculis adscripti, & cæteros, qui trans Visurgim sunt Frisici sanguinis & nominis, hic dicere non libet. Non enim pertinent vllo modo ad præsens institutum. Hanc omnem regionem quam descripsimus hactenus, ostijs Amasi & Visurgis terminatā insulæ à latere boreo præcingunt contra Oceanum, Brocumum, Iusta, Nordernela, Balteringa, Langerôga, Spikerôga, VVangerôga:

Stedingij.

ga: inter quas & continentem maris æstuaria se fundunt, latitudine diuersâ, latißima verò simul & profundißima, quâ Borcumum, deinde quâ Iusta se porrigunt: quarum illud ad 10. hæc ad 6. pass. millia plus minus à continenti abcedunt: reliquæ interuallo multò minore, & ex his Norderneia & Balteringa minimo, ac vt plurimum cum maris æstus recessit, vadoso, sæpe etiam ab aquis prorsum relicto. Harum insularum prima quatuor Frisiæ Orientalis Comiti, Langeroq; Esenæ & VVitmundæ Domino, reliquæ Dynastæ Ieuerano parent. Omnes maximâ sui parte steriles, singulis vicis aut viculis habitatæ: omnes item boreo latere perpetuos arenarum colles, velut vallum quoddam contra Oceanum erigunt: quibus angusta planicies herbis aut gramine vestita ad meridiem secundum vada porrecta subiacet, ui pastus paucorum pecorum. Ipsi verò colles caueis pleni cubilia ermenlis quorum incredibilis illic copia est, præbent sed venatus eorum insulanis hominibus vetitus, reseruatus solis insularum Dominis, & eorundem præfectis, Insulani ex naufragijs, & piscationibus fere victitant, & tenui prouentu pecudum: alium quæstum ignorant. Notdorneia ad finem occiduum Busa tribus tantum collibus se efferens, Spikerôga Oga angustiæ paris ad finem eius ortiuum, vix insularum nomine dignæ, & prorsum sine hominum incolatu solis verò auibus maritimis habitata adhærent. Post VVangerogam insularum huiusmodi nihil est in Albis ἐκβολὴν vsq;

—Nihil

——Nihil est, toto quod constet in orbe,
Cuncta fluunt, omnisq; vagans formatur imago,
Ipsa quoque aßiduo labuntur tempora motu
Non secus ac flumen.

Ouidius 15. Metamorph.

Sic omnia verti
Cernimus, atq; alias assumere robora gentes,
Concidere has: sic magna fuit censuq;, virisq;,
Perque decem potuit tantum dare sanguinis annos,
Nunc humilis veteres tantummodo Troia ruinas,
Et pro diuitijs tumulos ostendit auorum.
Clara fuit Sparte, magnæ viguere Mycenæ,
Nec non & Cecropis, nec non Amphionis arces,
Vile solum Sparta est, altæ cecidere Mycenæ.
Oediopodioniæ quid sunt nisi nomina Thebæ?
Quid Pandioniæ restant nisi nomen Athenæ?

Idem ibid.

NOMI-

NOMINA VICORVM, ET LOCORVM, QVOS DVLlartus sinus hausit.

AD OCCIDENTEM EAE amnis.

VVester Reida, in cuius reliquijs nunc castellum militare.
Tysvveer.
Soxumervvolde.
Hermenvvolde.
Soxum.
Stocdorp.
Santdorp.
Aickevveer.
Evvelvveer.
Hokelsum.
VVundeham.
Golthorn.
Assock.
Beerte.
Olt-Ezterhuis.

INTER EAM ET TIAMMAM amnes, itidem ad Occidentem Eæ.

REIDERWOLDE, vbi duo templa, in quorum altero Canonicatus: vicus maximus. *Palmaer*, Cœnobium præmonstrat.

Cap-

Cappeldebeerda.
Ockevveer.
Vinelham.
Torperen.
Meerhusen.
Hovvingagast.
Ostfinservvolt.
Stoesterhuis.


AD ORIENTEM EAE.

Berum.
Fletum.
Wilgum.
Ludgerskerk.
Liede.
Oster REIDE, cum cœnobio monialium.
Petersvvold.
Beda.
Thorum, *forum egregium.*
Vterpavving.
Duuelee.
Vterbeerde.
Osterbeerde.
Hommigeham.
Bleyham.
VVinnemere.
Harkeborch.
Megenham.
Medum.
Exterhuis.

DE

DE ORIGINE ET ANTIQVI-
TATIBVS
FRISIORVM
CONTRA
SVFFRIDI PETRI ET BER-
NARDI FVRNERII FABV-
las & criminationes

Perspicua & solida veritatis assertio.

NIXVS *tandem est, si placet Dijs, quod totum iam triennium contra me parturiuit* BERNARDVS FVRMERIVS *quidam, qui Ordinum Frisiæ Historicum nominat: & cum eo simul abortiuum ac posthumum partum* SVFFRIDI PETRI *in eundem quoq; me, à me autem susceptum fotumq; extrusit in lucem. Opus vtrunque dignum autoribus suis; ac animi ipsorum quasi typus. Qui dum me conuiuijs & opprobrijs voluerunt conspuere, ac famam meam lacerare, vt in odio me ponerent omnium, ipsi se ac turpitudinem suã imprudentes, apud omnes bonos & rectè iudicantes* ἐξεθεάτρισαν, *suoq; illo conatu plus sibi verè quàm*

Causa exposita huius libri scribẽdi.

mihi

mihi nocuerunt. Deinde argumentis v, i sunt, hic illic inter conuitia frequentia interspersis, tam futilibus & ineptis, vt risum dotiùs hominum sanâ mente præditorum quàm assensum mereantur. Itaq; ad me quantum attinebat, ne respondendum quidem, tempusq; superuacaneo labore perdendum putabam. Sed iudicarunt aliter amici quidam viri graues, qui existimarunt inania ista & maledica apud imperitos saltem & credulos, ac rei ignaros, aliquem locum inuentura, FVRMERIVMQVE silentium meum pro victoriâ suâ habiturum, & triumphos cantaturum inter & apud suos. Quorum amicorum rationibus cedens respondere quidem statui, sed & breuiter & modestè, ne & temporis iacturam maiorem quàm pro re facerem, & eâdem illâ notâ, quâ illi inusserunt sibi, inquinarẽ quoq; famam & existimationẽ meam, deniq; vt ostenderem quantò causa mea iustior & sententia verior sit quàm ipsorũ, cum iustitia & veritas haud opus habeant ad defensionem sui, aut verbis multis, aut acerbis maledictis, causa aũt iniqua & falsa sententia his opus habeant. Antequam verò respondere incipio, quæ occasio aut causa aduersarijs his fuerit in me sese incitandi succinctè exponam, vt eo fonte aperto tantò rectiùs inter nos diiudicare Lector poßit. Cùm ad scribendam historiã nostratem eâ occasione & mente me cõtulissem, quas in epist. ad. Dec. præfixâ ad Generosum Comitem ENNONEM exposui, & iam sy uã rerum amplã cõgestam, magnáq; parte digestam haberem, de SVFFRIDO inaudij, eum quoq; eidem se studio

Expositio causæ quib. motus Suffr dus in m...edicentia ntra Vbbomem Emmium exurserit.

dio

dio dedisse. Tantùm verè abest, vt aduersum id mihi fuerit, vt ab amico eius & necessario Seuerino Medico celeberrimo, inter quem & ipsum literæ commeare solent, Emdæ, vbi tùm agebat, & mecum notitiam contraxerat, rogatus pagellas ei aliquot laboris mei exscriptas legendas dederim, velut operis specimen, permiserimq; vt eas ad SVFFRIDVM ab humanitate prædicatum transmitteret. Deinde cognoui, libros à SVFFRIDO editos de Origine Frisiorum, auidoq; studio eorum copiam paraui mihi, & à capite ad calcem eos perlegi. Miratus sum non indocti, nec copiâ sermonis idonei destituti hominis industriam, quam præfatio & primæ disputationes præferebant: sed in origine gentis ex Indiâ à temporibus Alexand. Macedonis petitâ, & primorum illorum temporum & rerum delineant serie, non minùs sum iudicium eius hallucinans miratus, in eoq; penè obstupui. Non enim intelligere otui, quomodo in tam eruditum ingenium tantus iulicij defectus, & tam inanium & absurdarum opinionum seria & cõstans assertio possent cadere. Videbam nim ponere eum ea, quæ non solùm hactenus receptis actißimis hominum omnium, & quidem eorum maimè, qui emunctæ naris sunt ac fuerunt, sententijs, è iametro sunt contraria, sed etiam quibus si fidem adibuerimus, cogamur vel inuiti probatißimis quibusq; utoribus veteribus & indubitatæ historiæ antiquæ fiem derogare. Ex hac autem editâ operis parte cùm liquæ haud re æstimarem, atq; interea ad publicanam primam Decadem meam accingerer, secutus

curuat nullis præcincta insulis: Atq; illis inter ora fluminum latissima, non minus 10. pass. 1000. spacium tenens, vbi in meridiem descendit, pressantibus vtrimque ripis adductior: In duas partes diuiditur hodie. Superiora & litorum extima in boream multoq; fœcundissima Butiadæ tenent proprio nomine sic vocati, id est, ac si dixeris Extraiadani, porriguntur q; inter Iadam & Visurgim in Hethæ riuuli alueum, flumen vtrumq; coniungentem. Reliqua Stadlandi, eiusdem sanguinis & iuris populus, occupant longo secundum Visurgim tractu, donec Marinnios attingant. In Butiadia parecia sunt hodie 10. quarum singulæ singulos vicos habent cum fanis & plures alios sine fanis. Vicorum primus cũ fano ad Iadæ traiectum ex orâ Heppenensi est Ecquerdia: eiq; proxime vicinus Mẽmoburgius. Ab Ecquardia verò in ortum solstitialem sequitur Tossena: atq; hinc porrò in eandem plagam Langoworda, cuius parœcia quondam maxima, ni fallor, totius Rustriæ magnum numerum vicorum minorum complexa, & fanis olim ornata tribus, extensa tunc boream versus ad arcem vsq; Mellumanam iamdudũ fluctibus obrutam procul litore, quâ nunc vada se pandunt: ex vicis illis iam reliqui 12. templum vnum, sed grande. Hic natus est magni nominis Theologus amicus noster Sibrandus Lubbertus, lumen & columen Academiæ Frisiorum, quæ est Franekeræ. A Langowordâ deinde in ortum Burhaua iacet, vicus freques, nundinationibus celebris, in cuius parœciâ vicus alius est Sillens nomine, fano carens, vbi sedem domicilij habuit Sibetus Lubbonis F. auus eiusdem amici nostri,

Butiada

bono

bono genere ortus, à quo ille vti genus & fortunas, ita nomen accepit. Burbauam in ortum æstiuum excipit VVaddena, & post VVaddenam in ortam æquinoctialem Blexhemum vicus Rustriæ antiquissimum, in ripâ Visurgis fl. nobilis morte primi Bremensium Archiepiscopi VVillehadi, qui floruit cum Carolo Magno Imp. nobilios cæde memorabili hostilis exercitus, qui anno Christi 1367. ibidem fœde periit. Situm Blexhemum in extimâ orâ Visurgis, vbi flumen in æstuaria se fundere latius, ac Rustriæ oram submouere in Corum incipit: vnde traiectus est frequens & commodus in agrum VVordenium ad orientem fluminis positum. Ex Iadæ orâ, vbi Ecquardia est, in hunc vicum Visurgi accubantem, quatuor horarum iter expedito & properanti patet. Hæc longitudo Butiadiæ ab occasu in ortum porrecta. Idem Ecquardiæ in ortū brumalē positū est Stolhamū, & post Stolhamum Abbehusa, cuius parœciæ vicus Ellingswordius visurgim quoq; attingit, Blexhamo australior. Et in eadē vicinia vicus alius Atens: iuxta quē Freburgū olim à Bremensib. cōditū in cōfinibus Butiadarū & Stadlandorū, quos Hetha amniculus exilis, aut riuus disterminat, ad vtrosq; in obsequiū cogendos. Stadlandi Butiadis Stadlandi. *sunt ad austrū, eiusdē Visurgis accolæ, & ab occidēte à Iada pressi, & magis etiā quam illi ab eo arctati. In his primū occurrit Ensehamū vicus fano insignis, Abbehusios, quos in Butiadia dixi, ad boreā intuens: dein in meridiē Rodenkerka, cuius fanū sæpe ab armatis insessum, & in modū castelli munitū: locus vltimi certaminis Rustrorū pro libertate, multo eorū sanguine fœdatus:*

datus: post Rodenkerkam in austrum similiter nō procul Visurgi Golsvverda parœcia non ignobilis, quæ ad solam occidentem intuetur Ouelgumam arcem Comitis Oldenburgici, ad initium regionis structam, velut frenum toti Rustriæ Transiadanæ impositum. Vltra est Hammelvvorda, sed nescio Stadlandicine an Stedingici iuris, & post eam Elsfleta propè confluentem Huntæ & Visurgis fluminum, quæ sine dubio Stedingiorum est. Statlandi in longum porriguntur à Butiadis in finem austrinum itinere horarum quatuor, in latum patent spacij eius semisse. Paret tota hæc Rustriæ regio à traiectu Ladæ in Stedingios vsq; Comiti Oldenburgio: quanquā in tabulis Friderici III. Imperatoris cum Rustriâ Cisiadanâ, Ostringiâ, Vangriâ, Harlingiâ, in quibus Ieuera, VVitmunda, Esena sunt, Vlrico I. Comiti Frisiæ Orientalis, & Domini eius in feudum sit aßignata, eaq; aßignatio tabulis sequentium Imperatorum omnium confirmata. Sed quâ vi, quo iure partes hæ omnes, paucis exceptis, à domo eiusdem Vlrici, & Comitatu Frisiæ Orientalis iamdudum recessere. Stedingios, qui in orâ Visurgis sequuntur, & quondam inter Frisios Rustros censi quoq; fuere, sed nunc Oldenburgijs etiam ab aliquod sæculis adscripti, & cæteros, qui trans Visurgim sunt Frisici sanguinis & nominis, hic dicere non libet. Non enim pertinent vllo modo ad præsens institutum. Hanc omnem regionem quam descripsimus hactenus, ostijs Amasi & Visurgis terminatā insulæ à latere boreo præcingunt contra Oceanum, Brocumum, Iusta, Norderneia, Balteringa, Langerôga, Spikerôga, VVangerôga:

Stedingij.

ga: inter quas & continentem maris æstuaria se fundunt, latitudine diuersâ, latißima verò simul & profundißima, quà Borcumum, deinde quâ Iuista se porrigunt: quarum illud ad 10. hæc ad 6. pass. millia plus minus à continenti abcedunt: reliquæ interuallo multò minore, & ex his Norderneia & Baltcringa minimo, ac vt plurimum cum maris æstus recessit, vadoso, sæpe etiam ab aquis prorsum relicto. Harum insularum prima quatuor Frisiæ Orientalis Comiti, Langeroga Esenæ & VVitmundæ Domino, reliquæ Dynastæ Ieuerano parent. Omnes maximâ sui parte steriles, singulis vicis aut viculis habitatæ: omnes item boreo latere perpetuos arenarum colles, velut vallum quoddam contra Oceanum erigunt: quibus angusta planicies herbis aut gramine vestita ad meridiem secundum vada porrecta subiacet, ni pastus paucorum pecorum. Ipsi verò colles caueis pleni cubilia ermenlis quorum incredibilis illic copia est, præbent sed venatus eorum insulanis hominibus vetitus, reseruatus solis insularum Dominis, & eorundem præfectis, Insulani ex naufragijs, & piscationibus fere victitant, & tenui prouentu pecudum: alium quæstum ignorant. Nordorneia ad finem occiduum Busa tribus tantum collibus se efferens, Spikeroga Oga angustiæ paris ad finem eius ortiuum, vix insularum nomine dignæ, & prorsum sine hominum incolatu solis verò auibus maritimis habitatæ adhærent. Post VVangerogam insularum huiusmodi nihil est in Albis ἐκβολὴν vsque

Nihil

——Nihil est, toto quod constet in orbe,
Cuncta fluunt, omnisq; vagans formatur imago,
Ipsa quoque assiduo labuntur tempora motu
Non secus ac flumen.

Ouidius 15. Metamorph.

Sic omnia verti

Cernimus, atq; alias assumere robora gentes,
Concidere has: sic magna fuit censuq;, virisq;,
Perque decem potuit tantum dare sanguinis annos,
Nunc humilis veteres tantummodo Troia ruinas,
Et pro diuitijs tumulos ostendit auorum.
Clara fuit Sparte, magnæ viguere Mycenæ,
Nec non & Cecropis, nec non Amphionis arces,
Vile solum Sparta est, altæ cecidere Mycenæ.
Oedipodioniæ quid sunt nisi nomina Thebæ?
Quid Pandioniæ restant nisi nomen Athenæ?

Idem ibid.

NOMI-

NOMINA VICORVM, ET LOCORVM, QVOS DVLlartus sinus hausit.

AD OCCIDENTEM EAE amnis.

VVester Reida, in cuius reliquijs nunc castellum militare.
Tysvveer.
Soxumervvolde.
Hermenvvolde.
Soxum.
Stocdorp.
Santdorp.
Aickevveer.
Evvelvveer.
Hokelsum.
VVundeham.
Golthorn.
Assock.
Beerte.
Olt-Ezterhuis.

INTER EAM ET TIAMMAM amnes, itidem ad Occidentem Eæ.

REIDERWOLDE, vbi duo templa, in quorum altero Canonicatus: vicus maximus. *Palmaer*, Cœnobium præmonstrat.

Cap-

Cappeldebeerda.
Ockevveer.
Vinelham.
Torperen.
Meerhusen.
Hovvingagast.
Ostfinservvolt.
Stoesterhuis.

AD ORIENTEM EAE.

Berum.
Fletum.
Wilgum.
Ludgerskerk.
Liede.
Oster REIDE, cum cœnobio monialium.
Petersvvold.
Beda.
Thorum, *forum egregium.*
Vterpavving.
Duuelee.
Vterbeerde.
Osterbeerde.
Hommigeham.
Bleyham.
VVinnemere.
Harkeborch.
Megenham.
Medum.
Exterhuis.

DE ORIGINE ET ANTIQVI-TATIBVS FRISIORVM CONTRA SVFFRIDI PETRI ET BER-NARDI FVRNERII FABV-las & criminationes

Perspicua & solida veritatis assertio.

ENIXVS *tandem est, si placet Dijs; quod totum iam triennium contra me parturiuit* BERNARDVS FVRMERIVS *quidam, qui Ordinum Frisiæ Historicum nominat: & cum eo simul abortiuum ac posthumum partum* SVFFRIDI PETRI *in eundem quoq; me, à me autem susceptum fotumq; extrusit in lucem. Opus vtrumque dignum autoribus suis, ac animi ipsorum quasi typus. Qui dum me conuiuijs & opprobrijs voluerunt conspuere, ac famam meam lacerare, vt in odio me ponerent omnium, ipsi se ac turpitudinem suã imprudentes, apud omnes bonos & rectè iudicantes* ἐξεθεάτρισαν, *suoq; illo conatu plus sibi verè quàm*

Causa exposita huius libri scribendi.

mihi nocuerunt. Deinde argumentis v, i sunt, hic illic inter conuitia frequentia interspersis, tam futilibus & ineptis, vt risum doctius hominum sanâ mente præditorum quàm assensum mereantur. Itaq; ad me quantum attinebat, ne respondendum quidem, tempusq; supernacaneo labore perdendum putabam. Sed iudicarunt aliter amici quidam viri graues, qui existimarunt inania ista & maledica apud imperitos saltem & credulos, ac rei ignaros, aliquem locum inuentura, FVRMERIVMQVE silentium meum pro victoriâ suâ habiturum, & triumphos cantaturum inter & apud suos. Quorum amicorum rationibus cedens respondere quidem statui, sed & breuiter & modestè, ne & temporis iacturam maiorem quàm pro re facerem, & eâdem illâ notâ, quā illi inusserunt sibi, inquinarē quoq; famam & existimationē meam, deniq; vt ostenderem quantò causa mea iustior & sententia verior sit quàm ipsorū, cum iustitia & veritas haud opus habeant ad defensionem sui, aut verbis multis, aut acerbis maledictis, causa aūt iniqua & falsa sententia his opus habeant. Antequam verò respondere incipio, quæ occasio aut causa aduersarijs his fuerit in me sese incitandi, succinctè exponam, vt eo fonte aperto tantò rectiùs inter nos diiudicare Lector possit. Cùm ad scribendam historiā nostratem eâ occasione & mente me cōtulissem, quas in epist. r ad. Dec. præfixâ ad Generosum Comitem ENNONEM exposui, & iam sy uā rerum amplā cōgestam, magnáq; parte digestam haberem, de SVFFRIDO inaudij, eum quoq; eidem se stu-

Expositio causæ quib. motus Suffridus in maledicentia contra Vbbonem Emmium exurserit.

dio

dio dedisse. Tantùm verè abest, vt aduersum id mihi fuerit, vt ab amico eius & necessario Seuerino Medico celeberrimo, inter quem & ipsum literæ commeare solent, Emdæ, vbi tùm agebat, & mecum notitiam contraxerat, rogatus pagellas ei aliquot laboris mei exscriptas legendas dederim, velut operis specimen, permiserimq; vt eas ad SVFFRIDVM ab humanitate prædicatum transmitteret. Deinde cognoui, libros à SVFFRIDO editos de Origine Frisiorum, auidoq; studio eorum copiam parâui mihi, & à capite ad calcem eos perlegi. Miratus sum non indocti, nec copiâ sermonis idonei destituti hominis industriam, quam præfatio & primæ disputationes præferebant: sed in origine gentis ex Indiâ à temporibus Alexand. Macedonis petitâ, & primorum illorum temporum & rerum delineant serie, non minùs sum iudicium eius hallucinans miratus, in eoq; penè obstupui. Non enim intelligere potui, quomodo in tam eruditum ingenium tantus iudicij defectus, & tam inanium & absurdarum opinionum seria & cõstans assertio possent cadere. Videbam enim ponere eum ea, quæ non solùm hactenus receptis doctissimis hominum omnium, & quidem eorum maximè, qui emunctæ naris sunt ac fuerunt, sententijs, è diametro sunt contraria; sed etiam quibus si fidem adhibuerimus, cogamur vel inuiti probatissimis quibusq; autoribus veteribus & indubitatæ historiæ antiquæ fidem derogare. Ex hac autem editâ operis parte cùm reliqua haud re æstimarem, atq; interea ad publicandam primam Decadem meam accingerer, secutus

exemplū optimorum scriptorum veterum & recentium, officij mei esse putaui, historiæ nostratis & veritatis studiosos Lectores & errores veritati vim facientes notare ac repellere. Feciq; illud, sed parcè vbi res coëgit, & sine amarulentiâ. De quo ad iudicia sincerorum Lectorum, in quorum manibus libri sunt, prouoco. Libros etiam tres primos, quibus irritata horum hominum bilis est, multis eruditis viris; reliquos sequentes etiam quibusdam antè editionem legendos dedi, vt eorum iudicio firmarem iudicium meum. Deniq; Rado, qui Typographus Ordinum Frisiæ est, partem istam excudendam permittere cum vellem, vt consensum ei impetrarem, Anno 1595. mense Martio, censendam eandem Collegio deputatorum vti vocant, istius prouinciæ, cuius patrocinio mastiges hæ meæ sua maledicta dedicarunt, examinandam exhibui, reliquiq; apud eos ad septimanas aliquot, & demùm examine ab ijs, quibus id commissum, absoluto, cum consensu eius, quod quæsieram, recepi. Quorum si quid negaturus est FVRMERIVS, non deerunt exceptione maiores testes, qui eum confundant. Editâ verò illâ Decade, quæ de studio meo aut conatu secuta multorum iudicia sint vltronea, etiam eorum, qui nunquā me norant antè, ipsa me verecundia prohibet recitare. Sic enim existimaui de ijs, & etiam nunc existimo, quod non alienum à more doctorum, esse magis ad exercitandum in me studium contra labores difficiles, quàm ad id, quod verum hic erat dicendum, ista iudicia comparata: nec vnquam ita mihi excidi, in

eamve temeritatem incurri, vt huiusmodi laudibus me æstimare illâ ex parte ausus fuerim. Quod quia aduersarijs meis facere libitum est, lubens ego hunc morem illis relinquo, qui elicitis huiusmodi præconijs, & vndequaq; corrogatis, titillant sese & inflant, & eorum recitatione velut explicatis militaribus vexillis, quasi planè victores, triumphum agunt. At verò SVFFRIDVS vbi eam Decad. ipse etiam accepit, legit, suas fabulas ab se studio & arte computas & venditatas pro veris, vanitatis coargui, ac se reprehendi vidit, Deus bone, quàm commota in homine sene bilis est! quàm in eo efferbuit ira! quantos animi eius tumultus dedit! vt mihi optandum tùm non fuerit, apud ipsum iudicem capitis causam dicere. Etenim post longos in hoc studio labores, cum editis illis Originibus suis, quod diu quæsiuerat, amicorum ope ac intercessione, & precibus aßiduis tandem Historicus Ordinũ Frisiæ designatus, & 300. insuper aureorum stipendio annuo ornatus, id est, honore & pecuniâ ab ijsdem Ordinibus auctus esset, metuit homo senex & sollicitus, quanquam sine causâ, ne quid sibi ex hisce studio meo fortè deflueret, præsertim cum ab Ordinum eorundem Typographo librum meum videret esse impressum. Ad hæc, quòd litem à me moueri fabulis suis, & vanitatem earum notari cerneret, quas ipse velut in poßessione opinionis veri se scriptis suis penè collocasse, eoq; modo fundamentum cæteris commendationibus, aut narrationibus secuturis iecisse iam rebatur, perinde ac si maiestas summi principis à me esset læsa, ferendũ

haud putauit totusq. vt sunt senes irritabiles, reprehensionum impatientes, de honore suo ac gloriâ solliciti, in iram exarsit. Itaq. abiectis quæ in manib. erant, & correpto calamo ad scribendum cõtra me & parentandum dolori suo, vt erat bile cõmota, prosiluit. Hinc illa tam multa, sine numero & modo stipata, ac penè continua, tam acerba & contumeliosa in me, argumentorum loco, in toto scripto egesta conuitia: omnia in quæ incurrit impetus eius, magna, parua, minima, admorsa, vt dum ista scripsit, mente motâ fuisse videri possit. Hæc SVFFRIDO causa: qui priusquam pertexuisset telam cœptam, è vitâ decessit. FVRMERIVS diu successioni in locum demortui inhians (cætera non dico, quæ possem plurima, si vellem dolorem ei facere, & vera & nota, qui falsa ab eo passus sum) tandem importunis sollicitationib. impetratâ aut extortâ re, cùm ab Ordinibus Coloniã esset missus, vt chartas SVFFRIDI à moriente cum ære alieno testamẽto ijsdem Ordinibus legatas, in Frisiam transferret, inter has abortiuum quoq. hunc & posthumum fœtum inuentum secum retulit in patriam. Quem vt emitteret in lucem auctum Peroratione suâ, & Epistola mordace in fronte ad Delectos Patres patriæ præfixâ, his rationibus est commotus. Primùm quòd successor SVFFRIDO datus esset, eius se scripta, & ab eo iacta historiæ fundamenta tueri oportere putauit. Sic enim ipse in Epistolâ præliminari est testatus. Deinde cùm nõ displicere nonnullis nostra etiam istic in patriâ suâ intelligeret, atq. eo fortaßis statui suo inaniter & sine

Causa quæ Furmerium similiter in autorem incitarunt.

causâ

causâ metueret, odium in me concepit non dicto, non facto, non vllâ omninò re à me læsus, idq́ odium infamis libri publicatione explendum sibi ratus fuit. Accessit, quòd ab ipsis suis monitus, vt ederet aliquid, demonstraretq́, non incertum se degere, absumentem modò stipendium, imparatus autem ipse à labore suo, hoc arripuit potissimùm ex SVFFRIDI *scriptis, quod minimâ cura ac studio absoluere, & protrudere in lucē se posse, & simul actū maximè rebus suis esse arbitraretur. Postremo hoc agentē, inuisum ipsi carmē secundæ præfixum Decadi à Clarissimo viro* D. S. BRANDO LVBBERTO *scriptum incēdit acriùs, & quòd illustri nobilitate & summâ inter* ✠ *atauos eruditione ac rerum peritiâ in Analib. suis, nescio me, de me scripsit,* IANVS DOSA *senior, id tùm planè egit præcipitem, furijsq́ impleuit & irâ. Itaq́, denigrādum me, quantum viribus ingenij sui consequi posset, assumptis in auxilium* SVFFRIDI *demortui manib. & in me velut è sepulchro resuscitatis, suscepit. Et cum totum triennium penè in eâ re desudasset, tandem hoc opus ingens, & tanto dignum labore, & triennij stipendio extrusit, animiq́ sui characterem haud probatum bonis & doctis prodidit. Quippe qui maledicendo, mentiendo, calumniando, laudem sibi, & mihi infamiam quærat: Quod eorum est proprium, qui famā sectantur, suâ aūt virtute ad eam eniti nequeunt. Hactenus de causis quæ mastiges meas ad me flagellādum excitarunt. Nūc de ipsa re, quæ est inter me &* SVFFRIDVM *ac ipsius* ὑπερασπιστὴν FVRMERIVM *controuersâ & breuissimè & simplissimè, vt Lector eam nu-*

Pag. 78.

Ad statum controuersiæ accessio.

 dam

dam aſpicere. & rectè diiudicare poßit. Quod vt aſſequar, miſſa mihi veſtigia illorum facienda: quæ ſi ſequi vellem, ac multiloquium eorum putidum, inane, maledicum, quo quaterniones amplius quàm viginti, id eſt, totum volumen impleruut, retexere, & conuicijs vbiq; reſpondere, non ſolùm in inuiſam & inutilem, ſed etiam in cõfuſam inciderem prolixitatem, & fieret diſputatio noſtra muliebris iurgij, quàm actionis ad verũ aperiendum inſtituta multò ſimilior. Et quidem primùm agã cum SVFFRIDO. *Is partim in Originibus ſuis, partim in ſtrenâ ad Ordines Friſiæ anno 1591. miſſâ, itemq; in Decadibus Scriptorum Friſiorũ, atq; in hac contra me editâ infani & virulentâ Apologiâ, partim etiam in ijs, quæ ex manuſcriptis cõgeſſit ſed nondum edidit, nouam nobis veritatem cõditurus in Hiſtoriâ noſtrate, poſtpoſitis omnibus quæ hactenus receptæ fuêre, ſententijs, contra veterum ſcriptorum fidem, conditores gentis noſtræ Indos fuiſſe, & ex eâ regione à morte Alexand. Mag. in has terras maritimas vbi nunc Friſia eſt, veniſſe. contendit; archegum Coloniæ ex Indiâ deductæ* FRISONEM *nuncupat: eius maiores & familiæ ſeriem ex Semo filio Noha deducit: Ex Semo enim Arphaxadum, ex eo Salemũ, ex hoc Hebrum, ex Hebro Phalegum, ex Phalego Ragauum fuiſſe: ex Ragauo porrò recto ordine deſcendiſſe* ADELEM *patrem Friſonis: Rogauum autem à Semo atauo pro ſe & poſteris ſuis in diuiſione terrarũ regnũ accepiſſe in Ind. parte, quæ ex cõſecratione Semi nomẽ obtinuerit* Benedictæ Friſiæ, *ab indis verò Palibothra,*

Suffridi ſententia & ſeries rerũ ab eo narratarũ recitata & poſita ob oculos.

thra, à Græcis Prasia, (hoc nomen ad Frisiæ vocem alludens cõmodum visum fabulatori texendæ fabulæ) sit nuncupata, habueritq́; vrbem regiã sibi cognomen: eidemq́; Ragauo ab Semo in autoramentũ regiæ Maiestatis perpetuum, coronam chalibeam, & vexillum rubrum incomparabili præditum virtute, esse collata, simul aut symbola hac essent eadem commisse & libertatis & fortitudinis curæ: & Semum quidem à parte Noha iussum, ex Indiâ, in quâ sedem habuerat aliquandiu, in Syriam in Palestinam reuertisse. Ragauum verò regnum Benedictæ Frisiæ diu tenuisse, & posteros eius: posterorumq́; successus in antiquis codicibus historiæ Frisicæ, & ipsis vetustißimis gentis archiuis esse expositos: tandẽ post sæcula multa versam fortunam, regnumq́; posteris amissum: in his Principem ADELEM *ab Agramme Tyranno possesßione sceptri exclusum cum tribus filijs* FRISONE, SAXONE, BRVNONE *exulem Athenas conceßisse: illic Frisonẽ filiorum natu maximum Platonem Philosophum aliquandiu docentem audiuisse, deinde militiæ se dedisse sub Philippo Macedone, & ab eius morte sub filio eiusdem Alexandro Magno: sub quo cum nomen suũ clarum fecisset, matrimonium inijsse cum Hillâ virgine Macedoniâ Agathocle nata, filio Lysimachi, cuius celebre nomen est inter duces & successores Alexandri, & ex eâ genuisse filios septem & filiam vnam: eũdem Alexandro in Asiam profectum redisse in Indiam, fortemq́; operam toto eo bello regi nauasse, Indiæq́; magnâ parte subacta in præsidio illic ad montes Emodios*

De Frisone conditore Frisiorum ex India ortum de.

esse constitutum: deinde mortuô iam Alexandro, cum Sandrocottus Indus à Macedonibus defecisset, & præsidia passim locis deiecisset, ipsum quoque hunc Frisonem inuidiâ militiæ Macedonicæ laborantem, ac sibi metuentem cum fratribus duobus & amicis præsidio decedere coactum, & ex præsidij loco acceacceptâ dataq; fide publicâ, in patriam suam Benedictam Frestam reuersum, omnes ob eãdem suspicipionẽ recuperandi regni ab Agramme ostracismo excedere prouinciâ iussos, permissu eiusdẽ Agrammis, sibi comites adsciuisse CORONA & VEXILLO à Semo consecratis, cum comitibus his ac amicis, & vtroq; fratre, Indiâ egressum, ac varijs iactatum casibus in AEgyptum ad Ptolemæum Lagi, inde post aliquod tempus ad prosocerum Lysimachum in Thraciam penetrasse: illic contractâ cum Germanis notitiâ, Germaniq; cõditione exploratâ, cum fat socero prosoceroq; esset datum, paratâ classe, enauigatoq; mari Mediterraneo, ac freto Herculis superato, atq; inde in Septentrionem cursu verso, Hispaniâ, Galliâq; præteritis ad hanc demum oram Germaniæ Boream, vbi nunc Frisiæ nomẽ valet, appulisse, & fleui ostia subuectum sedem cœpisse, excitataq; Stauo idolo suo æde, fundamenta vrbis Staueranæ, confugium in omnes casus, absentibus fortè Sueuis incolis iecisse: Ex eâ sede cum suis progressum proxima queq; in litore Ortum versùs inuasisse, Sueuisq; & Alanis longo tractu submotis regionem occupasse, occupatamq; contra hostes omnes per annos 13. defendisse fortiter. Tum crescente supra quàm regio posset alere, sobolis multitudine, fratres Saxonem & Bru-

Indorum aduentus in Frisiam. STAVVM idolum. STAVERA vrbs.

Brunonem *certis pactis obligatos cum copiis magnis dimiſiſſe à ſe: eos Fleui oſtio cum claſſe egreſſos, poſtquam* Hadeleriam *attigiſſent, oſtium Albis ſubuectos, & vt fratri liberisq́; eius & pacto littoris oram in Danos vſq; liberam relinquerunt, in Mediterranea progreſſos, expulſis illic quoq; habitatoribus Sueuis ac Vandalis, aut ſibi parere coactis, circum Albim, alterum circum Viſurgim agros cœpiſſe, & gentes ſibi cognomines* Saxonicam *&* Brunſuigiam *condidiſſe: Friſonem dehinc fratribus dimiſsis, totoq́; iam litore longiſsimo, quod à Fleuo in Danos porrigitur, in poteſtatem redacto, hoc ipſum in ſeptem partes, quas Selandias dicebat, pro filiorum numero diuiſiſſe.* Adeli, *primogenito Occidentalem ad Fleuum,* Vithoni *ſecundo Orientalem Danis finitimam, cæteras cæteris curandas aſsignaſſe, ipſum in medio totius ad Viſurgim ſedem ſibi delegiſſe, ibiq́; filiam ipſi natam, atq; ex eo, quod mater Hilla in partu eſſet extincta.* Witmodam *nominatam, nomenq́; illud agro eidem, quem pater filiæ dederat, eſſe impoſitum: ad hæc regionem hanc omnem maritimam in ſeptem diœceſes diuiſam ex ſuo nomine* Friſiam, *& populum* Friſium *dixiſſe, hunc præclaris legibus & inſtitutis excoluiſſe, illam aggeribus contra vim Oceani & fluuium muniuiſſe, & aquarum clauſtris ad exitus riuorum inſtruxiſſe: ædificiis auxiſſe, agros ante incultos cultiſsimos reddidiſſe, cum Ordinibus totius germaniæ pactum iniiſſe, & fœdus percuſsiſſe perpetuum; ex quo fœdere pactoq́; ei commendatam* tutelam

Inſtituta & leges & acta Friſonis.

Fœdus Friſonis cum Ordinibus Germaniæ.

tutelam litoris contra prædones, ac hostes, ac itinera commeantium terra mariq́; curam aggerum contra maris vim infestam media penè Germaniæ, itẽ viarũ terrestrium ad commeantũ cõmodũ, cum cõmeatu & dispositis præsidijs: ipsi vicißim pro his αὐτονομίαν, *& libertatem cum multis immunitatibus esse in perpetuum concessas: inter leges Salicam tanquam atriensem aut aulicam, pacis iura complexam; tùm* Riduariam, *velut equestrem (sic libuit corrumpere vocem* Ripuariæ, *in Germanicâ antiquitate celebris.)* Schipuariam *quasi naualem, ad militiam & ius armatum pertinentem (credo præcepta Platonica secutum) eruditè accurateq́; scripsisse, feudorum vsum in inuentum primũ à sese introduxisse, feudaq́; fidißimis & fortißimis suorum tribuisse: è filijs Scoltonem iudicijs Criminalibus, ac legi Riduariæ, AEsgonem ciuilibus & Salicæ, cæteros alijs munerib. maximis præfecisse: instituto Reipublicæ suæ, iustitiâ, fortitudine, cæteris istuc pertinentibus melioribus quàm tum vicinorum populorũ ratio ferebat, in admirationẽ sui omnes Germanos atq; alios vertisse, & confluxu multorum; qui institutis huiusmodi delectabantur populũ frequentiorem reddidisse, multa fortiter, multa iustè patrasse, vias imprimis accuratißimâ ratione operibus & præsidijs per totam regionem muniuisse, & cõmeantibus tutas præstitisse: Gymnasia quoq; Græcorum more non solùm militaria, sed etiam literaria aliquot locis, imprimisq́; Stauerꝯ ad Staui fanum exercendæ iuuentuti instituisse: deniq; libros præclaros à se scriptos*

Fabulosum Stauera Gymnasium & Bibliotheca.

ptos de legib. politicis, & iure feudorum ab se reperto, de itinere suo ex Indiâ, de fœdere cum Ordinibus Germaniæ, de diuisione Frisiæ, de aggerũ & viarũ regiarum cura, de testamento suo, eruditione plenos posteris reliquisse. Et hos libros cum alijs literarũ vetustis monumentis & publicis regni actis in Bibliothecâ ab se in eodem Staui fano institutâ consecrasse, moremq́ hunc præclarum successorib. exemplũ imitatis cõmendasse: Et huiusmodi somnia aut commentata totiosi ac vani cerebri alia. Postremò cùm annos 68. Frisiæ suæ præfuisset, in terrâ VVimodiâ ipsum quoq́ diem obijsse. Mortuo Frisone, è filijs septem ADELEM natu maximum illi in principatu successisse circiter annum ante Christum in terris natũ 250. paternas leges sui auctas renouasse fœdera parentis cũ vicinis & sua in literas misisse: cum diu patriæ præfuisset, VBBONEM filium in principatu successorẽ reliquisse virũ eruditi ingenij: eum & multa alia fecisse laude digna, & vitã Frisonis aui sui, & Adelis parentis cõscripsisse prolixè, & integram gentis Frisiæ historiam vsq́ ad annum ante Christum natũ 170. cõpositã ab se, item Vbiorum Coloniã, à se quoq́ deductam, & ex suo nomine nomen ferentem, literis mandasse: hunc porrò in gubernandâ patriâ excepisse ASINGAM ASCONEM eiusdẽ filium, viuẽdoq́ ad annum à Christo ex Mariã nato 11. peruenisse, bella multa cum Batauis, Danis, Tungris, Carolo II. Brabantiæ Duce vario Marte gessisse, in bello Batauico & Brabantino grauiter vulneratum, & in hoc quoq́ captum, sed in gratiam Diocari Sego-

Adelis acta scriptaq́.

Vbbonis acta scriptaq́.

Asinga Asconis res.

nis

nis Frisij, propinqui sui, egregij militiæ ducis, qui olim annos totos sedecim sub Carolo Brabantino stipendia meruerat, & hoc bello abstinuerat. tandem dimissum esse: eius quoque tempore prodigium igniti draconis, de quo in historiâ scripsi, conspectum ad Fleuum. Tum de Saxone & Brunone sic. Saxonem portu in Hadoleria potitum, submodis, vt dixi, Seuias ac Vandalis, agros cepisse vbi nunc Holsatia Citmarsia, Stormaria, eosq; Saxoniam, & populum suum Saxonas appellasse: ex hoc Geroldum filium, ex Geroldo & Engelâ Anguli Sueonis filiâ, Humbli nepte Angulus is Dani frater fuit, ex quo Dani dicti, (si Saxoni Sialandico fides) Sigfridum natum Saxon. Princip. stirpem principis in eâ gente sequentium huiusq; germanam sororem Grytham Vbboni nuptam filio Vithonis Frisone nati Vithonem peperisse Eidorensis agri Dominum, à Frotone I. Daniæ Rege superatum, ac Henricum in nuptijs suis à Gramo Dano interemptum: Ex Vithone Frisonis filio, qui & Iutho alijs, Vithas aut Iuthas esse nuncupatos Cimbricā Chersonesum habitantes, quemadmodum ex Angulo Angulos vel Anglos in eâdem quondam Chersoneso inter Saxones & Vithas seu Iuthas medios, quá nunc ager inter Slesvvicum & Flensburgum in orâ maris Balthici porrigitur, qui post cum Saxonib. Vithis, Frisijs, Hunnis in Brittanniam profecti, imperante Valētiano III. insulæ magnæ parti nomen dederint. Brunonem vero interius ad Visurgim progressum cū suis illic regionem occupasse, & oppido à se condito, totiq; regione & populo nomen dedisse, Virulorū Ostfallorū

De Saxone & Saxonib.

De Brunone & Brunsuigis.

nomina

nomine seculis sequentib. obscuratū. Interea & Grunonem, in Frisia, Frisonis è Gailone filio nepotē erectâ arce Gronenbergiá Groningano vico primùm, deinde oppido initium dedisse circiter annum ante natum Christū 150. Vbbonis patrueli coæuum: Grunonis filium Frisium nomine, Frouvvæ Vbbonis principis filiæ nuptijs auctū, acceptis à socero ac patre copijs ad occidentē Fleui agrum vacuū occupasse, collataq; ibi coloniá nouæ Frisiæ ei nomen dedisse, & vrbē à coniugis nomine primū Froungast, deinde inflexá nōnihil pronunciatione Frongeest nuncupatam (eruditi Veronā dicere mille fere pas. ab eo loco, vbi nūc Alcmaria est, cōdidisse, illam post opibus, & virginū Brittan. cæde nobilē, & ab Holland. Comite Ioan. à 1450. annis demùm funditus euersam: coloniā nouam ab hoc initio sui per 420. annos ab optimatib. imperio aristocratico gubernatā esse, finesq; longissimo tractu occidentem versus per orā maris in Brabantiam & Flandriam protulisse, & defendisse præfectorum operâ: Per eadem tempora, imperante apud Rom. August. Cæs. graue bellum à Fretone III. Danor. rege Frisiæ illarū, Riduariáq; occupatá ipsam pro subactâ habitam teste Saxone Grammatico: eâ necessitate Frisios cōpulsos, cùm simul à Romanis vrgerentur, eorumq; vires sustinere soli non possent, omnibus circum infestis, tandem Romanis se submisisse conditione hac, vti legibus suis vterentur, fraters & amici populi Romani essent, defensionem à Romanis perpetuam haberent, extructo huiusce gratiá castello ad Fleuum flumen: eo nomine tributum annuum modicum penderent, coriæ boum, quanti-

Gruno Groninga conditor.

Verona Frōgeest cōdita.

Frisij Romanis se submittentes tempore Augusti conditionibus optimis.

quantitate incertâ: Ita Rom. quod bello Frisico quæsierant, istinc exercitibus suis aditum in reliquam Germaniã interiorẽ aperuisse: multaq; facili labore deinde in eá subegisse: coriariũ aũt tributum ab Augusto adhuc viuente in pecuniarium librarum auri 20. esse libentibus Frisÿs cõmutatum: Eâ conditione sub tutelâ Roma. nominis sui iuris mansisse gentẽ vsq; in tempora Caroli Mag. At defuncto sine liberis Asinga Asconio, de quo dictum, DIOCARVM propinquũ in locũ eius à populo esse electũ, mortuumq; anno Christi 49:

Diocarus Segon, Princeps Frisiæ.

De Olennio.

Olennium, *de quo apud Tacitum est lib. 4. Frisÿs Occidentalibus à Rom. Præfectum, quem cum Diocaro vixisse, (si vixit quisquã isto tempore Diocarus Frisiæ Princeps) necesse est, (anno quippe Christi 30. armorum causam dedit:) hominem Frisium non Romanum fuisse, & ab Holle voce patriá, quæ caput significat,* Hollium *rectius, id est,* Capitonem *dici à Tacito debuisse, ab eoq; ob calamitates cum tributo irrogatas, partem Frisiæ ad Occidentem solem Olennÿ iniurias perpessam, odioso vocabulo* Hollandiam *tanquam* Holli *terrã à cæteris Frisÿs nuncupari cœpisse: Diocaro in principatu filiũ successisse DIBALDVM Claudÿ Imperat. castra diu secutum, & malo patriæ in Germanos Orientales profectum irritato hac re Daniæ rege: Sub quo Verritum & Malorigem legatos Rom. ad Neronem iuisse à Tacito itidẽ memoratos, ex hisq; Verritum acta legationis suæ & bellum cum Rom. gestũ literis prodidisse, eaq; scripta eius à Cappido quondã Frisio scriptore esse citata: Dibboldo verò*

Dibbaldus, Princeps Frisiæ.

Verritus & Maloriges.

ad

ad annum Christi 85. mortuo, TABBONEM è ducibus armorũ eius suffragijs populi suffectum, Domitiani castra in Chattos secutum, commẽtarios scripsisse de principibus Frisiæ, de posteritate Frisonis, de Frisiorum bellis contra vicinos gestis, à Cappido quoq; citatos, obijsse anno Christi 130. A Tabbone præfuisse deinde Asconium, Adelboldum, Titum Boiocalum, Vbbonem, Haronem, Odilbaldum, Vdolphum Haronem, Engisti & Horsi, inclytorum principum patrem, omnes titulo Ducis: post hos Reges iam numero nouem, Richoldum Vffonem, Odibbaldum, Richoldum 2. Beroaldum, Aldgillum 1. Radbodum 1. Adgillum 2. Gondebaldam, Radbodum 2. cui à Carolo Magno regnum ademptum: cunctos hos post Asingam Asconem Augusti Imp. coæuum, gentis liberæ & summa gloriâ florentis imperium tenuisse, plerosq; etiam Romanis Imperatoribus carissimos & suspiciendos fuisse, inq; horum aulas liberos suos capiendæ disciplinæ causa educandos misisse: non paucos quoq; maximis rebus gestis; quæ strictim notatæ sunt à me in Historia mea libro 3. ab Andrea autem Cornelio fabulatore, quem SVFFRIDVS sequitur, fusè expositæ, & fines imperij protulisse, & magnum sibi nomen peperisse. Imprimis de Engisto & Horso, quorum nobilis fama propter arma Britannica, hoc modo SVFFRIDVS: VVestphalos originis Vandalicæ inter Visurgum & Rhenum oppressis excisisve Chamauis veteribus incolis, sedem habentes, cum vicinis, & confœderatis suis Angriuarijs Odilbaldi Frisiorum

Tabbo princeps Frisiæ eiusque acta & scripta.

Frisiorum Duces & Reges vsq; ad Carolum Magnum.

De Engisto & Horso.

ducis 9. tempore, circiter annum Christi 344. Frisiæ fines incursisse & grauiter afflixisse Lauicâ tenùs: id indignè ferentem Odilbaldum egregium & rebus gestis clarum principem collectis raptim copiis suis inuasisse hostes prædâ graues, nec solùm prædâ exuisse, sed persecutum in fines ipsorum, aliquot castellis & munitionibus occupatis, Angriuariam totam, & VVestphaliæ partem maximam imperio suo adiecisse: his Iglonem quendam spectatæ virtutis hominem Frisium præfecisse, perq; eum tres arces continendis in officio subiectis in eâ regione, primã in Angriâ, alteram Susati, tertiam Iburgi, construxisse: Iglonem totos 25. annos eâ præfecturâ cum gloriâ perfunctum, ad eumq; Vdolfum Haronem filium in spem successionis domi præclarè educatum eruditumq; à fratre Odilbaldo percipiendæ causa disciplinæ militaris esse missum, atq; biennio plus cum eo commoratum: Habitasse eâ tempestate prope Hamburgum satrapam Saxonem præcipuæ nobilitatis à Sigifrido Saxonis archegi nepote, de quo dictum suprà, descendentem VVetgistum: huic filios duos Engistum & Horsum magnæ spei, in Albis, vti vocant, fuisse mortuos: vnicam verò filiam heredem Suanam Vdolfi Haroni Frisio hospiti & amico coniugem datam: Vdolfum anno Christi 360. patrem imperio Frisiæ surrogatum, ENGISTVM & HORSVM ex eâ genuisse, nominibus auunculorum in solamen matris & aui nuncupatos, ab auoq; VVetgisto per adoptionem in familiam Saxonicam translatos. Eosdem verò ab Vdolfo parente, vbi primùm

Vdolfus & Haron pater Engisti & Horsi.

VVetgistus Saxo.

ætas

atas ferre potuit, ad Valentinianum Imp. Romanum esse missos, in huiusq; aula præclarè literis pariter & bello institutos, cùm redissent domum, à patre ad Iglonem Angriæ & VVestphaliæ præsidem amandatos, vt fines cum eo contra anniuersarios hostes tuerentur, & bellis indurescerent, ibiq; cum gloriâ vitã egisse: haud multò pòst, cum multitudine sobolis Frisia laboraret, ex lege vetustâ Frisonis, quotannis in comitijs gentis repetitâ, lectos oppidatim ac vicatim iuuenũ valedissimos quosq;, leuandæ causâ patriæ in coloniam abire, ac nouas quærere sedes iussos: his ab Vdolfo principe filios Engistum Horsumq;, quos vnicos habebat, præfectos, cùm omnes ad Dockenburgum, quæ nunc Doccumum est, collegissent, seq; rebus necessarijs instruxissent, Esonstadium ad ostium Lauicæ amnis eos duxisse: ibi cõcensis tribus nauibus lõgis, quas Schiulas linguâ patriâ dicebant, in Angliam Chersonesi Cimbricæ, Iutiæ & Saxoniæ finitimam, cursum direxisse, portibus ac rebus alijs opportunã, & Saxonibus parẽtem: terrâ capta eo receptaculo vsos, donec se lætioris sedis inuadendæ offerret occasio, simulq; cũ Saxonibus & Anglis piraticam in Britanniam & Armoricos multos annos exercuisse, ac Anglosaxones ob hanc societatẽ dici cœpisse: tandẽ opportunè in Britanniã vocatos profectosq; ea gessisse, quæ ab aliis exposita sunt, vnde postremò nomẽ Britanniæ in Angliæ nomẽ versum. Atq; ex his clarũ, (vt Suffridus) Engistũ & Horsum Frisios origine, nõ Saxones fuisse, & in Anglis ex Angriâ VVestfalicâ petitis Crãtzium toto, q aiunt cœlo errasse: rectè sanè,

Decretum de colonia deducenda.

nisi laboraret narrationis fides. Deinde rursum, pertexens rem, Orichium Hengisti filium à morte patris subigendis adhuc Britannis occupatum, Octam ex se natum secum retinuisse, & successorem regni in Britannia destinasse, Ebissam alterum filium ætate minorem in Frisiam remisisse: eum in patriam priscam reuersum, (in quá post aui sui Engisti discessum, sororius eius Richoldus Vffo ex voluntate soceri Vdolfi ad imperium peruenerat, & principatum in regnũ conuerterat, ac Odilbaldum filium hæredem & successorem Richoldi II. genitorem reliquerat, comiterq́; à cognato rege exceptum, & in solamen exclusionis è regno Frisiæ, feudo totius Angriæ in VVestphaliâ, ac bonâ VVestphaliæ parte, cum insignibus equi nigri donatum esse: acceptoq́; imperio beneficiario, comites suos, quos secum traxerat, Saxonas veteres dici voluisse, conditaq́; Saxendorpia, & Saxendorpio, hæc ijs à Saxonibus nomina imposuisse: deniq́; posteros huius in eiusdem imperij possessione mansisse vsq́; in Vitikindum Caroli Magni hostem rectâ lineâ ab Ebissa descendentem, sed clientelæ ius Sigardi regis tempore ex Frisico in Francicum versum, Beroaldo potentißimo rege, primo vtriusq́; Frisiæ cis vltraq́; Fleuum domino, à Clotario I. Franco euerso. Porrò de Occidentali Frisiâ, post ea quæ dicta sunt supra, memorat Suffridus hæc. Expletis in Aristocratico regimine annis 420., finibusq́; in Brabantos & Flandros ampliatis, cùm annus Christi flueret 300 Haronis Frisiorum veterum principis patruelem fratrem Didericum scripto rursus

Richoldus Vffo primus Frisiæ rex.

Status & fortuna Frisiæ Occidentalis.

colono-

colonorum numero cũ his Fleuum transisse, & nouam coloniam in nouâ illâ, id est, Occiduâ Frisiâ, eo loci, vbi nunc VVaterlandia nomen habet, qui tum locus aquis & syluis obsessus atq; incultus erat, constituisse, ibiq; Medenblicum à Medeæ splendore dictum, (si qua Andreæ Cornelio aut Scarlensi fides) condidisse sedem & caput imperij sui: & filium fuisse & successorẽ VVilhelmum: hinc Dibbaldum, Dibbaldo VVilhelmum alterum, ei Elinum, omnes in clientelâ Principum Frisiæ Orientalis aut veteris, & regio quoq; diademate fulgentes ab eo tempore, quo Richoldus ipso se regem apud Orientales appellari voluerat: atq; ea duplex regnum Frisiæ imposterum celebratum, medio Fleuo diuisum: stirpem Occidentalium regum, in Elino defecisse, ab eoq; masculâ prole carente, Beroaldum septennem, Richoldi regis filium, adoptatum: Beroaldum virum factũ mortuo patre vtroq; regno potitum à Gallis in Danos, potentissimum regũ Frisiæ factum, præter oram maritimam interiùs complexum imperio diœcesim Vltraiectinam & finitima vsq; ad vrbem Neomagum, item Transisulanam regionem, Salandiam, Drentiam, Tuentiam, Tecklenburgicum, Benthemium, Angriuarium agrum & VVestphaliæ partem maximam, perperam hactenus inter Saxones numeratum: huic Dagobertum Clotarij regis Francorum filium viuo adhuc patre bellum fecisse in VVestphaliâ, obsessosq; Susato, à Beroaldi regis copiis, & Sigardo Saxone cliente eius occupatum captumq;, & ignominiæ causâ parte comæ mulctatũ ad patrem remissum:

Medenblicum.

De Beroaldo rege vtriusque Frisiæ.

eo dolore & filij probro incensum ipsum Clotarium ætate iam grauem armis correptis cum totius regni viribus in Beroaldum Frisium iuisse, eumq́ʒ suá manu in acie confecisse, annos natum 92. amputatumq́ʒ à trunco regium caput hastæ præfixum terroris causâ Frisiorum pugnantium oculis ingeßisse: ita perterritis, victis, fusis Frisiis crudeliter victoriá vsum omnia ferro & flammæ permisisse, nulli masculo eius viciniæ, qui gladij sui longitudinem staturâ excederet, pepercisse: rem in VVestergoâ ad vicum Englumanum ab Anglis veteribus è clade primá Britannica quondam cum Engisto elapsis insessum, esse gestam, Englumanos occidione occisos, Frisiam totã perculsam, eius partem maximam in potestatem redactam: mox exercitum geminũ in VVestphaliam à victore ac filio Dagoberto ductum, Susatense & Iburgense præsidium expugnatum: Sigardum Saxonem Beroaldi clientem quantumuis sustentare fortunã summâ ope conatum, duobus exercitibus cinctum dedere se victori Clotario coactum, eiqʒ in fidem Francicam adacto imperium clientelare, quod à Frisiis tenuerat, relictum, & tributum equorum impositum; exercitum Saxonicis copijs nouis auctum à Franco, Visurgi traiecto in Vinulos immissum, Vinulis agro Brunsuigio eiectis, Saxonibus eam sedem datam: hinc paulatim Ostualorum nomen ijs locis obliteratum: Frisiis regem permissum Aldegillum, Beroaldi filium, 16. annorum iuuenem, magnâ regni parte à Galliâ in Kinhemum fl. VVestfaliâ, Angriâ, cæteris omnibus ad Austrum vsqʒ in locũ

Aldegillus rex Frisiæ.

Austrini

Austrini finus, in{q;} Drentiam ac Tuentiam mulcta-tum, & sexcentorum boum tributo annuo oneratum: hunc in imperio patriæ vixisse totos annos 80. pacemq; seruasse: Ei Radbodum filium mortuo submissum, dolore amissorum Francis perpetuo infestū fuisse, multaq; recuperasse, religionē Christianam odio Francorū esse persecutum: hinc turbida omnia cū Francis ad Carolum vsq; Magnum. Paradoxa penè omnia, & ab historica veritate planè abhorrentia. Ad hæc alia generis eiusdē, Ioan. Aldegillo Gondebaldi, & Radbodi 2. regū fratre natum, Aldegilli 2. regis nepotē, Radbodi 1. pronepotem, cum Car. Magno profectum in Palæstinam, dein domū reuersum, coloniam Frisiorum amplissimā per AEgyptum duxisse in AEthiopiam, occupatisq; ibi sedibus, regnum cōdidisse Abyssinorum, quod vulgo ex nomine ductoris Presbyteri Ioan. *vocant: eundemq; ex nouis hisce sedibus de itinere suo in Palæstinā cum Carolo rege, deq; expeditione hac AEthiopica, de terra eius qualitate, de gētium in ea diuersitate libros à se cōpositos ad patruum Gondebaldū regē misisse: Eiusce verò expeditionis comitē Ioanni fuisse Adelem Adelingium, eumq; etiam de monstris AEthiopiæ, de moribus, de religione AEthiopum cōmentarios scripsisse: hos libros oēs à Cappido scriptore rerum Frisicarum citari: Similiter alijs temporibus colonias alias celebres à Frisiis emissas, conditosq; Scotos, Frislandos, Viltos, Vbios, Hessos, Carol. Magnum nō autorem, sed oppressorē libertatis Frisicæ fuisse: post tamen eundē in expeditione Italica rebellantibus Romanis comites spontaneos*

Radbodus 1. rex Frisiæ.

Colonia Frisiorum ducta in AEthiopiam.

Adelis Adelingij liber de AEthiopia.

Colonia Frisiorum alia.

Roma à Frisiis occupata sub Carolo Magno.

Frisios habuisse, horumq; virtute singulari & admirabili (ductore Magno Fortemanno, VEXILLVM ferente, quod ab ipso Semo Nohæ filio quondam consecratum, elatumq; Indiâ, multis sæculis in Frisiâ terrâ obrutum ac tum fortè refossum fuerat) Romam cepisse, & pro beneficio istboc eos priuilegijs nouis ac plenâ libertate ibidem donasse, huiusq; rei testes eas literas ijs statim dedisse, quæ vulgo de priuilegijs gentis circumferuntur: & esse earum literarum verum & sincerum exemplar, quod hodie ab imperitis iactatur, malè deuisum à Crantzio ob subscriptores: nam Carolum iam tum septem Principes Electores constituisse nominibus & dignitatibus illis, quibus in exemplari hoc recitantur: multaq; de Carolinâ ætate aliâ farina eiusdem; & inter se & cum autoribus probis omnibus pugnantia. His vt fidei aliquid conciliet, vide Lector, quid faciat. Primùm archiua patria crepat, & iactat magnificè, idq; nomen angustum, velut Gorgonem quandam, vbiq; prætendit: proinde ac si chartas codicesq; publicos vetustate venerabiles, ex tablino aliquo gentis depromptos, & publicâ curâ, tanquam monumenta gestorum, confectos seruatosq; nobis posset ostendere: quales in domibus regijs Iuda & Israël, qui libri verborum dierum Regum Iuda vel Israël, nam libri regum eorundem in sacris Biblijs numerantur, item apud Persas, Medos, Babylonios, Syrios in Oriente, Romæ apud Pontificum collegium fuisse, hodie quippe in chartophylacijs regum esse, scimus. Id, inquam, nomen ostentat Suffridus, vt admiratione

Diploma de libertate Frisiorum.

Fundamenta probationum Suffridi. Archiua.

ratione eius abripiat Lectorem, cum reuera nomen modò sit inane sine re: inane, inquam, ac nudum nomen, præstringendorum causâ animorum assumptum. Negent hoc patroni eius? age, proferant aliquid, quod huiusmodi saltem speciem habeat, vt me confundant. Feram patienter, imò gratias agam. Sed quomodò proferent, quod nõ est? Nam si se recipient, ad figmentum bibliothecæ illius apud Staueranos à Frisone institutæ, & à posteris auctæ, aut ad libros, quos ante ex catalogo Scriptorum Frisiæ, quem edidit Suffridus memoraui, ipsius Frisonis, Adelis, Vbbonis, Gruni, Verriti, Tabbonis, in eâ repositos, vel ad atrium Staueranum à Richoldo Offone rege imaginibus & scripturâ excultum velut historiam gentis aspectabilem, rursus præter vana nomina rerum commentitiarum, quæ nunquam fuêre, quas vanorum & ineptorum ac impudentium hominum cerebrum peperit, certè adferent nihil: An si ad Rhythmos, quod idem Suffridus memorat, ineptos, horridos, incultos, secum pugnantes, se vertent, & his nomen augustum archiuorum volent imponere, deridendos se sanis hominibus propinabunt, vt pòst, vbi de Rhythmis his scribemus, fiet plusquam manifestum. Dein Scriptores alios nostræ gentis, qui ista, de quibus agimus, in literas olim miserint ætate inferiores, idem Suffridus recitat. In his Hanconem quendam Fortemannum, ait, sub Carolo Magno florentem commentarios scripsisse expeditionum suarum per Græciam, Angliam, Scotiam aliârumq; cum Carolo Magno, idq; testari Andream Cornelium, hominem

Scriptores historiæ Frisicâ tempore Caroli Magni.

 hominem

minem nuperum, anno Christi 1589. Harlingæ fato functum. Et paulò priorem hoc ætate sub eodem Carolo Sulconem Fortemannum virū nobilem, doctrina excellentem, stilo egregio opus historicū insigne lingua Latina cōdidisse, complexum historiam vniuersæ gentis à Frisone ad Radbodum 2. inclusiuè, ac propter stili libertatem à Radbodo in carcerem detrusum, à Carolo autē Magno ex eodē liberatum: id opus integrum non venisse ad posteros, sed aduersaria quadā & fragmēta lacera ab Occone Scarlensi pronepote ipsius collecta, inq; ordinē redacta, eiusdem auctario esse suppleta: floruisse autorē hunc maximè circiter annū Christi 760. Post hos CAPPIDVM STAVERENSEM sacerdotem, historiam integram gentis suæ composuisse collectam ex omnibus scriptoribus Frisicis antè nominatis, alijsq; pluribus: cuius operis perditi fragmenta quædam sibi sint ab Andrea quodam Gryphio suggesta: viguisse ad annum Christi 920. deinde Occonem Scarlensem, Scarlæ in vico Geestano, familia nobili Takemaa natum, auunculi sui magni Sulconis Fortemanni reliquias conquisitas in ordinem redegisse, historiamq; eius quantum potuerit, ingenio & industriâ suâ instauratam, suppleuisse ex actis recentibus, atq; ita seriem continuam gestorum à primordiis gentis ad sua vsq; tempora Latino sermone deduxisse: floruisse circiter annum à nato Christo 970. commentarios hos latuisse per aliquot sæcula in familiâ Takemaâ tādem ab annis 400. eos nactum Ioannem quendam Vlieterpium, Hesselo Martena Potestati Frisiæ à secretis,

secretis, ignotis parentibus ortum, qui ipse quoq; prius syluulam antiquitatum patriarũ collegerat, ex hisce vnum continuæ historiæ opus confecisse idiomate Belgico, vsum arbitrio suo, & perduxisse id ad annũ circiter 1370. quo tempore in viuis fuit ipse: volumen hoc suppressum diu, & indiligẽter custoditum, situq; multis locis corruptum esse, vix vt locis iisdem ab Andrea Cornelio legi potuerit, teste ipso hoc Andrea Cornelio. Ab hoc Vlieterpio 30. annos inferiorem 1000. Aluinum, Snecanum, ex ludimagistro eius oppidi Secretarium, circiter annum Christi 1400. scripsisse compendium historiæ Frisicæ ab exordio gẽtis ad Carolum Magnum Belgico sermone: in eo deduxisse Frisiorum Ethnarcham Frisonem ab Indis, hos à Ragau vel Reu ex posteris Semi filij Nohæ, ac cætera illa exposuisse, quæ nos antè, vbi de Frisone atq; eius rebus dictum, recitauimus, Siculis vaniora gerris: Huic verò commentario ideò deberi maiorem fidem, quòd confecti sint ex vetustis Rhythmis, & citent Moysen & Megasthenem & Patroclem. Post Aluinum circiter annos 100. confecisse Chronicon Frisiæ Latinum Folckerum quendam Simonis, Rectorem Scholæ Snecanæ, sed sibi nondum visum: eodemq; tempore aut paulò post, ad annum scilicet 1499. auum suum Suffridum Rodolfi Sterkenburgium collegisse antiquitates Frisicas à primordio gentis, & historiam integram continuasse vsq; ad tempora sua: Sed opus id à morte autoris dissipatum, reliquias modò laceras ab ipso se nepote tandem recuperatas; deinde Martinum

Vffanum

Vſſanum Carmelitam circiter annum 1500. ſcripſiſſe elogia nobilium Friſiorum, & hiſtoriam ſactionum ſub ἀναρχία, citatum & commendatum ab Andrea Cornelio: Duos item Taboritas monachos Henricum & Vorperum: res Friſicas à principio ad ſuam ætatem, priorem ad annũ Chriſti 1508. alterum ad 1530. ferè expoſuiſſe: Et cum his Idſardum Grauium Doctorem medium inter vtrumq;, hominem ſatis notum ex multis actionibus Chronicon huius gentis congeſsiſſe: Deniq; Andream Cornelium organo Muſico in templo Harlingæ operatum, anno Chriſti 1589. eodem in oppido mortuum, patria Staurienſem, volumen compoſuiſſe rerum Friſicarum, ab initijs gentis vſq; ad annum Chriſti 1566. complexum ea, quæ Sulco Fortemannus, Occo Scarlenſis, Ioannes Vlieterpius viciſſim ex annalibus vetuſtioribus deprompta cõgeſſerant, aut de ſuis temporibus conſcripſerant. En tibi, Lector, fundamentum, quod paradoxæ ſententiæ ſuæ probandæ vnicum & ſolum ſabſternit Suffridus noſter, bona fide à me expoſitum. Id vero cùm mihi non ſolum minùs exile ac infirmum, ſed etiam perinſulſum ac abſurdum videretur oppoſitum conſenſui autorum optimorum quorumq; veterum ac recentium, (nec enim quicquam aliud habet, quàm fabulæ ex fabulâ deductionem, confirmationemq;) ne quis ſe decipi ſineret, monendos Hiſtoriæ ſtudioſos, vt dixi ſuprà, & næuos tàm turpes ac indecoros ab Hiſtoriæ facie abſtergendos eſſe putaui. Atq; hoc non ſolùm officij à me ſuſcepti ratio, (veritatem enim in rebus patriæ exponere,

Autor immerito flagellatus à Suffrido, ob fundamẽta hæc nõ probata.

nere, & nebulas errorum discutere in professo habebam) sed etiam procatißimorum autorum in hoc genere exemplum nunquam hactenus improbatum mihi persuasit. Nec tamen nisi modicè ac moderatè feci id ipsum, cùm res poposcit, abstinuiq; vbiq; à verborum acerbitate. Quid enim dictum à me in toto scripto grauius, quàm quòd fabulas, narrationes huiusmodi ter aut quater nominaui, & semel fabulatorem dixi eorum autorum Occonem Scarlensem, eundemq; exemplum Hunibaldi, Gaufredi, ac similium secutum esse in componendâ historiâ scripsi. Suffridum quoq; huius & aliorum id genus scriptorum nuncupaui patronum? Ne verbum quidem. Sunt libri in manibus, ad quos rursum prouoco, & ad ipsa ea, quæ ex his libris excerpsit exagitauitq; in hoc suo in me scripto Suffridus: Nec infamiam deprecor, aut bonorum odium, si secus fecisse deprehendar. Quàm igitur aut falsò ab humanitate ac miti & facili naturâ prædicatus, aut sui hic omninò oblitus & dißimilis est Suffridus, qui tragicis clamoribus ista velut nefaria & scelerata, omnium digna odio tàm prolixè est insectatus? qui reprehensionem huiusmodi tam acerbis & prolixis conuitiis, tàm longo & maledico volumine est vltus? qui consilium hic meum non malitiosum solùm in se, sed iniurium & inimicum imò capitale in sanctißimam patriam est interpretatus? deniq; qui ita me propterea excipit, ac si facinus parricidio aut perduellione grauius à me esset patratum? Sed mißis his ad ponderandas rationes veniamus. Ego commentitias

Examen fundamentorum Suffridi.

duxi,

duxi, & duco narrationes istas, ab otiosis & rerum imperitis, & fingendi libidine ardentibus ingenijs, sæculo rudi, & fabulis dedito inuentas, Hunibaldicis, Gaufredicis, Sialandicis, & alijs eiusdem generis sine controuersiâ fabulosis similes. Nam non solùm teste carent idoneo, & fidem merente, sed etiam cum consensu fidelium & bonorum testium, autorum veterum, pugnant apertiùs quàm vt negari possit: & circumstantijs locorum, temporum, cæterarum rerum aduersantur, deniq; contradictionibus crebris & manifestis, quas insitas habent, sese euertunt. Ad primum enim quod attinet, quæ est causa fidei, quàm narratio de reb⁹ veteribus, & procul à memoriâ nostrâ amotis exhibemus? an non testimonium fidelis ac idonei testis? aut quid est talis fides nisi assensus certus qui adhibetur narratis, propter asseuerationem testis huiusmodi? Quis verò testis huiusmodi, nisi qui notus & probatus, de quo statuimus, & sciuisse eum ea, de quibus testatur, siue ex se, siue ex bonorum & similium sui testimonio, & fallendi causam aut consilium non habuisse maximè si dicat cũ alijs bonis receptisq; testibus nõ dissentientia, atq; à naturâ rerum & circumstantijs nõ abhorrentia? Aut ostendat igitur nobis aliquis testem talem in hac, de qua agimus, causa, propter quem assentiri narratis rerum tàm veterum teneamur, aut fateatur nihil esse, cur ijs fidem adhibere debeamus, imò temerarios nos esse & excordes, si ijsdem illis assensum tribuamus. Nam quos testes nobis Suffridus produxit, hos eo loco habere non possumus, & si habea-

habeamus, haud immeritò stolidi ac amentes ab ijs, qui sanâ mente sunt, censeamur. Quid enim! ANDREAS CORNELIVS huiusmodi nobis esse debet, ex quo transscripta à me omnia sunt, quæ Historiæ libro tertio, vt vanitatis manifesta, recitaui, homo nuperus, 14. ante annos mortuus, nullâ claritudine, nulla doctrinâ, vicinis ferè suis ignotus, psallere deniq; in templis ac nablia tractare, & in mensis deliciari, scyphosq; siccare, quàm res tantas in historiâ vetere dijudicare eruditior? Aut is, ex quo transscripsisse se portenta illa narrationum hic profitetur, cuiusq; fide fidem suam firmat: quiq; duobus ipsum sæculis dicitur antecessisse, IOANNES VLIETERPIVS! quis homo? cui publicè notus? quibus literis, quo testimonio clarus? quâ probatus re, vt tantæ rei testem aut iudicem eum ferre, eius autoritatem tot scriptorum probatissimorum veterum & recentium autoritati anteponere nos conueniat? De quo fatetur ipse Suffridus noster, terræ filium esse, ignotis parentibus natum, cuius licet ætatem & vitæ statum conetur ostendere, tamen in eo sibi ipsi contradicit, & quanta traditionis huius vanitas sit, satis demonstrat. Nam floruisse hunc hominem circiter annum Christi 1370. & I. H. Martenæ summo Magistratui Frisiæ, quem Potestatem vocant, à secretis fuisse affirmat. Martena autem, si credẽdum huic ipsi Vlieterpio, aut Andreæ Cornelio, qui id ex eo descripsit, anno Christi 1312. è viuis excessit, postremus, qui eâ potestate ex patriis legib⁹ apud Frisios est functus. Florere autem eum potuisse, & historiam

De Andrea Cornelio.

De Ioanne Vlieterpio.

historiam scribere 58. anno post mortem domini sui, cui non à ministerio puerili aut abiecto, sed à secretis in tanto magistratu fuerit, cui potest fieri verisimile? Cuius scripta si quod momentum habebant; cur occultata & in tenebris retenta sunt tamdiu? cur, si in pretio fuêre apud eos, qui detinuêre, custodita tàm negligenter, vt cùm post in manus Andreæ Cornelij incidissent, sicut ipse Andreas testatur, exesa obductaq; situ multis locis haud facilè potuerint legi? Hic *inquam vir, qui albus aterve fuerit, nemo potest dicere. eo habendus nobis loco est, vt freti fide ac autoritate ipsius inauditis, incredibilibus cum veterum sententiâ ac fide pugnantibus fidem adhibeamus, & maiorum terminos moueamus?* Non, *si vecordes aut amentes non simus.* Sed OCCONEM SCARLENSEM, *ait Suffridus, autorem Vlieterpius sequitur, & eius fide sibi fidem facit.* Et *quis iste Scarlensis Occo? quâ fide sibi fidem facit.* Et *quis iste Scarlensis Occo? quâ notâ, quo teste nobis commendatus?* Nam *quod Suffridus de eo scribit in* Decadibus *suis, in Scharla vico, patre Gaeltzione à Takema viro nobili natum, pronepotem ex sorore Sulconis* Fortemanni *Frisiorum historici, ex huius scriptorum disparsis ac laceris reliquiis, velut ex magni naufragij disiectis & recollectis tabulis historiam* Frisicam *integram à primordio gentis, atq; ipso adeò* Frisone Indo *ex* Indiâ *aduecto ad Radbodum 2. regem Frisiorum, &* Caroli Magni *tempora conscripsisse, eandemq; porro ad ætatem vsq; suam cõtinuasse, idq; opus eius in* Takemaâ *familiâ asseruatum latuisse vsq; ad Vlieterpium: hunc verò copiam eius*

De Occone Scarlensi.

eius nactum idipsum demùm vulgasse, Occonem ad annum Christi 1470. floruisse, hoc omne non majorem fidem habere potest, quàm ipsæ narrationes illæ prodigiosæ atq; incredibiles, de quibus nobis est contentio, siue ex Andrea Cornelio id hauserit, siue ex Vlieterpio, siue ex quocunq; id generis scriptorum alio. Alio nobis teste, noto ac probato, alio documento opus est, vt hæc vera credamus, vt de narratis huiusmodi paradoxis, & veterum fidem euertentibus, fidem autori tribuamus. Liuij historia fidem apud nos habet, quia constat cum Augusto Cæsare eum vixisse, in pretio apud eum, celebrem non apud Italos solùm, sed etiam apud gētes peregrinas ob ingeniū & eloquētiam, industrium quoq; grauem, & veri studiosum fuisse, copiam annalium veterum, & cōmentariorum, quorum noti quoq; & probati autores habuisse, ipsum etiam historiæ illius, quæ eius nomen præfert, scriptorem verum esse, deniq; ea tradere, quæ cum aliorum notorum & fide dignorum testimonijs, cōueniant. Idem de Tacito, Polybio, Dionysio Halicarnassæo, Dione Cassio, Plutarcho, Diodoro, Xenophonte, Thucydide, Herodoto, alijs complùribus antiquis, medijs recentibus, vt de sacris scriptoribus taceamus, dictum volumus. Quid si laboret in eo fides, an vnquam Vliterpius tales commentarios habuerit, qui verè Occonis, viri huiusmodi, cuiusmodi à Suffrido describitur, fuerint? quid si suspicio sit, Vlieterpium imponere hominibus credulis, & nouarum rerum ac narrationū auidis, indoctis ac imperitis, quale id sæculum infelix in hisce regioni-

bus fuit, sibi verò gratiam & admirationem parare apud cupidos laudis maiorum suorum cum Hunibaldo aut Gaufredo voluisse? aut ipsum sibi subiecto commentitio ac adulterino scripto imponi siuisse? Quid si quis coniectet atq; existimet, sub Occonis nomine aliquem ætatis mediæ hominem scriptum huiusmodi fallendi causâ confecisse? aut sine eiusdem nomine, quod post autoritatis causa, eius sit nomine insignitum? Notæ quippè fraudes tales sunt, præsertim in genere monastico, otioso fabulis dedito, fraudum auido, impudentia armato. Quid si suspicetur aliquis, hominem rerũ imperitum, indoctum credulum, auditis huiusmodi fabulis, quales in omnibus ferè gentibus in vulgo feruntur, fidem ijs adhibuisse, & ab se in chartã cõgesta velut vera, pro historiâ vendidisse? quâ ratione multa commenta in hominis historicæ possessionem peruenêre. Quid verò, si quis dubitet, an quis vnquam talis vixerit Occo? quo id probabitur teste, si quis Vlieterpio credere nolit? aut, si quis hæsitet, vt vixerit maximè ille, & quidem talis vixerit, an id quod Vlieterpius iactat, sit scriptum eius? & si etiam sit scriptum eius, an sincerum probumq; sit, aut tale omninò, quod fidẽ mereatur? Quid enim? si consultò commentum somniumve voluerit suum ineptis hominibus pro historia obtrudere, & nugas pro vera re posteris vendere? quid si imperitiâ & credulitate prolapsus, quæ vera putauerit, pro veris certisq; in chartam coniecerit, atque ita opus id fabulosum, historiæ nomine ornatum confecerit, id est, errorem suum posteris tradiderit? An

non

non rursum exempla vtroq; in genere obuia? Quid si fraus cum errore & imperitiâ hic commixtâ? quod Humbaldo & Gaufredo, & Heliodoro, & alijs accidisse est manifestum. Quicquid verò horum sit, hoc certè euidens & extra controuersiam apud sanæ mentis homines est, periti & boni autoris probum ac genuinum scriptum non esse, aut esse nō posse, ex quo aut Vlieterpij ille cōmentarius, aut Andreæ Cornelij farragines sunt cōsarcinatæ. Nam falsitates tàm crassas & pudendas habet haud paruo numero, cum consensu omnium autorum fidelium & bonorum, & quidē eorum etiam, qui res seculi sui, sibi notas & compertas prodidêre memoriæ, pugnantes è diametro, vt earum ipsum quoq; Suffridum; maximum nugarum patronum, puduerit meritò, erroresq; nimis turpes agnoscere, volentem nolentem oportuerit. Et hæc vicia nos in rebus exiguis ac vilibus, sed maximis & grauißimis ad summam status regni Francici, & fortunæ Frisicæ, vt de alijs non dicam, pertinentibus, sunt à scriptore commissa, temporaq; & acta enormiter confusa. Quæ si eluere aut excusare quis volet, is cœnum ipsum mundare, aut Busiridis tyrannidem verbis purgare velle videbitur: si quis defendere præsumet, fidem abrogare scriptoribus cæteris, & in his plerisq; summis viris quibusdam etiam oculatis testibus simul & semel necessum habebit: contradictoria enim simul vera esse non possunt: sin quis vlcera agnoscet & lapsus fatebitur, eum nihil fidei esse in hac tota farragine, nihil historiæ nomine dignum fateri quoque modò sani cerebri sit, vel inuitum oportebit. In horum

σφάλματα ab Occone commissa nimis enormia euidentiaq;

numero sunt, vt ex multis pauca fidei causa notem, & ex vngue leonem monstrem, quod Radbodus primus Aldegillo patri defuncto anno Christi 672. in regnum successerit, cùm ex Beda constet, ALDEGILLVM circiter annum Christi 678. adhuc in viuis fuisse, & imperium in Frisios tenuisse: quod RADBODVS idem initio regni sui à Daniæ rege captus, & post aliquot annorum custodiam peregrinam anno tandem 678. quod adhuc superstitem patrem fuisse Beda docet, in integrum restitutus sit, cùm horum nihil à Saxone Grammatico, laudum Danicarum prodigio scriptore, sit notatum: quod eo tempore ab Omundo Danico præfecto in durissimam seruitutem redactus, & indigno tributo subiectus sit populus Frisicus, quam rem in tempora Gotrici regis, & Caroli Mag. idem Saxo, quem probum historicum Suffridus habet, conijcit: quod Ludgeri primi Monasteriensis Episcopi hominis in gente tàm celebris, & Cæsari Carolo tàm grati, nulla in opere toto mentio: quod scriptum in eâ farragine sit, GONDEBALDVM Aldegilli II. filium, regem Frisiæ anno Christi 737. regnum auspicatum, deinde anno eiusdem Christi 749. cum 12. annos patriæ præfuisset, in prælio ingenti contra Saracenos in Ronceualle, quæ in Hispaniæ aditu est ad Pyrenæos, pro Christianâ pietate cecidisse, regnumq; fratri RADBODO II. reliquisse, quod incidit in annum illum, quo Caroli Magni parens Pipinus rex Galliæ est factus, cùm ex historijs notum sit, sub Carolo Magno anno demùm Christi 778. eam pugnam esse pugnatam,

natam, in quâ & ROLANDVS sorore Caroli & Milone Anglerio natus, Carolus carissimus, perijt, & Gondebaldus quoque occubuisse à scriptoribus alijs famoribus perhibetur. Piget memorare plura. Et quis credat nugatori huic, si is Occo Scarlensis est, in rebus multò vetustioribus, & magis à memoriâ eius remotis, qui tàm turpiter se det in his, quæ debebat habere notissima? Quæ si à magno auunculo suo, SVLCONE FORTEMANNO, vt Suffridus ait, mutatus est, quis vel hilum scriptori isti, (Sulconi dico) si quis vnquam huius nominis & conditionis scriptor in viuis fuit, ac non potiùs totum id de eo figmentum inane sit Cerbero simile, in cerebro otiosi ac mendacis monachi natum, tribuerit, cui res hæ & patriæ fuêre, & coæuæ? quis (inquam) ei fidem habuerit in antiquis, qui tàm ineptus, falsus, absurdus deprehenditur in coæuis, & recentibus? quis illi de FRISONE crediderit ad mille annos ipsum antecedente? quis de liberis & nepotibus eius, & eorum scriptis, id est, de rebus inauditis & incredibilibus, sine ratione, sine teste loquente? Nam quæ ante Sulconem scripta memorantur FRISONIS, ADELIS, VBBONIS, GRVNI, TABBONIS, ea, vt iam dixi, pura puta figmenta quoq; sunt, ipsâ inanitate inaniora, nomina vacua & vana sine rebus, Chimmeræ similia & Hippocentauris, quos rerum natura non habuit vnquam. Quis enim vidit ea? qui fando de ijs ex teste fido ac bono audiuit? Si CAPPIDVM quis dicat, quem in indice variorum scriptorum ex

De Sulcone Fortemãno.

De cæteris historicis Frisiæ antiquioribus.

De Cappido Stauerensi.

Suffrido recensui, is larua modo laruam, nugas nugis addit, ac testes facit, hoc est fabulas fabulis firmat. Quod enim de Sulcone & Occone dictum, id de Cappido quoq; dici potest & debet: de quo non abs re ambigas, an quid tale scripserit vnquam, imò an vixerit, estq; inanis illa ex fragmento probatio, quâ se munire velle Suffridus videtur: quàm multa enim huiusmodi notha ac supposititia? quàm multi malè feriatorũ lusus & doli? vt notatum à me quoq; suprà. Et quomodò, vt eò reuertar, fuerint vnquam ea scripta, quorum autores fuêre nunquam? Nam quibus iudicij aliquid est inter eruditos, cum vel leuiter negotium hoc examinant expendunt, facilè animaduertunt, commenta esse omnia, quæ de FRISONE, & filijs posterisq; eius vsq; ad proxima ALDEGILLO tempora memorantur, non in orbis terræ aliquâ parte, sed in theatro cerebri malè feriati gesta. Ita firmamentum causæ ex serie testium ab Andrea Cornelio vsq; in Sulconem, & ab eo in ipsum Frisonem petitum, Suffrido abit in fumum. Ad ALVINVM venio, exsortem serei huius, δαδοῦχον inter scriptos rerũ Frisiæ, si Suffrido assentiri libet. Quæro, cùm anno 1400. post natum Christum floruerit, quibus subsidijs fretus ex Semo vsq; petierit originem familiæ FRISONIS? de BENEDICTA FRESIA, à SEMO datâ RAGAVO, posterisq; eius? de VEXILLO & CORONA, & quæ his similia tradiderit? ADELEM cum filijs, Frisone Saxone, Brunone ab Agramme exclusum regno ex Indiâ in Græciam venisse scripserit? Cætera de Frisone, priùs exposita

De Aluino Snecano.

posita mihi; deq; filijs eius & posteris affirmauerit? RHYTHMOS, *ait Suffridus, vetustos secutus est, ista complexos. Qui isti Rhythmi? vbi, quando, à quo scripti? quàm fidi? Ista enim tenere nos oportet, vt pro basi fidei eo: habeamus. Quid enim si recentes? si autoris vani, rerum rudis, poët astri ludere volētis, gloriā aut gratiā venantis, fabulā condentis? cuiusmodi poëmata in omnib. linguis extare non vna ignotū non est. Apage fundamentū illud aut fundamentū fidei historiæ. Sed citat quoq; autor (ait Suffr.)* MOYSEN, & IOSEPHVM: *citat* MEGASTENEM & PATROCLEM, *testes exceptione maiores, quo fidem narratis suis paret. Hoc videamus, vt vel hinc appareat, quanti iudicij Suffrid. sit, qui me iuuenem nullius iudicij esse dicit. Ex Moyse & Iosepho opinor citari nihil potest, nisi quod est apud ipsos. Moyses aūt Gen. 10. & 11. liberos posterosq; Semi filij Noæ recēset, & ex Sem Arphaxad, ex hoc Salem, ex Salē Heber esse ostēdit, ex Heber autem duos fuisse filios, primum Phaleg ex diuisione terræ sic nuncupatum patrem Reu, auum Sarag, proauum Nachor, abauum Thare, atauum Abrahæ, alterum Iectan, parentum filiorum 13. quorum nomina Elmodad, Saleph, Assarmoth, Iare, Adoram, Vzai, Decla, Hebal, Abimahel, Saba, Ophir, Euila. Iobab: additq; Moyses horum filiorum Iectan habitationem factam esse de Messa pergentibus vsque Sephar montem Orientalem, capite decimo. Eademq; Ioseph. Antiquitat. Iudic. libro primo capite decimo quarto, nisi quod à Moyse de habitatione filiorum Iectan*

De Rhytmis veteribus.

De Moyse & Iosepho citatis.

dictum, id his verbis ponat Isti à flumine Cuphino Indiæ, & posita circa eum Syriæ loca quædam inhabitant. Ex his verò omnibus quomodò quæso eligeret aliquis probabitve ea quæ Aluinus prodit, & quæ pag. 15. famosi huius in me libri, vbi argumentum hoc vt probum firmumq; in Aluino collaudat, succinctè recitat Suffridus? SEMVM scilicet adnepoti suo REV, qui idem RAGAV, tribuisse regnum in India, posterisq; consecratum ab se BENEDICTAM FRESIAM appellasse, autoramenta maiestatis regiæ, & symbola tuendæ fortiter libertatis CORONAM CHALYBEAM VEXILLVMQVE RVBRVM miræ virtutis eidem adnepoti suo ac posteris perpetua dedisse posteros per multa sæcula regnum illud incolume tenuisse, tandem FRISONEM ex his ortum cum ADELE parte & fratribus regno per tyrannum depulsum in Græciam concessisse, post disciplinam sub Platone, militiam sub Philippo rege, cum filio huius Alexandro in Indiam reuersum, & à morte eiusdem rursus patria cedere coactum in oram maris huius Borei cum familiâ venisse, terramq; occupatam ex se Frisiam vocasse, & cætera fabulæ ineptæ, quæ sunt suprà à me expressa. Vide consecutionem, & acumen mirare.* Moyses & Iosephus ostendunt Ragau adnepotem esse Sem, ergò Ragau regnum ab eo accepit Benedictæ Fresiæ in Indiâ, & Frisonem propagauit, & Friso post varios casus in has terras venit, & gentem Frisicam condidit. *Perinde ac si sic ratiociner.* Ex Noha Iauan est, quod Moy-

ses

ses testatur, ergò Charon portitor est inferorum, & vera sunt quæ de Plutonio regno Virgilius commemorat. *Lepidum caput! Mitto quod Ragaui soboles, abaui Abrahæ in Chaldæâ & Mesopotamia collocatur à Moyse, quod est Indicæ fabulæ ex aduerso repugnans. At ex* Megasthene *quid & Patrocle? in quibus triumphare voluisse videtur Suffridus.* Citat Aluinus (*ait*) Megasthenem & Patroclem, testes exceptione maiores, cùm exponit Semi & Ragaui acta, consecrationem Fresiæ Benedictæ, matrimonium eiusdem Ragaui, cùm memorat CORONAM *&* VEXILLVM, successiones & fortunam in Fresiâ, regnum ademptum, eiusce ex patriâ decessum, militiam sub Alexandro, iter aduentumque in Germaniam. *Sed, quomodo citat? verbane eorum recitat? locos monstrat? codices exhibet? Quis est patronorum causæ huius tam impudens, qui hoc dicere audeat?* Nihil horum. *Quis potuit enim, cùm ne tota quidem huc pertinens, aut huiusmodi aliquid sapiens in fragmentis omnibus, quæ* Megasthenis *nomine circumferuntur? aut, si quis esse dicat, age proferat in medium, vt me confundat.* Patroclis *autem nihil extat omnino. Quid igitur? Nominauit, credo, Megasthenem, & Patroclem Aluinus fabulas recitans, aut dixit ex ijsce autoribus has nugas esse desumptas. Audierat quippè, vtrumq; de rebus Indicis scripsisse: putabatq; idoneos esse, quorum nominibus apud imperitos aut inertes, ad struendam fabulis fidem*

De Megasthene & Patrocle itidem citatur.

dem posset abuti. At si nomina iactauit tantùm & obtentui habuit, probauit nihil, nec dici rectè potest, autores eos citasse: sin alterum fecit, & in suas partes Megasthenem & Patroclem traxit, mendacium commisit impudens, & ostendit qui vir esset, vt qui verum falsumve dicere, dummodò diceret aliquid, susq; deq; haberet. Inania ergò sunt & prorsus ridicula, quæ de Megasthene & Patrocle nobis porrò hic intonat, & prolixè declamitat Suffridus, optimos autores fuisse, Indica nota habuisse, de Indicis accuratè scripsisse,
" eodem cum Frisone sæculo vixisse, Megasthenem etiam
" ipsum Indum, imò eadem ciuitate Prasia, quæ &
" Fresia, aut Polibothra, cum Frisone ortum esse, ideoq;
" res Frisonis & nosse optimè, & rectißimè exponere potuisse. Quasi verò quæstio nobis sit, an boni & fide

Reuocatio ad statum quæstionis.

dignę autores sint Megasthenes & Patrocles, atque Indica scripserint, deq; homine Indo & coæuo, rectè scribere & testari potuerint, ac non potius hoc inter nos sit controuersum, an quicquam de Frisone hi ijdem autores, quos bonos agnoscimus & de Indicis rebus scripsisse non diffitemur, in literas miserint, imò verò, an quis vnquam huiusmodi homo in hoc naturæ theatro vixerit, ac in Indiâ visus auditusve sit, qualem nobis hæ, de quibus disceptamus, fabulæ introducunt, de quo potuerint scribere, & res eius posterorum memoriæ mandare. Ex quo huius hominis, qui mihi & ἀκρισίαν & oscitantiam & impudentiam obijcit, aut ἐσχάτην ἀκρισίαν, aut supinam negligentiam, aut impudens supercilium licet animaduertere.

Suffridus ipse reus eorum quæ falsò alteri obijcit.

Nam

Nam si rectè se disputare, & me conuincere posse hoc modo ratus fuit, ineptus, delirus, sine iudicio fuit: si sine examine rationis in chartam modò coniecit, quod in mentem venit, aut quod senilis bilis suggeßit, nimis negligens fuit: sin horum neutrum, quis ferat supercilium eius, qui collaudatione aliorum, & nouo titulo Historiographi ordinarij *inflatus, æquum putauerit, se sine curâ dicere quidlibet, & nauseantem vomere, nos, quod dictum ab eo sit, propter eam, quam iam inuasisse se rebatur, autoritatis arcem, sine examine adorare. Quid, quod ne ipse quidem hic sibi constet Suffridus, peßimæq; in causâ conscientiæ se faciat manifestum?* Nam cùm Origines *scriberet, Patroclem habebat tantum, quem citari ab Aluino dicere auderet, fassus simul, autorem hunc nunquam sibi adhuc esse visum. Quod nil aliud est, quàm fateri, existimare se, Aluino multò minus eiusdem copiam fuisse, homini quippè obscuro, inerudito, sæculo à literis tàm inculto, in quo multa adhuc latuere, quæ post eruditorum studio sunt retracta in lucem.* Norat *itaque hic noster, si Paroclis nomen iactarit maximè Aluinus, firmare tamen autoritate eius paradoxo sua haud potuisse. In Apologiâ autem hac contra me, velut cum tempore aut Aluinus factus sit auctior, aut in ipso Suffrido vendendi fumos succreuerit audacia, non Patroclem solum, sed Megasthenem quoq;, & hunc quidem ante illum ac præcipuum, aut coæuum Frisoni & conterraneum,*

Suffridus secum dißidēs, & in audaciâ fingendarum ac serendarũ fabularum cum tempore proficiens.

raneum, atq; omnium rerum eius gnarum, citatum ab Aluino, & testem narratorum certißimum nobis idem Suffridus inducit, imò eius maximè fiducia triumphum canit. Quod rursus quid aliud est, quàm vel delirare, vel scientem volentem ludere in re seriâ, & hominibus bonis illudere? Quo semel admisso, probatoq́; qui restet, nisi vt à patronis huius causæ, vbi quid rursus edituri sunt, si volent vestigijs Suffridi insistere, Onesicritum alterum claßis Alexandri in Indiâ præfectum, aut Ptolemæum, aut Aristobulum, aut alios, qui Alexandri res in Indiâ exposuêre, quanquam eorum scripta omnia interciderint, velut ab Aluino citatos, ingeri nobis expectemus: Ad hæc, idem Suffridus, qui tanquam Sibillæ folium Aluini opus in hac contra me Apologiâ nunc abducit, & basin causæ ponit, antè in Originibus suis lib. 3. cap. 2. hæsitans, vacillans, fluctuans, fidem eleuans, hoc idem produxit. Sic quippè istic: Opus eius à diuersimodè descriptum non vbique esse integrum, cùm alij alia, vt fit, addiderint vel detraxerint: vt necesse sit, cum iudicio delegi aut retineri id, in quo plurima consonent exempla. *Egregium scilicet historicæ fidei fundamentum, dignum quod tot bonorum autorum testimonijs ac narratis opponamus. Et rursus capite eodem.* De corona quidem & vexillo (*intellige dona Semi, regni mysteria, ex Indiâ in Frisiam translata, virtutis eximiæ*) siue vera siue falsa sint (nihil enim discutio, *ait Suffridus.* cùm de his in vitâ Magni commodiùs dictum sit)

ſit) poſteriori ſæculo aet txta videntur; quanquam ea, quę Tacitus de templo Tamfane ſatis obſcurè tradidit, aliquam cum hiſce cognationem habere videantur. *Alterum præclarum præclari ac ſinceri operis elogium, quo mereri videtur, vt idipſum pro baſi fidei in hiſtoriâ habeamus: Præterea ita variat, ac ſibi contrarius eſt Suffridus in texendis ex opere narrationibus ſuis, vt aut nullum huiuſmodi librum certum habuiſſe, ſed cerebri ſui concepta cum tempore variata pro libro venditaſſe, aut diuerſiſſimis inter ſe & δὶς διὰ πασῶν diſceptātibus operis illius qualiſcunq; exemplaribus dubius incertusq; fluctuaſſe, aut deniq; cum tempore, quod antè dixi, in ſerendis extrudendisq; fabulis pluribus impudentior & audacior eſſe factus videatur. Etenim cùm Originum libros primum ederet anno poſt Milleſimum quingenteſimum 90. velut cautior adhuc & timidior, ac quaſi tentaturus, quid ferre lectores in hoc genere poſſent, ſcripſit:* Friſonem ſucceſſione regni auiti in in Indiæ regione Benedictâ Freſiâ, aut Praſiâ per tyrannum excluſum, exhauſtâque concuſſionibus prouinciâ, delectâque per oſtraciſmum iuuentute ad leuandam patriam nouas ſedes quærere iuſſa, huic ipſi honoris gratia ducem cum fratribus datum, eductâque multitudine cum eâ rectà ad Alexandrum Magnum in Indiâ tunc bellum gerentem profectum, ab eo humaniter ſuſceptum, ad Emodios mõtes, qui Indiam Scythiam.

thiamque diuidunt, in præsidio locatum esse. Deinde à biennio, mortuo Alexandro, metu armorum Sandræcotti contra Macedonas, eundem cum eisdem fratribus, relicto Emodiorum montium præsidio, publicâ fide in patriam Benedictam Fresiam reuersum, mox rursus ob suspiciones de recuperando imperio patriâ decedere ab Agramme coactú, assumptis, permittente Agramme, eiusdem fortunę socijs compluribus, itemque mystica illa *CORONA CHALYBEA*, & *VEXILLO RVBRO* ab Semo quondam huic familiæ dicatis, in exteras terras abijsse, & ad initium anni noni à morte Alexandri post longas peregrinationes tandem in hæc loca Germaniæ Septentrionalis cum classe venisse, sedesque hîc fixisse, fratres eius. *Et in strenâ suâ ad Frisiæ Ordines missâ anno sequente, quam carmine scripsit, vt pro Poetarum iure in fabulis protrudendis posset esse liberior, & in maledicâ hac contra me Apologiâ, quasi sumptâ audaciâ, multò plura, & cum prioribus pugnantia attexuit:* Frisonem non cum fratribus solùm, sed cum patre Adele regni possessione exclusum, non ad Alexandrum bellum in Asiâ gerentem, sed rectà in Græciam profectum, Platonem Athenis docentem audisse, indè ad patrem Alexnndri Philippum se contulisse, ac sub eo militasse, Philippoque perempto tum demum ad filium Alexandrum concessisse, &

cum

cum eo in Asiam atq; in Indiam esse reuersum: *Cæteraq; quæ sunt supra à me exposita. Et tamen omnia hæc tàm dissona inter se, velut ab eodē Aluino prodita sunt à Suffrido in lucem extrusa.* De *Aluino satis, aut etiam plus quàm satis. Quem si frustrà sustentare obtentu autoritatis scriptorum veterum, maximorum testium, aut inepti vaniq; pöematis, conatum esse ostēdi Suffridum, reliquum est, vt eundem ex seipso metiamur, id est, tantū fidei ei deferamus, quantū homini nouo & inepto (ne quid dicam amplius) destituto documentis & testimonijs idoneis de rebus talib. tàm vetustis, tàm alienis à perpetuo bonorū & fideliū autorū tàm antiquorū quàm recentiorum consensu, tàm abhorrentibus à circumstantijs locorum & temporū adeoq; cōtradictionē hic illic cū manifesta veritate implicantib. deferre debemus. Quibus vestigijs si ingrediemur .i. laruâ ficta vetustatis atq; autoritatis remotâ, & nūc & cæteros huius generis scriptores nudos, ac quales in se sunt, intueamur, facilè tenebras has historiæ nostrati vanis aut credulis ingenijs inductas dispellemus.* Hoc *igitur agamus breuiter, & rerū seriem per summa capita, quantum modus operis huius patitur, sequamur.* Et *primùm quidem de Benedicta Frisia in Indiæ orâ, quod velut ex tripode recitat Aluinus, Ragauo datâ, & consecratâ à Semo, de Corona illâ ac Vexillo, & quæ inde dependent, quæro vnde ad posteritatis notitiam manarint? per Propheticos ne libros, à Spiritu sancto de rebus antiquißimis post multa sæcula vatibus dictatos? quales Moysis sunt de origine mundi, ac ætatibus illis primis?*

Conclusio de Aluino.

Examen fabulosarum narrationum Suffridi & Suffridaorū.

an

an per monimēta alia humano ingenio sint dictaminē Spiritus confecta? alterutrum enim dicere necesse est. Si prius illud, sequitur, alios esse etiam Prophetas ac libros Propheticos, quàm quos hactenus Christiani nouêre, nec sacrum codicem eos habere integrum: nam in eo, qui nunc extat, nihil tale. Sin posterius, necesse est fateri nos, libros multò libris Moysis antiquiores, ad posteros peruenisse: Annos quippe 600. Ragau Moysen antecessit. Quorum alterum cùm nobis persuaserit Suffridus, nos quoq; forsan cum eo huiusmodi commentis imponi nobis sinemus.

ἀκρισία Suffridi. *Intereà omnes, qui hæc legent, monemus rursum, vt quantum huius hominis iudicio tribuendum sit, qui fidem hisce habuerit, atq; adeò Historiæ suæ fundamentum tàm friuolum ac futile posuerit, denique ita præcipitem in harum nugarum assensum se dederit, vt quos dubitantes de ijs, aut ab se dissentientes deprehenderet, in eos velut consceleratos ac patriæ hostes conuitijs fulminandum sibi putarit, expendant, atq; ex vngue hoc de toto leone coniecturam capiant. Porrò de* BENEDICTA FRESIA *Indiæ regione ac regno quis audijt ante has nugas in lucem extrusas? quis aut Historicorum veterum, aut Geographorum eius mentionem aut vllum omninò iudiciū fecit? Nam de* Prasia *quod dicitur, putida coniecturæ ex allusione vocabuli figmentum est, ab otioso cerebro, speciem veri fabulæ suæ quærente, inuentū. Quo modo si ludere ex solâ vocum qualicunq; similitudine liceat, quid erit, quod fingere non fuerit expeditum?*

Iam

Iam de FRISONE *ipso, vt intermedia mittamus, quid dicemus? Eum ne regno deiectum, familia tàm illustri & potenti, tàm facilè ex intimâ Indiæ regione, & Gangetico tractu per tot terras aut maria, per gentes tàm multas, tàm magnas, tam dissonas, cum graui familiâ in Græciam penetrasse? illic Platonem docentem studiosè audisse? pòst Macedonibus quoq; militasse? Lysimachi neptem coniugem duxisse? & filios ex eâ tulisse? Hæc quisquam putet vera, aut saltem vero similia? Si Prasiæ imperio exclusus ab Agramme fuit, nec voluit aut potuit ob ignominiam aut periculum in proximâ regione consistere, cur non in Indiæ potius aliquâ parte, terræ tàm patentis atq; amplæ, quæ transeunda Europam petenti erat, ac gentis* ὁμογλώττου καὶ ὁμοφύλου *substitit, sedesq; posuit, quod erat sine controuersiâ commodius? an erat ei tota India tàm aut inuisa aut infesta propter vnum Agrammen, quantulæ partis Indiæ dominum, vt totam sibi fugiendam putaret? vt si quis tempore hoc fortunâ sit in Germaniæ parte excussus, constituat propterea totâ Germaniâ cum familiâ excedere, imò Europâ abire, adeoq; in vltimos Cathainos commigrare. Quanquam nunc quoq; ob commercia maiora, & itinera magis trita id sit futurum multò expeditius. Et si Indiâ excedendum putaui, cur non in Asiâ vniuersâ, in tàm vasto Persarum imperio, sedis aliquem locum cepit? an Persas omnes & Persis subiectos populos propter eundem oderat Agrammen? aut ipse in odio erat horum omnium, vt nusquam se tutum apud*

De Frisone Indo, Frisiorum ἀρχηγέτῃ.

eos esse posse arbitraretur? An tam suauis ei & facilis familiæ vniuersæ per tanta terrarum spatia circumductio? An, si patriam respectabat, ac spem reditus & restitutionis sequebatur, non Indi, non Persæ erant ad huiusmodi spem ac opem propiores? Et si militiâ delectabatur; eius copiam apud Persas habere non poterat? Et quæ fiducia expectatiove potuit eo esse tempore belli Macedonici in Indiam vsque transferendi? Pudet & tædet nugarum tàm inanium. Simile de Platone audito. Qui potuit Indus aduena Græcum, & quidem Platonem, quem ne Græci quidem omnes ob grandiloquentiam & sublimem dicendi modum, ac Geometrica θεωρήματα, disputantem assequebantur? Nec hic iuuabit Anacharsis Scythæ exemplum, cùm is matre Græca fuerit, & Græci sermonis peritiam domo secum in Græciam extulerit. De coniugio verò quid dicam? solusne Friso maritus factus in Macedoniâ, an & fratres? Cui autori Hilla ista Agathoclis filia, Lysimachi neptis, præter hos fabulatores, memorata? Quid? Lysimachus, Alexandri satelles ac militum præfectus, 40. totos annos post Alexandrum bella gerens, viuo adhuc & florente Philippo, aut recens perempto neptem habuit nobilem? imò proauus ex eâ est factus? cùm annos ætatis haberet ad summum 24. Nam annum agebat 74. vt ex bonis autoribus est notum, cùm prælio extremo cum Seleuco congressus anno post Alexandri mortem 41. post eiusdem in Asiam transitum 51. occubuit. Credat Iudæus Apella. Et quantum verisimilitudinis in hoc, tantum in cæteris,

cæteris, quæ in fabula sequuntur, Frisonem à morte Alexandri inuidiâ militiæ Macedonicæ ab Indis præsidio & patriâ cedere coactum, assumptis fratribus, liberis, familiâ & validâ sociorum manu per Asiæ immensos illos tractus in AEgyptum, ex AEgypto in Thraciam & Lysimachum, indè per mediterraneum mare, & Hispanicum Gallicumq; Oceanum in hoc boreum mundi latus, vbi nunc Frisia se extendit, anno à morte Alexandri VIII. aduenisse: aut, vt Furmerius in Peroratione suâ Suffrido sapientior scribit, ex Indiâ per minorem, Asiam, Siciliam, fretumq; Herculis eodē delatum esse, captisq; hic sedibus, ac veteribus incolis Sueuis atq; alijs submotis aut subactis, vniuersam regionem cum fratribus esse partitum, ipsum Frisios, Saxonem & Brunonem Saxonas & Brunsuigios condidisse. Ad quæ quæro rursum, qua ratione, qua fretus ope, si è Prasiâ iterum discessit Friso, per tot infestos Indiæ populos cum suis potuerit penetrare? cur non apud Seleucum Orientis dominum, aut cæteros Macedonas Asiam, AEgyptum, Macedoniam, Thraciam, Græciam, Illyricum tenentes, imprimis apud Lysimachum Thraciæ imperantem, eiusq; filium socerum suum, propiora & certiora fortunæ solatia, maluerit subsistere, quàm deuia, incerta, ignota sequi? quàm terram quærere ab ingenio & naturâ patriæ suæ δὶς διὰ πασῶν discrepantem, omnibus rebus illi aduersam? quid enim feruentius Indiâ? quid siccius, mollius, effœminatius, longius à more nostro, & à situ remotius penè toto orbe

potest reperiri? contra, hoc litore Boreo quid magis frigidum, humidum, horridum, inclemens, solam si terræ glebam exceperis, tantum surgens in Aquilonem & in Occasum vergens, quantum illa in Austrum deiecta, & procurrens in Ortum? quomodò sub cœlo calidißimo, solo torrido & sicco nati enutritiq; hoc frigore & vligine regionis nostræ sunt delectati? quomodò sub his coalescere, quomodò hybernos algores & pluuias perpeti, nondum rebus necessariis contra cœli sæuitiem instructi, nondum assuetudine indurati? Ad hæc, quomodò tàm pauci, quot exulum more per tot casus, & tanta terrarum mariumq; spatia potuerunt iter facere, indigenas, gentes bello validas & ad arma natas, animis corporibusq; vastas, ipsi natura molles & imbelles, si his conferrentur, dicuntur aut sedibus expulisse, aut subegisse? quomodò terras tàm amplas, Frisiam totam à Batauis in Danos, Saxoniam, regionem Brunsuigiam implesse, coluisse, contra vim hostium ab omni parte infestam defendisse? Quàm verò insulsum, Saxones & Brunsuigios diuersos populos facere, & tanto discrimine disiungere, quanto Frisij à Saxonibus sanguine, lingua, moribus, institutis, Repub. reuera sunt discreti? Quis nescit Brunsuigios inter Ostfalos esse, & puros putos Saxones? Quis Brunsuigium nomen auditum vnquam dicet ante natum Christum? quis ante Carolina tempora? imò ante Saxonum imperium? adeoq; imperij finem? Nam quamuis Brunonis vicus *in Vita Suidberti à Marcellino scripta nominetur*

De Saxonibus & Brunsuigiis.

minetur semel aut bis, non tamen gentis id nomen, aut prouinciæ peculiaris ponitur, sed loci perobscuri atque exigui, qui è Brunone quodam Saxonici sanguinis principe primum nominis & generis dynasta, patruo Henrici Aucupis Imp. vt consensus autorum habet, excultus & ampliatus vrbis formam accepit. Prouinciæ autem id nomen ex metropoli cœpit esse demum tempore Henrici Leonis Saxoniæ Ducis, qui à Frederico Barbarossa Imp. reliqua Saxonia exutus hanc partem cum Lunæburgensi ditione recuperatam eiusdem Imperatoris beneficio retinuit, titulumque Ducis Brunsuigij Lunæburgensis transmisit ad posteros. Quod si nomina huiusmodi gentes diuersas denotant, cur non Lunæburgæ quoque nomen, & similia idem iuris habent? Sed mitto in re plana & nota disputare. Ad FRISONEM *redeo. Quomodò is tantula instructus hominum copia, triente scilicet comitatus vniuersi ex India educti, tàm florens regnum constituit, & in istam fortunam & splendorem redegit adhuc viuens, legibus, institutis, structuris excultum filio reliquit, quemadmodum id nobis depingit, aut fingit ex scriptoribus suis Suffridus? Quomodò (inquam) tantas sibi opes ac nomen quæsiuit, vt fœdera cum eo pepigerint ordines vniuersæ Germaniæ, atque ipsi curam limitis Borei contra vim maris & prædonum, contraque alios hostes commiserint; proptereaque præclara priuilegia immunitatis & libertatis perpetuæ tribuerint? Et qui quæso tum isti ordines Germaniæ penè sine lege, sine iure, sine certo statu degentis, in qua cuncta*

Rursum de Frisone & actis eius.

in fluctu. vis pro lege erant? *Quis de* Salica, *quis de* Riduaria *ac* Schipuaria *fabulæ fidem adhibebit? Aluinine autoritas Francos possessione tàm vetustâ in* lege Salicâ *deijciet? consensum & fidem tot autorum ac testium elidet?* Ripuariam *notam & celebrem in* Riduariam *nobis commutabit? Rheni accolis ereptã litoralibus Frisiis sub corrupto nomine tradet? Heroldum supinæ negligentiæ & imperitiæ conuincet?* Schipuariæ *voce ineptâ & commentitiâ nobis imponet? Apage vanitatem. Et quàm ridiculum de Feudorum origine, atq; vsu à Frisone primùm reperto atq; introducto, quod dicitur? Pudeat Iureconsultos ignorantiæ suæ, qui secus omnes hactenus tradidêre, & ad Gothos, Vandalos, Longobardos, quidam etiam ad Constantinum Magnum retulêre. Sed quæ ratio, quæso, affertur, quæ fides nobis fiet? Suffridus ex Aluino recitat, Aluinus ex Rhythmis veteribus. Idonea ratio, & autoritas præclara, quam consensu tot eruditorum hominum opponamus, imò anteferamus. En iterum iudicium aut supercilium hominis senis.*

De scriptis Frisonis.

Rursus de scriptis Frisonis, quod affirmat idem Suffridus, quàm ineptum & à fide alienum? Quis ea vidit vnquam? quis de ijs inaudijt? quo teste res nititur? an quo alio præter Aluinum, atq; ipsum Suffridum? nullo. Deinde si libros scripsit Friso, quâ scripsit linguâ, patriane in Indiâ vsitatâ? an Græcâ? an Germanicâ? Si Indicâ, quo interprete Aluinus vsus, vt intelligeret, quid libris contineretur? Si Græcâ, eadem quæstio: nam Græca calluisse Aluinum tùm credemus,

cùm

cùm verum esse, quod ab eo de Fresia Benedicta, *de* Corona, *&* Vexillo *dictum, persuadebimur. Si Germanicá, quo voces alludunt, falsus Cornelius Tacitus, qui disertè scribit, ad suam vsq; memoriam in Germaniá viros pariter ac fœminas literarum secreta ignorasse. Quod quid aliud est, quàm castißimo & veritatis amantißimo, & Germanicarum rerum maximè gnaro scriptori alapam impingere? Iam hac occasione porrò libet quærere, si indus Friso cum Indis in hanc oram venit, populumq; nouum sub motu incolis veteribus condidit, statim ne abijt in linguam eorum, quos loco deiecit, aut quos habuit vicinos tum ipse, tum vniuersus populus? Et qui potuit tàm citò? Indicane ita confestim extrita ex vsu fuit, vt nulla reliquiæ, nulla vestigia superfuerint? Linguane Sueuorum, cæterorumq; Germanorum melior & elegantior visa, quàm Indorum, vt eam ob causam, quod aliquando fit, huius vsus cum vsu illius sit permutatus? idq; cum studio, aut ex decreto factum? At nihil tùm sermone Germanico incultius, & à literariá tractatione alienius: quod sæcula quoq; docuêre sequentia penè ad Carolum vsq; Magnum: vt id quidem locum hic habere non potuerit. Quòd si cultior colonia noua lingua, ea retinetur pertinaciùs, & nouis sedibus infertur, licet interdum commixtione vitietur. Cuius rei exempla dari possunt infinita. Atq; hic si quis pro Suffrido dicet, quòd Frisicum idioma longiùs à communi vicinoq; Germanico discedit, id ex commixtione cum sermone Indorum esse tractum, is & ineptè*

 dicet.

dicet, & in hac quæstione adhærescet, cur. si id ex Indico sermone sit, in Saxonico & Brunsuigio idiomate idem non acciderit, cùm Saxonis & Brunsuigij non minùs ex Indis sint, si vera Suffridus dicit, quàm nostrates? Item, cur, vt Frisij à Saxonibus idiomate differunt, ita non differant ab ijsdem Brunsuicenses, cùm originis vtrobiq; ratio par? Quæ dum explicari & tueri vult in Originibus suis Suffridus, natat ille quidem, sed enatare non potest. Sed missa isthæc, vt minora. Mortuo Frisoni, ait Suffridus, succeßit filius eius ADEL, Adelem filius item VBBO, Vbbonem ASINGA ASCON, quo principatum patriæ tenente natus est in terra Christus, eiusq; anno 11. ipse est mortuus, si Scarlensi fides habenda, omnes florente & plurimùm auctá repub. magnis & splendidis rebus belloq; paceq; gestis clari: è quibus ADEL in fœderibus parentis sui Frisonis commentarium confecit, teste Suffrido Starckenburgio, Suffridi nostri auo: VBBO verò & Frisonis aui & patris Adelis vitam descripsit, deq; coloniâ VBIORVM ab se deductâ librum composuit, deniq; plenam scripsit Frisiorum historiam, ex quâ pleraq; sua de rebus huius gentis veteribus mutuatus est Sulco Fortemannus, atq; ex eo Cappidus. Eodemq; tempore GRVNVS Vbbonis patruelis genealogias posterorum Frisonis literis exposuit, testante eodē Suffridi auo, Suffrido Starckenburgio: in quibus omnibus nescias quid mirere magis, aut maximæ vanitatis damnes: Trecentosne viginti quinq; annos à quatuor Principibus illis Frisone, Adele,

De successoribus Frisonis.

Vetustißimi scriptores Frisiæ sed fabulosi.

Adele, Vbbone, Ascone, regendo completos? tot enim ab aduentu Frisonis in has oras, ac principatus initio vsq; ad 11. annum Christi, quo Ascon dicitur mortuus, intercedunt, præsertim cum ætate robustâ iam fuisse Frisonem necesse sit, cùm hæc litora occupauit. Quo posito, 81. annos & ampliùs vnumquemq; in imperio patriæ fuisse oportet. An tanto literarum cultu fuisse hos principes, vt libros scriberent, & historias conderent? populumq; tàm politum, vt his vti potuerit? cùm, qui de Germanis veteribus antè Christi tempora scripsêre, alia omnia de ijs prodant, & Tacitus grauißimus autor & rerum Germanicarum peritißimus, ac minimè maleuolus ad sua vsq; tempora, vt iam antè nobis dictum, literarum secreta Germanos omnes ignorasse disertè testetur? An tanta sobole abundasse nouellum populum, vt sub tertio Principe deductâ coloniâ minuenda multitudini habuerit opus? Vbiosque *Rheni accolas vetustos, qui & celebres & potentes ante C. Cæsarem fuêre, bellaq; difficilia cum Sueuis geßêre, ex Frisiis esse ortos, & ab* Vbbone *istis sedibus esse constitutos, nomenq; sortitos? cùm tamen necesse sit aut cum ipso Cæsare vixisse Vbbonem, si quid in his fabulis veri inest, aut ætati eius fuisse proximum: deniq; tantam vim similitudinis vocabuli apud otiosos homines fuisse, vt tàm lepidam parere fabulam potuerit? An verò tot sæculis continuis ab Alexandro Macedonio interitu ad vltima Augusti, atq; inde per proxima Imperatorum Romanorum tempora, tantis opibus, tantâ gloriâ, bello paceq; fuisse* Nota. *Clari Suffrido, autoribus optimis obscuri, aut ne noti quidem.*

Nn 5 *Frisios*

Frisios maiores nostros, & rempublicam tàm præclaram, optimisq; constitutam legibus habuisse, tàm illustri nomine floruisse, fœdera pactaq; cum tota Germania coluisse, tot tamq; inclytis, ac Romano Imperio coniunctis & amicis claruisse Principibus, quemadmodum in ideâ illâ Suffridæâ est, & tamen tam obscuram ac tenuem eorum memoriam in veterum libris esse, ante natum Christum ne nomine quidem signatos, post per multa sæcula perparcè memoratos, Principes ipsos non verbo, non vllo indicio notatos? Gentem, inquam, tantâ famâ, tantâ potentiâ, tàm illustribus & eruditis, ac in ipsâ quoq; Græcia suspiciendis institutis, tàm claris Principibus in ipso limite Romani Imperij sedisse, res maximas gessisse, & tamen ab autoribus coæuis, & fidis, rerum Germanicarum gnaris, ac quorum hæc scriptio propria videtur esse debuisse, aut non memoratam, aut ita memoratam, vt splendor ille nusquàm appareat, Principes verò ac Duces in hoc naturæ theatro ne fuisse quidem videantur? Et quæ, quæso, causa à quoquam huiusce causæ patrono poterit adferri, cur optimi autores, Cæsar, Liuius, Strabo, Velleius, Plinius, Tacitus, Tranquillus, Dion, & qui classis eiusdem alij, Ariouistos, Maroboduos, Sigemeros, Inguiomeros, Arminios, Segestes, Flauios, Italos, Segimundos, Arpos, Bellinos, Carioualdas, Ciuiles, Iulios, Paulos, Brennones, Gennaseos, Malouendos, Melones, Betoriges, Theudorichos, Germanicarum gentium Principes literis suis celebrarint, Frisonis, Adelis, Vbbonis, Asconis, Diocari,

Dibbal-

Dibbaldi, Tabbonis, Asconij, Adelbodi, Titi, Boiocali, Vbbonis alterius, Haronis, iterumq́; Vbbonis, Odilbaldi, Vdolfi, Richoldi, Vffonis nullam vsquam mentionem, imò nullum hominum talium inditium fecerint, si ea vera sunt, quæ de his ipsis Suffridus & Suffridæi recitant? Cur ijdem, qui motus Germaniæ alios, maximè, quâ Germania Rheno vicina est, posterorum memoriæ prodiderunt, Frisiorum quoq; tumultus exposuerunt, horum eorundem Frisiorum arma in Suevos, Bructeros, Batauos, Tungros, Brabantos, quæ à Scarlensi, & id genus scriptoribus Suffridæis magnificè memorata sunt, ne verbo quidem attingenda sibi putarint? Qui Sueuorum, Vbiorum, Cheruscorum, Bructerorum, Chattorum, Vandalorum, Chaucorum instituta ac mores hic illic parcius pleniusve, cùm commodum erat, notarunt, Frisiorum, si hi à Chaucis diuersi sunt, ac eâ veritate nituntur, quæ Suffridus tradit, prorsus obruerint silentio? Nulla certè. Ex quibus sine controuersia conficitur, totum hoc narrationum paradoxarum systema fabulosum & confictũ esse, partum vani & mẽdacis cerebri, personas fabulæ, meras Chimæras, & Hippocentauros, & si quid simile. Nec quisquam hic obijciat mihi, nõ probè hoc consequi, probos autores hoc aut illud nõ dicere, ergò ne verum quidem esse: nec enim in partem negantẽ firmũ esse argumentũ: multa quippe gesta esse olim, ac hodie geri, quæ à scriptoribus aut tradita nõ sint, aut nunc nõ tradãtur literis. Sic namq; dici à quibusdã non ignoro. Etenim, si de re vnâ atq; altera paucisve, quæ particulares & Occupatio.

momenti

momenti minoris sunt, agatur, non procedet argumentum huiusmodi: maximè si ab vno duobusve scriptoribus non sunt expressæ. At si præcipua res fuerit summam status aut Reipub. complexa, si integra aliquot sæculorum, in gente nota & sæpè memorata, series, si illustria bello paceq; gesta, quæ latêre non possunt, qualia sunt, de quibus hic contenditur, secus iudicandum. Quæ si non vnus alterve, sed omnes illorum temporum scriptores, & quidem fidi ac diligentes, & qui ignari eorum esse non potuerunt, quorumq; officium erat, ista silentio non præterire, quosq; viliora & minora argumenti eiusdem non præteriisse videmus, tacent, pro commentis inanibus, posterorum vanitate confictis, sunt habenda: præsertim si huiusmodi sint, vt cum iis, quæ à fidis autoribus tradita sunt, ob contradictionem stare non possint. Cuiusmodi sine controuersiâ Hunibaldica de origine & rebus Francorum vetustis habemus. Nam si nosse potuerint autores ea, de quibus est quæstio, vti Cæsar, Strabo, Velleius, Plinius, Tacitus, Dion hæc de Frisiis memorata, si ea vnquam fuerunt, & si eadem magna & illustria sint, ac talia, quæ ad statum Reipub. quàm maximè pertineant, quæq; posterorum memoriâ sint digna, nō solùm negligentes aut inuidos censere nos scriptores eiusmodi oportet, idquod cum bonis & diligentibus pugnat, sed etiam mendaces. Qui enim consultò non dicit, quod dicere ex officio debebat, sed tacet, ne lector sciat, is verax nō est, adeoq; falsum tacendo committit. Talis autem mendax est. Quo crimine scriptores iam dictos

grauare,

grauare, improbum putamus. Iam verò & ea dixerunt autores hi ijdem de rebus notis, quæ si vera sunt, simul vera esse non queunt, quæ à Suffrido, & hac classe scriptorum Suffridæorum memorantur. Contradictoria quippe sunt sine controuersiâ. Etenim de Vbijs vt non repetam, quod dixi prius, de Sueuis quæ C. Cæsar narrat lib. 4. belli Gallici populos tam valido, tam amplo, tam feroci, tam graui vicinis, imò vicinos vix ferente, an non talia sunt, vt quæ de Frisone suo & Frisijs commentatus Suffridus, sine dubio confutent, & confundant? Iam quæ Plinius strictim de Frisiis & vicinis notat, eane cum splendore illo gentis, quem idem Suffridus somniat, illo conueniunt modo? Item de populis istius oræ Germanicæ post Rhenum autores cæteri, quorum alij Frisios nominant, alij ne nominant quidem? At Tacitus hîc nobis vnus instar omnium esse potest, ex quo solo plus rerum Germanicarum veterum cognoscere possumus, quàm à reliquis, qui extant vniuersis, non modò diligens ac fidus scriptor, sed ex administratione rerum regionis proximæ, eorum quæ scripsit, gnarus. Is igitur & Batauorum situm, & Frisiorum, & Chaucorum in litore Oceani se mutuò attingentium, in libello de moribus Germanorum distinctim nos docet, atque ita hinc Batauos, illinc Chaucos prædicat, vt inter eorum laudes Frisiorum nomen penè obscuret. Sic enim de Batauis prius: Omnium harum gentium virtute præcipui BATAVI non multum ex ripâ, sed insulam Rheni annis colunt, Cattorum

Ex C. Cæsare.

Ex Plinio.

Ex Tacito.

quon-

quondam populus, & seditione domesticâ in eas sedes transgressus, in quibus pars Romani imperij fieret. Manet honos, & antiquæ societatis insigne. Nam nec tributis contemnuntur, nec publicanus atterit, exempti oneribus & collationibus, & tantùm in vsum præliorum sepositi, velut tela atque arma bellis reseruantur. *Et de eorum genitoribus* CATTIS: Multum (vt inter Germanos) rationis ac solertiæ: proponere electos, audire propositos, nosse ordines, intelligere occasiones, differre impetus, disponere diem, vallare noctem, fortunam inter dubia, virtutem inter certa numerare: quodque rarissimum, nec nisi ratione disciplinæ concessum, plus reponere in duce quàm in exercitu, omne robur in pedite, quem super arma ferramentis quoque & copiis coonerant. Alios ad prælium ire videas, Cattos ad bellum: rari excursus, & fortuita pugna. Equestrium sanè virium id proprium, citò parare victoriam, citò cedere. Velocitas iuxta formidinem, cunctatio propior constantiæ est. Et aliis Germanorum populis vsurpatum, rarâ & priuatâ cuiusque audentiâ, apud Cattos in consensum vertit, vt primum adoleuerint, crinem barbamque submittere, nec nisi hoste cæso exuere votiuum obligatumque virtuti oris habitum. Super sanguinem & spolia reuelant frontem, seque tum

tum demùm pretia nascendi retulisse, dignosque patriâ ac parentibus ferunt. Ignauis & imbellibus manet squalor. Fortissimus quisque ferreum annulum, ignominiosum id genti, velut vinculum gestat, donec se cæde hostis absoluat. Plurimis Cattorum hic placet habitus. Iamque canent insignes & hostibus simul suisque monstrati. Omnium penes hos initia pugnarum, hæc prima semper acies, visu noua. Nam ne in pace quidem vultu mitiore mansuescunt. Nulli domus, aut ager, aut aliqua cura, prout ad quemque venere, aluntur, prodigi alieni, contemptores sui, donec exsanguis senectus tam duræ virtuti impares faciat. *Et de Tencteris finitimis penè similia. Tum de Frisiis:* A fronte FRISII excipiunt. Maioribus Minoribusque Frisiis vocabulum est ex modo virium: vtræque nationes vsque ad Oceanum Rheno prætexuntur, ambiuntque immensos insuper lacus, & Romanis classibus nauigatos. *Demum de Chaucis:* Ac primo statim CHAVCORVM gens quanquam incipiat à FRISIIS, ac partem littoris occupet, omnium, quas exposui, gentium lateribus obtenditur, donec in Cattos vsque sinuetur, tam immensum terrarum spatium non tenent tantùm Chauci, sed implent, populus inter Germanos nobilissimus, quique magnitudinem suam malit iustitiâ tueri, siue cupiditate,

siue

sine impotentiâ quieti secretique, nulla prouocant bella, nullis raptibus aut latrociniis populantur. Id præcipuum virtutis ac virium argumentum, quod vt superiores agant, non per iniurias assequuntur. Prompta tamen omnibus arma, ac si res poscat, exercitus, plurimum virorum equorumque, & quiescentibus eadem fama. *Quæ si euidentia satis his hominibus non sunt ad eam rem, de quâ nunc agimus, quid satis euidens ijs esse possit, non intelligo. Alia tamen ex eiusdem Annalibus & Historiâ etiam videamus. Primùm bella ea ac tumultus, quibus biennium à decessu Augusti occupatus fuit in hac orâ Germaniæ Cæsar Germanicus, ita recitat hic autor, vt Vbios, Chaucos, Visipetos, Marsos, Bructeros, Cattos, Cheruscos celebret, Frisios nominet nusquã nec hostes, nec amicos: Deinde in Cheruscos ac vicinos expeditionem Cæsaris eiusdem describens, quia pars exercitus haud procul ostio Amasum traducta, rursumq; pars alia eodẽ amne in Oceanum deuecta, Batauos Chaucosq; sæpè, Cattos etiam & Angriuarios & Marsos recitat, Batauorumq; principem Carioualdam memorat, Frisiorum nomen silet. Ad hæc* Olennij *historiam illã citatam à Suffrido cùm exponit, hoc quidem docet, imperante Augusto, à Druso victos, tributariosq; factos esse Frisios, & castello pressos, nec quicquam post mouisse vsq; ad Olennium præfectum: sed ita rem gestam describit, vt & tenuem fuisse gentis fortunam, & coriarium illud in pecuniarium tributum ne tum quidem*

De Olennio, & Frisorum tributo.

dem adhuc mutatum esse, quod Suffridus persuadere nobis vult, expreßis verbis ostendat. Ait enim, Drusum tributum ei iußisse Modicum, pro Angustia rerum, vt in vsus militares coria boum penderent, non intenta cuiusquam cura, quæ firmitudo, quæ mensura: donec Olennius è primipilaribus regendis Frisiis impositus terga vrorũ delegisset, quorum ad formam acciperentur: inde impatientiâ actos Frisios in milites sæpisse sæuire, eosq́; agro suo fugasse, Olennium fuga elapsum in castello obsedisse: mox à L. Apronio proprætore cum exercitu maiore aduentante ab obsidione quidem depulsos, verùm minutis primùm præliis commißis, ad extremum illustrem victoriam cum claro nomine retulisse. Atq; hæc gesta sunt à morte Augusti 14. Quæ si mentitus Cornelius non est, castißimus & veri amantißimus scriptor, necesse est non solùm somnium illud, quod de splendore atq; opibus gentis, & principe Diocaro, & pace sub eo inconcußâ, sed etiam, quod de tributo coriario in pecuniarium verso iam tum viuente adhuc Augusto, eoq́; ad tempora vsq; Caroli Magni continuato Suffridus & Suffridæi nobis tradidêre, vno hoc loco detectum simul & semel concidere. Nec verò audiendus hoc loco Suffridus fuerit, qui totam hanc rem ad solam eam Frisiæ portionem, quæ ad Occidentem Fleui est, vt in Originibus fecit, volet restringere. Nam & ipse fatetur, tributum coriarium ad totam gẽtem pertinuisse, ac viuo adhuc Augusto in pecuniarium esse versum, & historiæ consensus irrefragabilis ostendit, Drusi victorias ad

Amasum Visurgiumq́, Germanici filij eius ad Albim vsq́ peruenisse. Iam Chaucos duce Gannasco Caninefate Germaniam inferiorem incursasse, & nauigiis fretos traiecto flumine Gallorum oram esse depradatos, septimum iam annum imperante Claudio, eosdem à Corbulone repressos, lintres eorum in ipso flumine demersos quod scribit idem autor: imprimis quod subijcit, Frisiorum nationem per rebellionem clade L. Apronij cœptam, infensam aut malâ fide obsidibus datis consedisse apud agros à Corbulone descriptos Corbulonemq́ Senatum, Magistratus, leges ei imposuisse: adeoq́ ne iussa exuerent, præsidium ibi muniuisse: dein Chaucis maioribus ad deditionem per suos sollicitatis, Gannasco per dolum interempto, exortis ob cædem eius apud Chaucos turbis, cum exercitu in eorum regionem inuasisse, & iussu Claudij esse reuocatum: hæc, inquam, an non huiusmodi rursus sunt, vt si pro veris ea habeamus, ista quæ Suffridus de Frisiæ statu illorum temporum, de principatu Diocari Segonis, in cuius annum vltimum ab Andreâ Cornelio notatum hæc inciderunt, imprimis de αὐτονομίᾳ gentis, de Chaucis imperio Frisiorum subiectis, de quiete ab armis, cæteraq́ similia pro veris habere non poßimus? Iudicium æqui lectoris esto. Quid porrò de Verriti & Malorigis *historia apud eundem Tacitum dicam? quàm illa Suffridais aduersa, imò contraria è diametro? Hos quippè Tacitus, Nerone imperante, nationem Frisiorũ rexisse, auspicijs suis in agros alienos Romanæ ditionis duxisse, non Dibbaldi alicuius aut Richoldi,*

De actis Corbulonis in Frisia.

De Verrito & Malorige legatis.

quos

quos tum genti præfuisse Suffridæa fabula perhibet, non alterius cuiusquam nutum respexisse, suo consilio, suadente Dubio Auito, non arbitrio Principis maioris preces suscepisse, Romam iuisse, repulsam tulisse affirmat: Frisiosq́; tum Ansibariis, populo sanè inglorio, Ansibarios Chaucis inferiores fuisse ostendit: vt de Boiocalo, quem ex Ansibariis ad Frisios noua hæc historicorum natio traducit, nihil hic addam, festinans ad alia. Toto eo bello, quod Claudius Ciuilis *Batauus commotis omnibus vicinis cis vltraq́; Rhenum, commotâ totâ penè Galliâ, difficillimum & periculosissimum Romanis intulit, imperante Vitellio, Vespasiano eius æmulo cum exercitu in Italiam contendente, cùm post Batauos primi Caninefates & Frisij in armis essent, & cum Batauis præsidia Romana, nauesq́; inuaderent, quid causæ est, cur vt* Brunonem *Caninefatum ducem celebrauit idem Tacitus, ita Dibbaldum quoque Frisium, aut Richoldum præfectum huius, quos noua hæc historia ad id tempus iactat, obruerit silentio? cur adeò nullum vel indicium de ijs posuerit in Historiâ, vt ne suspicio quidem de his ipsis oriri apud prudentem attentumq́; lectorem queat? Quonam modo, cùm Suffridæi scriptores tradant, ab anno Christi 70. totum sexennium pacem coluisse Frisios bello cum Danis composito, eiusque colendæ valdè fuisse cupidos, si vera hæc tradunt, à falsi crimine purgari poterit Cornelius, qui eos hoc se bello Batauico difficillimo quod in annum incidit 72. & 73. miscuisse commemorat?*

De bello Claudij ciuilis.

Quomodò, si fœdus huiusmodi cuiusmodi Suffridus ait, Frisiis cum Romanis fuit, hoc ijs, quod memorat Cornelius, facere licuit? quâ deniq; factum ratione, vt vincentibus vbiq; Romanis, bello confecto, victis grauior conditio non sit irrogata? Quid de domitis à

De Clodio Albino. Clodio Albino *ijsdem Frisiis dicam, quod Capitolinus scriptum reliquit? quod δὶς διὰ πασῶν rursus ab ijs, quæ de Adelboldi & Titi Boiocali principatu in gente eâdem, qui cum Albino floruêre, Scarlensis & ex eo Andreas Cornelius exponunt, dissidet; vt necesse sit*

De colonis Frisiorum. *aut illum aut hos cum veritate pugnare. Quid de coloniarum deductionibus quod commentatus est Suffridus, imprimis de Scoticâ, Hessiacâ, Abyssinâ, Vbiâ, cui si hic adhibuerimus fidem, non solùm fidissimos rerum autores damnabimus falsi, sed in absurdissimas absurditates nosmet immergemus? Quid deniq; de*

De Stauera. S T A V E R A *Frisiæ metropoli, Principum, Ducum, Regum sede? cuius antiquitas, amplitudo, splendor, opes incredibiles ita nobis ab hac Scriptorum classe, quorum patronus Suffridus est, sunt descripta, vt ni falsa illa sint (loquor de his quæ Carolinis temporibus sunt antiquiora) nulla nobis ratio sit quâ Cæsarem, Melam, Strabonem, Plinium, Tacitum, Ptolemæum, Dionem, reliquos omnes, qui harũ regionũ descriptionem historiamve condidêre, autores veteres aut à fide malâ, aut à flagitiosâ atq; inexcusabili ignorantiâ possumus absoluere. Perinde quippè fecerint, ac si quis Italiam Italicaq; scribere professus post efflorescentem Venetæ vrbis fortunam tàm illustrem, tamen huius*

eiusdem

eiusdem in toto opere mentionem faciat nullam. Argumentum vel solum sufficiens ac idoneum, ex quo colligere vir prudens & solers poßit, quid de toto hoc dramate Historiæ Suffrideæ sit statuendum. Arx enim & sedes præcipua Reipub. & fortunæ Frisiorum, & rerum ab his gestarum si exposita fabulosè est, cætera dramatis fabulis libera quomodo censeantur? Itaq; plurima alia in serie rerum, quæ sunt ab Aluinis, Vlieterpijs, Scarlensibus, Cappidis, Sulconibus exposita, & ab Andreâ Cornelio in vnum contracta volumen, à me verò succinctè in Historiâ meâ libro tertio notata, ridicula pleraq; & inepta breuitatis ergò hic omitto. Hoc verò percunctari libet, quo colore se efficere posse existiment, qui dramatis huius defensionẽ suscipiunt, vt credamus cum historicâ fide non pugnare, quæ de Brabantiâ in hac rerum serie sunt commemorata? imprimis Diocarum Segonem nõdum principem aliquot annis ante natum in terris Christum dedisse se stipendijs Caroli Brabantiæ Ducis, stipendiaq; eius 16. totos annos fecisse, & magnas res terrâ mariq; peßisse: mox Asconem Frisiæ principem, recens nunc nato Christo, eidem Carolo Duci bellum intulisse: deinde Titum Boiocalum Frisiæ principis fratrem ex concubinâ ortum, Antonino Philosopho Imp. societate studiorum coniunctißimum, Roma in Brabantiam venisse, ad Ducem Goddardum, rursusq; è Frisia ad eundem reuersum arma pro illa in Romanos geßisse, ob rem fortiter gestã equestri dignitate à Brabanto esse ornatum: post auxilio à fratre missum M. Antonino Philosopho **Fabulosa de Brabantiâ.**

bellum cum Vandalis gerenti, tantaq; lætitia atq; exultatione in aduentu suo exceptum à Romano exercitu, ipsoq; Imperatore, vt ex clamore & fremitu eo territus Vandalus sine pugna in fugam ierit, atq; ita velut confecto bello, frustrà, vt cùm ipso maneret, ab Antonino rogatum cum insigni commendatione ad fratrem remeasse. & istic quoq; Vandalos cum Gothis in Frisiam irrumpentes ad internecionem cecidisse; fratriq; viuo & volenti in principatu esse submissum: Post hunc Odilbaldum ab Vbbone patre, Boiocali successore, ad Carolum VVericum Brabantiæ Ducem disciplinæ causâ ablegatum, exacto apud eum quadriennio, nescio patre, ad Valerianum Romanis imperantem profectum, induratumq; bellis continuis tandem sub Diocletiano periisse in Ægypto: Deniq; ENGISTVM etiam & HORSVM Frisios, Vdolfo Principe natos, post alia militia experimenta ad Valentinianum Imp. militatum concessisse, expletoq; sexennij stipendio, priusquam domum, redirent cum Taxandro Duce Brabantiæ totum triennium, ad annum scilicet post Christum natum 380. mansisse: Hæc, inquam, quo poterunt colore pingere, tàm vana ac putida, vt in fabulis puerilibus, ne verisimiliter quidem confictis, ea non habeamus? Qui enim quæso Brabantiæ Dux, imperante Augusto, ad quem iuerit Segon, cum nec nomen illud regionis, nec huiusmodi eius status non solùm tùm, sed multis quoq; pòst sæculis non fuerint in rerum naturâ? Nam ne manus quidem sua cuiquam potest esse notior, quàm hoc omnibus eru-

ditus est, Romanos Belgicæ totius tùm dominos fuisse, eam per præsides suos, aut præfectos, procuratoresve administrasse, hæreditarias potestates huiusmodi aut imperia, cuiusmodi autor dramatis huius somniauit, in prouincijs suis aut subiectis regionibus non tulisse, feuda & feudorũ ius, Ducum, Comitum, Baronum titulos, velut potestatũ dignitatumq́ gradus, multis sæculis post Augustum Cæsarem adhuc planè ignorasse: omnia hæc ab influxu barbararũ nationũ in Romanas prouincias demùm nata & maximè Francorũ Saxonumq́ imperio ampliata firmataq́: Brabantiæ nomẽ ne Carolinis quidẽ temporibus auditũ quidem, Duces eius penè nuper ortos. Quapropter nõ ista solùm fabula est, vt insulsa nimis, ita & nimis manifesta, quæ de Segone est apud hoc genus scriptorum, sed & cætera de Brabantiâ, quæq́ cum his cohærent, mera sunt nugæ, mera vanorum hominum somnia aut figmenta. Et cuiusmodi hæc esse deprehenduntur, tale totum fabulæ drama iudicator. Placetne plura cognoscere? De tribus paribus fratrum, quos ENGISTOS & HORSOS indigitarint parentes, quod in eodẽ dramate est, cui, qui helleboro non habeat opus, fiet fides? quorum primum par Vetgisto Saxone natum, inglorium & nondũ matura ætate perierit: alterum ex Suana Vetgisti filiâ, & Vdolfo Harone Frisiorum Duce editum, & in aui materni domũ traductũ, in Iutiam primùm, deinde in Britanniam cum populorũ manu nauigarit, magnisq́ rebus gestis & regni initijs iactis, in eâdem demùm insula, incolumi maioris prole, occubuerit, id

De Engisto & Horso.

 ipsum

ipsum quod à Beda celebratum: tertium deniq; horum sororis, & primi Frisiæ regis filio Odilbaldo rege genitum, auxilio fratris Richoldi II. regis classe paratâ in Britanniam quoq; contenderit, verùm in primo cum Britonibus conflictu oppetierit mortem. Quis nisi sciens vidensq́; errare volens, credat fabellis, quæ præter ea, quæ tradita quondam à Beda sunt, & scriptoribus eius generis alijs fide dignis, imò ijs contrariæ de Engisto & Horso principibus illis Britannicæ coloniæ, in his commentarijs paradoxis sunt recitata? quibus id accidit, quod solet commentis huiusmodi accidere, vt non solùm narratis Historicorum fidelium manifestæ vanitatis arguantur, sed secum quoq; pugnantes semet confundant. Mitto de natalibus Engisti, quos è Saxonibus petit fidißimus autor, & saculo illi proximus, eademq́; in gente natus, venerabilis Beda, & huic consentiens doctorum scriptorum natio: Scarlensis autem, quem dicere non poßis, quis fuerit, nunquam quidem auditus, nedum visus lectusve hactenus, & ex eo Andreas Cornelius homo obscurus, literarum meliorum rudis, nuper natus, ac ipse noster Suffridus, asscribunt Frisiis. Mitto de sexenni militiâ sub Valentiniano Augusto, & honore singulari deq́; vita apud Taxandrum Brabantiæ Ducem, hominem nunquam in hoc orbe natum, per triennium acta, de colloquio cum Britonum rege prolixo equè ac inepto, de sede in insula petita, quanta corio bubulo cingi posset & Lancastria vrbe, exemplo Carthaginis in Africa, in ea sede extructa, de capto deniq;, & Glocestri Principis Endollæ iussu,

iussu, à carnifice in corona populi capite mulctato ipso Engisto; postremò de Vdolfi patris potentia & gloria, eiusq; successore apud Frisios, Richoldo Offone primo Frisiorum rege, quæ ex Scarlensi eodem, similibusq; laruis, inanibus ac fictis commentis, idem Andreas Cornelius chartis nuper eleuit. De expeditione in Britanniam à fratribus his suscepta moneo, quæroq; Furmerium, quid afferre queat, quo minùs secum pugnare, ac sese conficere harum nugarum autores non videantur? Nam Scarlensem secutus Andreas Cornelius narrat, cùm leuandæ multitudinis causa, coloni in Frisia sorte ducti & sedes nouas quærere iussi essent, Engistum Horsumq; principis filios classe parata recta in Britanniam iuisse sedesq; ibidem cepisse. Suffridus autem, cui id minùs placebat, aut ingenio suo, aut Vdolfis, Iglonibus, Hollijs, nunquam natis in hoc mundo scriptoribus, nunquam à se visis vel lectis, fisus, in Angliam Iutiæ, mari Baltico adsitam, cum socijs primùm enauigasse scribit, ibiq; sedibus positis, societate cum incolis, cognatis suis Anglis Saxonicæ originis, alijsq; eius oræ Saxonibus per totos 62. annos piraticam factitasse, Armoricisq; & Britannis maximè fuisse infestos: tandem oblata occasione, expectata diu in Britannia sedes sibi constituisse, & ea gessisse, vnde initia & regni & nominis Anglici in eâdem insula sint profecta. At verò in Beroaldo rege à Clotario Franco victo cæsoq; quanta Suffrido cum vniuersa classe Historicorum bonorum, qui Saxonicas Francicasq; res composuêre, dissensio in quâ si sequi Suffridum

De expeditione in Britanniam.

De Beroaldo rege, & Aldegillo.

libet, necessum fuerit, omnibus cæteris in re omnium maximâ, & in Historijs istorum temporum & istarum gentium eminente, nos fidem abrogare. Quod faciat sanè, cui talis animus est: ego ob Suffridum & ridiculas rationes eius, ac Chimæris & Briareis similium testimonia commentitia, tantam contumeliam viris benè de vetustate & Historiâ meritis irrogare non audeo: nec audebunt, aut volent, credo alij, quibus sanum cerebrum est, & veritatis amor. Sin cum his, quorum suspecta fides non fuit hactenus, sentire volumus, & hanc ipsis contumeliam demere, cogimur vel inuiti non solùm partem hanc sed totum systema narrationum Suffridæarum hactenus inauditarum in fabulis habere. Cohærent enim inter se membra eius, & se sustinent mutuò, atq; ita congenita cõtextu perpetuo sunt, vt si vnum hoc, & quidem tam illustre ac nobile labet, omnia simul cum eo ruere necesse sit. Prætereo hic, quod antè notaui, si nouam hanc Historiam recipimus, credere nos oportere, Beroaldum Frisiæ regem in acie cæsum anno 64. Aldegillum filium eius ampliùs quam 80. sceptrum tenuisse, & illum quidem annos 92. hunc 96. vixisse: Radbodum quoq; Aldegillo natum regnasse 51. vita complesse 71. Quod quomodo verisimile in continua serie, in auo scilicet patre, & filio? quod rarissimũ etiam in vno. Aliud longè maius dico, sic scilicet tempora confudisse, qui drama hoc composuerunt, vt rudes rerum fuisse, & somnia sua pro historijs venditasse, vel manu prehendi possit. Consensus annalium tradit, Clotarium II. anno 587.

patri

patri in regno submissum menses natum quatuor, Beroaldum in acie strauisse anno Christi 630. anno regni 43. obijsse anno sequenti. At hi noua historia nostratis autores (si placet Dijs) Beroaldum scribunt anno Christi 534. regnũ apud Frisios inijsse, annoq; Christi 593. regni ipsius 59. anno 92. eam pugnam pugnasse: & cæsum esse & tamen hosti velut effœto, & ad arma inepto obiectasse senium. Quod vt absurdum, ita aberratio in tempore nimis enormis, annorum, scilicet 37. Sic ijdẽ autores Radbodum aiunt Aldegillo patri mortuo successisse anno Christi 672. atq; ita annos regni Aldegilli in Beroaldi patris locum anno Christi 593. surrogati, consiciunt 82. At si fides Bedæ habenda, Aldegillus anno Christi 678. cum VVilfridus ad synodum Constantinopolitanam tẽdens in Frisiam venit, adhuc superstes fuit, eoq; modo anni regni eius fient ad minimum 87. vitæ verò 103. Tædet me recitationis σφαλμάτων pudendorum huius generis, quibus plenæ sunt penè omnes paginæ. Nec libet recensere ineptias in vrbium & arcium originibus memorandis, hic illic plusquam ineptas, commentis cæteris aspersis, vnà cum de nominibus risum magis quàm reprehensionẽ merentibus, cuiusmodi sunt Medenblicum à Medeæ *splendore, Harlemum à* domino Lemo, *Bolsuerdiam à* Bolsuinâ *Radbodi filiâ nuncupatas. Retexere quoq; fabulã integrã domus Radbodi I. rebus & temporibus cõfusam, & cũ ijs, quæ in Francorũ annalibus vetustis sunt, paßim pugnantem; deniq; ita concinnatam, vt vel pueri vanitatẽ ac ineptias poßint animaduertere.*

me

me piget, ne præter rem cum molestia lectorum, & dispendio temporis fiam prolixior. Alio fortaſſe loco ac tempore id à me fiet, si requiri id ſenſero. Idem de ſequentibus quibuſdam in aucupium inanis gratiæ à Gnathonibus menſarum alienarum aſſeclis nimis putidè confictis dictum volo. Vnum modò eſt, quod, quin prioribus adhuc addam, committere non poſſum. Id eſt de priuilegio, quod dicitur, aut diplomate CAROLI MAGNI, *de quo nominatim mihi litem mouit Suffridus. Scripſeram quippè ego in Hiſtoria, ob egregia merita, & fortia facta, Car. Magnum priuilegijs inſignibus atq; immunitate viciſsim ornaſſe gentem noſtram, ac liberam eſſe iußiſſe, confectasq; hac de re & ſignatas tabulas eſſe: ſed has temporis & bellorū ſecutorum iniuria interijſſe: Earum verò loco ab ineptis & rerum imperitis hominibus conſarcinatas ſubſtitutasq; eſſe alias, quæ vulgò nunc circumferantur, ac riſum legētibus præbeant. Atq; hoc vt ſcriberem magnis rationibus motus fueram. Quod cùm legiſſet Suffridus, quia dramati ipſius non congruebat, perindignè id ferens, commoto ſtomacho, velut in hoſtem patriæ in me acerbè inuectus eſt. Et quoniam, quid ſibi obſtaret in tuendo propoſito, id eſt, in defendendo diplomatis Carolini exemplo, quod circumfertur vulgò, quodq; ipſe genuinum & incorruptum eſſe ait, & quid moueret me, vt ita ſentirem ac ſcriberem animaduertit, auſus dicere eſt, Carolum Magnum iam tū voluiſſe imperium penes Germanos eſſe, ac eum in finem 7. viros Electores conſtituiſſe ijs omninò nominibus patrijs ac dignitatibus,*

Diploma Caroli Magni de libertate & priuilegiis Friſiorum.

tatibus, quibus in hac Frisiorum Bulla, vt ipse loquitur, allegantur. Sed addit, filios eius & nepotes inuidia motos in Germanos imperium sibi retinuisse vsq; ad tempora Henricorum: His verò paulatim debilitatis, Germanos corroboratos imperium secundũ dispositionem Caroli sibi vẽdicasse, & demùm sub Carolo IV. in formã à Carolo Magno primitùs cõceptam reduxisse: At quæ hæc ita esse facta, in MAGNO suo FORTEMANNO (hic titulus libri est) ac luce meridiana clariùs sed demõstrasse. Sic ei loqui mos est, cùm fabulas recensuit simpliciter, ac multis verbis circumstantias æquè fictas expreßit, testesq; interdum Sulcones, Cappidos, Siuerdos, Scarlenses, Aluinos aduocauit: Quomodo & de Frisone & posteris eius disseruit, ac similiter immobilibus atq; irrefragibilibus argumentis omnia se probasse cõtra dissentientes iactauit identidẽ, & triumphum cecinit. Deniq; diploma hoc Romæ non Aquisgrani datũ esse, quod secùs videri mihi dixerã ob eam maximè causam, quod postremis vitæ annis, quib' diploma scriptũ esse creditur, Italiam Carolus non viderit, contẽdit audacter. In Originũ libro addit etiam, velut occupaturus, quod poterat obijci, eum, qui WIDEKINDVS, Saxoniæ Dux dicitur vulgò, LVDGERVM, quod nomẽ in diplomate est, ante baptismum esse dictum: in baptismo autẽ Widekindi, velut abluti mundatique nomen accepisse. *Sic ille. Quæ ego huiusmodi esse dico, vt si vanitatis alia argumẽta haud extent, hæc sola rursum aut inscitiam hominis, aut ἀκρισίαν, aut in tuendis* **Examen diplomatis Carolini.**

fabulis

fabulis manifestis pertinaciam & impudẽtiam, aut in despiciendis alijs fastum satis demonstrare posse, & suspectũ reddere totũ systema existimem. Nam quòd me hostẽ patriæ, aut hostium iuratorũ socium propterea censendum putat, cõtumelijsq; eiusdẽ patriæ delectari ait, id quod nõ vno factitat loco, quòd insulsis fabulis in laudem gentis nostræ ab hominibus ineptis ineptè confictis non assentiar, aut etiam, vbi res poscit, contradicam, id quale sit, expendẽdum bonis & cordatis permitto. Crimen sanè cum optimis quibusq; mihi commune. Sic enim censent, qui læuo iudicio non sunt, fabulis huiusmodi nõ crescere posse gloriam veram gentis, sed minui potiùs & turpari. Nam qui veræ laudis egeni sunt, hos ad inania figmenta se recipere, arbitrantur. Ita fit, vt qui hoc factitant, & se & eos, quos ornare volunt, prudentibus deridendos prostituant, & dum falsis tuendis inhærent, aut falsa pro veris obtrudunt, vera etiam cum falsis suspecta reddant. Sed hoc misso, rem ipsam videamus. In quá non lubet iam dicere, nouum esse, & hactenus non auditum, VVidekindum ante baptismum Ludgeri nomen habuisse, istud nomẽ in baptismo tulisse, magisq; in eâ sententiâ multos esse & fuisse, VVidekindum à Ludgero Episcopo viro sancto baptisatum, eius nomine appellari se imposterum voluisse: idq; rationibus & scriptis de vitâ Ludgeri esse consentaneum: Illud verò dico, quæ in diplomatis formâ leguntur velut fundamenta indulti, non solùm nusquã legi alibi, sed etiam cum historicâ fide, & maximè cum narratis scriptorũ istius temporis &

cum

cum annalibus Francicis, ac illustribus documentis alijs pugnare. Qualia hæc sunt: Ludgerum Saxoniæ Ducem, Ducatum suum, quem iure feudali ab Imperio teneret, recognoscere non curasse, nec tributum ab Augusto Saxonibus statutum, & ab antecessoribus eiusdem Ludgeri quotannis Caroli antecessoribus eousque solui solitum non voluisse Carolo soluere, quinimò contumacem se omnibus modis & imperio & Carolo tulisse, inque præiudicium graue Imperij Regem se dici & haberi iussisse: itaque Carolum tandem cùm diutiùs ferendam iniuriam & hominis superbiam non putaret, Frisias Orientales pariter & Occidentales, de quorum virtute & mirâ audaciâ ex quorundam relatu accepisset, & quos bellis Ludgerus dominandi cupidus vexasset, de auxilio in communem hostem sollicitasse, Frisiosque alacres, & promptos, vitam quoque suam se pro honore Caroli ac Imperij tuendo impendere paratos esse, educto exercitu suo in Saxoniam inuasisse, initaque cum Duce Ludgero pugnâ & victoriâ illustri partâ, eum viuum cepisse, captumque & funibus cum procerum Saxonicorum turbâ vinctum Carolo tradidisse. Adhæc cùm aduenæ Romani mãdatis Caroli non parerent, Imperijque iure quædã in fraudẽ in eiusdẽ vendicarent sibi, & Carolus fideles Imperij subsidia in

cos

eos posceret, atque hoc Frisij fortè inaudissent, hos sponte sua nõ vocatos aut rogatos, exercitu suæ gẽtis repentè confecto, accinxisse se, & Romã profectos, haud procul vrbe ab reliquo Francorum exercitu se separãtes, in Romanos erumpentes magna vi impetum dedisse, multisque vtrimque cæsis, victoriam reportasse, & per captos è nobilitate Romanâ vrbem in potestatẽ Caroli redegisse: Ea propter Carolum vicissim, vt gratiam benemeriti gẽti referret, ex cõsilio & cõsensu Principum Imperij tributum ab Augusto Cæsare Frisiis constitutum, & ad id vsque tempus ab ijs quotãnis Imperatoribus solutum, auri marcarum 20. ijsdem remisisse in perpetuum, similiterque ab omnibus omninò tributis aut exactionibus aliis eos immunes esse iussisse, & posteros eorum. Tùm, post cætera de libertate gentis & optimo eius iure, de magistratibus annuis suffragio populi legẽdis, de gubernatore summo, cum POTESTATIS nomine, eodẽ creato modo, deque honoribus diuersis, de pœnis violantium sanctionem hanc, petente Carolo à Gregorio Papâ diploma hoc, quò sanctiùs seruaretur, edicto sacro roboratum, ab ipso Carolo Bullâ aureâ ritè esse munitũ: testes rei gestæ adfuisse Wenceslaum Bohemiæ regem, Bernardum Bauariæ, Luppoldum Morauiæ vel Merauiæ, Henricum Austriæ, Ottonem

Sueuiæ

Sueuiæ Duces, Conradum Marchionē Misniæ Herboldum Landtgrauium Thuringiæ, aliosque viros probos & honestos: actum signatumque in Laterano, anno Dominicæ incarnationis 559. indictione 10. *In quibus quibus quid mirere prius, quidve rideas, meritò dubites: & impudentiamne effrōtem autorum ac defensorū magis suspicias, an inscitiam, ignores, adeò omnia narrata à capite ad calcē & insulsa sunt, & falsitatis manifestæ. Etenim de 20. Marcarum auri tributo Frisijs olim à Cæsare Augusto constituto, & ab ijs quotannis ad Carolum vsq; Romanis Imperatoribus soluto quod dicitur, quàm fanum sit, in Olennij historia ostendi. Cui par est, quod de Saxonico tributo expressum est in formæ initio. Nam Saxonia Augusti tempore adhuc nulla, nec proximis sæculis: deinde labente Imperio cùm Romani ne Galliam quidem retinere possent, cùm Italiæ quoq; partem cogerentur dimittere, quid retinuerit in intimâ Germaniâ? quid indè ceperint tributi? cùm Gotti, Vādali, Alani, Burgundiones, Sueui, Franci, Longobardi, Heneti certatim Romanas prouincias inuaderent, raperent, occuparent, omnia ferrent, agerent, pessundarent pro libitu, Saxonasne credas tam obseruantes Cæsarum fuisse, vt sponte sua quotannis Byzantium erint aut Rauennam, & sensum soluerint? Præterea, si proximis ante Carolum sæculis tributarij fuêre Saxones, an nō Historia nos docet, non Græcis, sed Francis, à quibus victi sæpè sunt, fuisse tributarios? atq; ita non ante-*

 cessori-

possunt. De VVidekindo aũt capto à Frisijs, & funibus vincto cum primoribus alijs, atq; ad Imperatorem ducto quàm est turpe & inexcusabile, & nimis manifestum σφάλμα? vt mirum sit, eius non pudere causæ huius quantumuis perfrictæ frontis patronos. Nam consensus scriptorum testatur, non vnâ expeditione confectum Carolo hoc bellum Saxon. vt præ sese verba diplomatis huius ferunt, sed per multos gestum annos, hostem sæpè victum fractumq;, sæpè ad arma reuersum, multa prælia summâ vi commissa, oppida arces captas à Carolo, Saxon. totam peruastatam, tandem VVidekindũ omni spe melioris fortunæ deiectũ, consumptis suis & sociorum viribus, cùm trans Albim cum fratre Albigione se recpisset, sollicitatum à Carolo per legatos ad Albim tum aut proxima Albi loca cũ copijs progresso, promißisq; de acceptis ab eodem fidei obsidibus, ductore Amalvvino è Caroli proceribus viro honorato, qui obsides adduxerat, ad Carolum in Galliam iam regressum, liberũ solutumq; cum fratre esse profectum, ad eumq; in pago Altiniaco venisse, atq; ibid. exceptum honorificè, & cum rege reconciliatum studio regis baptismum cum religione Christianâ recepisse: & hæc omnia facta esse anno Christi 785. id est, 15. ante imperium à Carolo initium, nec post aut ipsum aut fratrem in fide mutasse, imò honore quoque & affinitate Francicâ esse auctum. Quæ si mentitos esse autorem annalium Francicorum CAROLO coæuum, quos penè diarium vitæ

mam cum exercitu contendisse, ac virtute Frisiorum voluntariorũ urbem cepisse, ibiq; in vrbe virtutis ergò Frisios priuilegijs ornasse, tabulasq; signatas ijsdem, huius rei testes, in palatio Laterano dedisse. Talia verò pariter tueri, improborum & amentium & conscientiâ carentium est: poscere autem, vt insulsi & fictitij scripti gratiâ, tot scriptoribus bonis & veracibus fidem demamus, impudentium, & ipsâ ineptiâ ineptiorum est. Nec est quod in has angustias compulsi, ad tabulam Romæ extantem se recipiant, cuius verba à Furmerio recitata sunt, & argumentum à me in Historiâ expressum: cõfugium multò infirmius, quàm vt sustinendis tot rationibus contrarijs, tam illustri cõsensui autorum omnium possit esse. Quod, cùm ad Furmerium erit ventum, fiet manifestum. Quid quod in formulâ Carolus dicit à Gregorio Pontifice se impetrasse robur indulto per sacrum interdictum in omnes contra delinquentes: *cùm indubitatum sit, nullum Gregorium cum Carolo Imperatore, imò cum eodem quoq; Rege, Pontificem vixisse? Quippè tertius eius nominis anni Christi 741. mortuus est, antecessor Zachariæ, qui Pipinum Caroli patrem ad regnum euexit; Quartus verò Gregorius anno demum 707. sedere cœpit: Et Carolus patri Pipino in regno successit anno 768. Imperator salutatus est 800. aut initio sequentis, obijt 814. Leone eodem adhuc superstite, qui eum imperatorem salutauerat. Postremò testes adscripti sunt diplomati velut in re præsentes, Principes, qui multis demũ sæculis post Carolum*

volum mortuum sunt nati. VVenceslaus enim primus Bohemiæ rex à Friderico Barbarossa Imperatore Regiâ dignitate donatus est, cùm eousq; sub Ducibus Bohemi vixissent, Regem nullum adhibuissent. Nec aliter de Bernardo Bauaro, Lupuldo Morauo, Henrico Austrio, Ottone Sueuo Ducibus, cæterisq; res habet. Quæ res tam nota est omnibus, vt demonstrationem non requirat, diplomatis autem patronos meritò confundat. Itaque dignum hoc tali patellâ operculum, ab imperito concinnatore indulto subiunctum, quo responderent vltima primis. Et ne quid desit, tempus tam variè asscriptum in calce est in exemplaribus vetustis, & quæ summam habere autoritatem videntur, in membranis maiusculis exarata literis, vt facile vel hinc, quàm nihil veri ac certi in re totâ sit, poßis intelligere. Nam exemplaria huiusmodi habui vetustate penè venerandâ, quæ ducentos ferè annos subscripto tempore natalem Caroli antè verterent, quod est nimis exorbitantis ignorantiæ. Quæ cum ita sint tamen Suffridus vt antè dixi, audacter scribere est ausus, pro veris se tabulas has habere, & me contumeliæ in patriam reum esse, adeoq; cum hostibus eius conspirasse, qui eas in dubitum vocare non sim veritus: & simul sine fronte affirmat, vt fabulum fulciat, Carolum Magnum iam tum constituisse septem Principes Electores, eosq; ijs nominibus patrijs ac dignitatib. fuisse, quibus in hac Bullâ sint designati. Quod tam notoria falsitatis rursum est, vt quid pudere eum potuerit, quem huius non puduerit, nesciam. Reclamat

NOTA.

annalium omnium fides, reclamat tenor testamenti Carolini, reclamant actorum publicorum tabulæ multæ, reclamant res gestæ, denique; quem credere id delectat, is volupe sibi esse, à manifestâ certâq; veritate dissentire demonstrat. Quo minus molestè ferendum mihi, inscitæ me propterea à Suffrido hoc quoque loco damnari, quòd hanc eius fabulam de 7. viris ignorem, aut veram esse non credam. Finem facio examinis huius & lectores moneo, vt ex parte hac totum eius syntagma historicum æstiment, hoc est, tantum veri inesse ei putent, quantum verarum narrationum hoc, quod circumfertur, indulti exemplar habere deprehendunt. Quem cum scribo, testor rursus, non detrahendi quicquam studio de gloriâ ac honore gentis nostræ, & nostrorum maiorum ista me scribere. Absit animus huiusmodi à me & ingratus & impius. Hoc quippè solùm specto & sector, vt falsâ à veris secernam, ac ab historiâ nostrate, quantum in me est, submoueam. Castam enim Historiam esse decet, ceu „ virginem ingenuam natiuo colore & comâ, id est, „ veritate contentam, à fuco & fabulis abhorrentem. „ Quinimo hoc sentio & dico, plus me solidæ laudis „ hoc modo patriæ adijcere, & honorem eius augere, „ quam istos ipsos, qui ineptes, & sese prodentibus „ fabulis ornare eam conantur: præsertim cum „ tanta nobis copia veræ laudis suppetat, vt falsis „ & adscititijs opus non habemus: Quod est à me in „ Historiâ demonstratum. Etenim qui hoc agunt, quod „ agere hos meos aduersarios nugiuendos ostendi: id „

Hactenus examen diplomatis.

Falsæ laudes veras contaminant, & suspectas faciunt.

præpostero studio assequuntur vt cum falsis vera quoq; in suspicionem trahant, atq; ita tantùm veræ gloriæ eius, quem laudatum cupiunt, detrahant quantum adijcere eidem fuerant conati. SVFFRIDVM credo origine Frisium esse: id enim præ se fert. Idem de FVRMERIO existimo, me vtroq; parente verè Frisio, maioribus Frisijs hominibus honestis, honestâ in re orto natum esse, testari possum, qui mea domi norunt. Itaq; patriæ amor non minùs mihi quàm illis insitus. Sed amorem hunc plus valere apud me quàm veritatis studium nō sino, nec eo me abripi in fabulas, & fabularum patrocinium cum damno veræ laudis patior. Sed longius progredior hîc, quàm statueram. Recipio me, vt delibem reliqua. De Frisiorum colonijs scripsisse se commentarios peculiares profiteretur Suffridus, & colonos in Apologiâ pag. 52. enumerat Iutas, Anglos veteres Iutis proximos, Eidorenses, Tekenburgios, Hessos, Heluetios, Vbios, Viltos, Hogelandos, VVaterlandos, Francos in Germaniâ, Abyssinos, Frislandos, Scotos, Anglos recentes, extra Germaniā. Qui commentarij si quādo exituri in lucem sunt Furmerij studio, apparebit opinor in plerisq;, quantum sibi in fingendis narrationibus huiusmodi bonus hic autor permiserit. Nam si coniecturæ locus est, pleraq; commemorationes eiusdem generis erunt, cum ijs, quas de Vbijs & Abyssinis attingimus, obiter à Suffrido notatas: aut qualis ea, quam de Scotis integram vidimus, sed in pagellis manuscriptis. Quæ cum nobis esset ab amico viro amplissimo & clarissimo communicata

Coloniæ Frisiorum.

municata iam antè triennium, hîc in vrbe tum publicum munus gerente, perlectum illi remisimus, cum epistolio hoc raptim effuso, quod potest, nescio quo casu, ad manus nostras rediÿt.

CL. V. P. C. SALVTEM.

Legi, & quidem cum voluptate legi fabellam lepidam non illepido stilo nec ineleganter expositam ab autore, ac mecum risi suauiter. Hoc verò imprimis miratus sum, tam facilè autorum doctissimorum & grauissimorum scriptorum aliorum coniecturas & rationes eruditas reijcere & contemnere: suæ autem narrationi nouæ atque hactenus inauditæ assensuros esse lectores tam fidenter sibi polliceri. Quâ enim autoritate firmat ea, quæ sententiis omnium solus opponit? Ex archiuis, ait, patrijs se transscripsisse. Quæ verò illa archiua? quibus autoribus confecta? quo scripta sermone? apud quos, quibus locis hactenus condita & seruata? quis vidit? quis probauit? Nam de commentarijs Frisonis & liberorum ac nepotum eius, quis credet? quis de Hengisti Bibliothecâ & palatio? Quàm multa in his, quæ indè in lucem iam producta ab autore, ridicula planè & absurda, non temporibus, non locis, non hominibus, non cæteris circumstantijs congrua? Ineptè etiam

in hoc schediasmate citata autoritas Saxonis: inane argumentum ex dicterio Coloniensium, profectò aliunde, & cum populis maritimis, Emdanis, Bremensibus, Hamburgensibus, communi, quibus cum carbonarijs illis antiquis certè nihil rei vnquam. Bonus scriptor fabellis se delectans hoc effectum dat, vt etiam bona & vera cùm scribit, fidem perdat, Vale.

Libri alij Historici Suffridi ab ipso iactati.

M. D. C. *Quæ si malè scripta à me putat Furmerius, qui & commentarium hunc cum cæteris in potestate suâ habet, age, proferat eos in lucem, vt aut confutet me ista scribentẽ, aut alijs quoq; ridendi materiam præbeat. At enim iactat etiam Suffridus, præter volumina mirifica, quæ in præfectione librorum de origine gentis nostræ, in quâ omnem Oeconomiam operis à se instituti depingit, lectoribus promittit, libros de libertate Frisiorum, item de Nobilitate, denique de Magno Fortemanno illo, quo duce Romam ait à Frisijs occupatam, se daturum. Quod sanè ego, ad me quod attinet, non prodituros esse ocyßimè, sed iam nunc prodijsse velim; maximè postremum. Esset enim, quod ex ipsa citatione eius & circumstantijs collegio, ἀχρισίας eius & vanitatis argumentũ nouum, prioribus adiectum, forsan quoque sermonum suauium, & risus materia. Ostentat quoq; volumen suum de Scriptoribus Frisiæ iam editum, sæpiusq; ingerit, ac ait, eo ostendisse se, exposito Scriptorum nostratium*

Liber Suffridi de scriptoribus Frisiæ.

indice

indice continuo à Frisone ad hæc tempora, (cuiusmodi hi sint, antè posui ob oculos, pleriq; in hoc orbe nati) non se memoratarum rerum veris & solidis probationibus destitui; sed historiæ rationē per annos ferè mille nongentos solidissimam sibi suppetere: & addit, quàm gratum id volumen eruditis fuerit, multorum literis & elogijs exhibitis docere se posse. Ineptum senem, & sua demirantem, sibiq; plausus fingentem! Quid enim opere isto ineptius ac vanius, si ea dempserit, quæ ad homines doctrinâ & virtute notos pertinēt? in quo præter laruas illas veteres, partim notatas à me suprà, partim neglectas, cùm huius ætatis nostræ Scriptores Frisios recenset, velut egregios doctrinâ viros & illustrandæ patriæ natos, adeò id facit promiscuè & sine discrimine, vt etiam * Antonium *quendam* Folcardum, *insulsissimum hominem & monacho quouis indoctiorem, ob palpum sibi obtrusum, Scriptorum talium numero inseruerit. Qui quâ valuerit doctrinâ, ex chartis ipsius manu scriptis, quarum exempla hic in calce sunt, lector potest cognoscere, atq; hinc porrò, quo iudicio & prudentia Suffridus fuerit, æstimare. Quinimò qui verâ laude digni sunt, ac fama per se illustri, in his ipsis celebrandis adeò operosus est, vt ridiculus fiat, veræq; gloriæ eorū, quos laudare vult, gratiā demat, lectoriq; nauseā creet. In alijs etiā tam prodigus encomiorū est, gratiā viuentiū venans, vt pueros nobis inducat vndenarios & duodenarios qui de qualibet proposita thesi seu viua voce, seu scripto, cū admiratione magnorū virorū publicè potuerint declamare, & quos-*

* **De eruditione eius specimen luculentum in calce huius opusculi.**

Suffridi. λοιδορίαι in Vbbonem Emmium, & praeconia de se.

& quoslibet autores Graecos, cum iudicio euoluere. Et quid caetera eius persequar? Me sine scientiâ, sine diligentiâ, sine veritate, hominem imperitum, ignauum, maleuolum, peruersum esse, nullisque omninò iudicij, *affirmat: suam industriam, scientiam, iudicium miratur: me* inimicum patriæ, obtrectatorem, orsorem, misofrisonem *vocat: suum in patriam amorem, & pro eâ labores ac studium praedicat: Me item* gloriam maiorem, autoritatem præsentium læsisse grauiter, nec in Frisiam solùm, sed in omnem Germaniam contumeliosum & iniurium, factiosum, pœnâ & coercitione dignum: sycophantis & scurris parem dicit: *se verò alia omnia: me* probare nihil *ait, etiam cùm maximè, perinde ac si id dicere sufficiet, & demonstratione opus non sit: ipse cum fabulas suas recitat, & longâ serie connectit, ex fabulis fabulas gignit, has pœnu Scriptorum suorum ante nominatorum se promere dicit, firmissimis, solidissimis, inuictis, irrefragabilibus argumentis sua probare, ac extra dubium ponere se ait, hoc repetit identidem, & in longas paginas extendit, deniq; in eo velut planè victor triumphum ducit. Postremò me dispunctis fabulis suis non modò Frisiae res veteres Cimmerijs tenebris inuoluere videri vult, sed omnis Germanicae antiquitatis notitiam tollere penitùs, quoniam rerum Germanicarum scriptores, nisi cognitis his intelligi nequeant: se cōtra hoc studio suo non solùm de Frisiâ nostrâ, sed de vniuersâ quoq; Germania benè mereri,*

mereri, eiusq; Historias reddere certiores & meliores magnificè gloriatur. *Præterea de* Lera *mecum litigat, sede quondam meâ, & perpera me* Leram *pro* Lira *scripsisse contendit, nouiq; nominis me fabrum facit, ô lepidum senem! de* Groninga *quoq; pro* Gruninga *nuncupatâ me accusat, & huiusmodi alia.* De Chaucis *etiam, nescio quid: de* Oliuerio *item Scholastico delato fortè ad me: de Transamasano & Cisamasano nomine. Deniq; culpat me, quòd exemplo suo vetustissima illa gētis nostræ, quæ cōsulto vt fabulosa aut incerta reliqui, non sim persecutus, & hoc ignauiæ imperitiæq; imputat meæ. Postremò appetit, vellit, rodit, mordet omnia: facilè vt appareat, totâ bile commota fuisse senem, cùm scriberet ista, ita factum esse, vt pro Apologiâ, quàm erat professus, tuendæ sententiæ suæ, virulentam, acerbam, maledicam, inuectiuam in me effuderit. Satis de* SVFFRIDO, *& plus quoq; quàm satis.* Nunc FVRMERIO *Peroratori respondebo breuissimè. Et primùm quidem aio, duo eum in me pura & puta mendacia chartis his suis illeuisse, & protrusisse in lucem, id est, rem commisisse sene, viro bono, Historici nomen professo indignam: priùs in Epostolâ ad amplissimos Frisiæ Nouem-viros Delectos, alterum in Peroratione. In Epistloa scribit rotundis & expressis verbis, quod primam Historiæ meæ Decadem Nouen-virorum eorundem Collegio dedicare conatus, repulsam ab Ordinibus sim passus. Hoc verò totum falsum esse, & mendacium impudens, omnes testari possunt; per quos res est*

Suffridi λογομαχαι inanes & putidæ, item criminationes vanæ & acerba.

Responsio ad latratus Furmerij. Duo mendacia.

Primum ψεῦδος Furmerij.

est gesta, qui viuunt adhuc, & viri sunt cùm graues. tum honesti & boni, ac tales omninò quos Furmerius testes recusare audet, & cum ipso habitant Leowardiæ, ad quos vos prouoco. Ipse quidem ego neminem ex Nouem-*viris aut* Ordinibus *eo tempore, aut vnquam omninò ista de re conueni, nec coràm, nec per Epistolam.* Res *verò ita acta, vt est in initio responsionis huius à me expositum.* Copiam *scilicet pro* Typographo *quæsiui, cum edere prælo eius primam* Decadem *vellem, exemplar videndum & censendum* Collegio Nouem-*virum dedi, id, quod petij, impetraui: prima* Decas *anno 1595. & initio 1596. excusa est à* Typographo Ordinum *Frisiæ, sciente & volente* Collegio*, & biennio post, altera.* Quæ *certè facta non fuissent, si sic aut* Nouem-*viri, aut alij doctrinâ ac autoritate præstantes in eâ Frisiæ parte sensissent de labore hoc meo, quemadmodum* Furmerius *sentit, & alios sensisse vult videri.* Ad *hæc Epistolâ ad generosum* Comitem Dn. Ennonem *præfixâ* Decadi *primæ* Furmerium *satis superq; confundit, debuitq; eum ab hoc mendacio dicendo retrahere.* Nam *anno 1592. cùm de* Radao Typographo *ne cogitarem quidem, scripta est, & cui dedicationem eam iam tum destinarim, & in toto opere quid habuerim consilij, ostendit.* Ab *hoc verò constituto, eo mihi minùs tum recedere fas fuit, quòd antè scriptam hanc Epistolam idem* Comes Enno *exemplar à me petitum per amplissimum virum, affinem meum,* Onnonem Tiabbern, *Consulem Embdanam, vidisset, habuisset, euoluisset, deniq; sibi haud ingratam,*

*ingratam, imo gratißimam fore dedicationem, de quâ cogitare me intelligerat, per eundem affinem meum mihi ostendisset. Itaq; ex perrexi in eo, vt debui, & nullam me pecuniæ spem aut cupidinem in eo secutũ, (quod caput scriptitationum hæ mastiges meæ habẽt, haud obscurè,) testem habeo non solum conscientiam meam, sed Comitis quoq; huius ipsius, & quem prouocare non vereor. In Peroratione idem scribit, cum in colloquio familiari amicus ex me forte quæsisset, quid impulisset me, vt insectarer tantoperè Suffridum, qui tam commodè & doctè Frisiorum origine & antiquitate disseruisset, præmioq; & laude propterea videretur dignus, me obsilescentem paululum, tandem respondisse: Nollem ipsum scripsisse: atq; ibi conscientiam appellat meam, se non mentiri. At ego quoniam tibi verbis his præire libuit Furmeri, Deum & conscientiam testor, te in eo mentiri apertè: dicoq; si quis sic ista ad te detulit amicus, eum esse calumniatum. Nam scio satis, nec ista, nec in eam sententiam similia me dixisse cuiquam, imò ne cogitasse quidem. Existimo potiùs cerebri tui id commentum esse, aut aliud cum audieris, in hanc calumniam id à te esse versum. Si negas, excita amicum illum, qui contra me pro te testatur. Quid speres ab Historico hoc lector, qui tantam sibi falsi licentiam facit, frenumq; totum laxat affectibus? * Præterea scholam obijcit mihi in epistolâ, homo scilicet magnificus, sed sui ipse oblitus, oblitus quoque Suffridi, quem memorat ipse, & quidem ibidem memorat,*

Alterum ψεῦδος eiusdem.

Hæc verba Furmerij sunt in Peratione. Pag. 120.

**Furmerius Sannio Rectoram scholæ velut probrum obijcit sui immemor qui inferiores in schola partes ipse sustinuit.*

pueros

pueros quondam Leouardiæ, apertâ istic scholâ, docuisse quæstus gratiâ, eosq; biennij opera ad classem quartam scholæ Groninganæ fecisse idoneos, id est, in imis pulueribus scholasticis iacuisse. Sannas quoq; interijcit, & pro emblemate historialem intertexit ipso se dignam, de homine famelico ex eo genere, quibus liber sub alâ esse solet pro pallio & scuto contra patibulum, quærente tegimentum. Quam quidem si in me directam vult, quâ scabiæ animi laboret, facit manifestum? sin minùs, ostendit, quàm ieiunus sit, qui huiusmodi digreßionibus superuacaneis, & ad rem nihil pertinentibus, etiam cum scribenda epistola breuis est, pagellas cogatur implere. At in Peroratione illâ nobili vim & certitudinem probationum Suffridi, secutus cantilenam eius, iactat vehementer, vocat argumenta eius contra me indubitata, ipso penè Suffrido ineptior mihi ignauiam, imperitiam, inuidentiam rursus obiectat: me in eo totum esse, ait, vt veros Frisios, quos nostrates nuncupat, deijciam ad ima. meam autem Chaucorum sobolem Cisamasanicam (sic loquitur ineptulus, disertum se putans) extollam rursumq; Suffridi laudes ἐγκωμιάζει, & vehit in immensum, me in imas deijcit tenebras: deniq; longâ me cōtentione cum Suffrido committit, vt chartas impleat, ne nihil scripsisse & sine operâ stipendium capere videatur. Atq; interim dum fabulatorem à me vno loco Suffridum appellatum queritur, & in eo stomachatur vehementius, Satyricum me nuncupat, eaq; occasione comparationem prolixam & operosam Satyra

Furmerius Suffridi simius.

tyra

tyræ & Historiæ ex alia διατριβῇ transscriptam, atque huc translatam nobis inducit, ac me (quod faustum & felix sit) de multis officij partibus in scribendâ historiâ, velut grauis Aristarchus, docet. Ab his ad talia dilabitur minuta pleraq; & responsione non digna: in vno puluerem excitat magnum, & strepitat vehemētius, de inscriptione tabulæ marmoreæ, quæ in vrbe Roma est, de quâ facta paulò ante mentio: quam ego ex Raphaële Volaterrano, optimo alioqui Pontificiarū rerum autore citaueram in Historiâ, sed perperam ab eo ad Caroli Calui tempora, vnius fortè apicis errore in nomine Leonis Pōtificis abrepto, trahi monueram, ostenderamq; optimis rationibus, iudicio meo, ad Caroli Magni tempus pertinere. Ille de tempore mecum consentiens, sed coniecturam meam impugnans, Deus bone! quos strepitus ciet, quantum verborum totis folijs sex, id est, paginis duodecim perdit? quibus omnibus hoc solùm agit, vt Leonem, qui tertius ab vniuersâ natione scriptorum imprimis à platinâ, Panuino, Balæo, Sigoneo Leandro, Volaterrano, Sabellico nominatur, quem contra æmulos Carolus Magnus restituit in integrum, non 3. sed 4. fuisse conuincat, fretus maximè, vt ait, Chronico vetusto manuscripto à Martino quodam Polono congesto, sibi à reuerendissimo in Christo patre ac Principe D. Henrico Dodenio VVerdæ Imperialis ad Ruram Abbate donato, & chartis quibusdam similibus obscuris aut ignotis. Atq; hoc mysterium dum peruestigat, præ se fert, omnia se sursum & deorsum peruolutasse, perinde ac si aut tanti

De tabula marmoreâ quæ Romæ est, inanis contentio.

Hæc verba Furmerij sunt in Peroratione. pag. 133.

momenti quæstio ea sit, aut ad Frisios quod attinet, ipsius à me, vt istic explicata mens mea est, vel minimum dissideat. Nam vt ad Carolum Magnum & Leonem eum, qui restitutus à Carolo est, ipse marmoris scripturam refert, sic à me quoq; eo loco est relata. Sed enim cùm post, editâ iam Decade meâ prima, textum marmoris integrum legissem eâdem formâ, quâ nunc ab æmulo hoc meo est vulgatus, quem priùs truncatum apud Volaterranum legeram; verbaq; omnia expendissem attentiùs, atque inter se contulissem ac simul ad Historiam & statum eius sæculi, quo marmor hoc creditur positum, diligentiùs respexissem, cœpi, fateor, de marmore ipso hærere: statuiq; non in re recenti, sed à multis demùm annis obsolescente iam, & obliuionis tenebris obscuratâ rei memoriâ à posteris esse collocatum. Quod cur acciderit mihi, exponam paucis, vt benene an malè illud acciderit, lector iudicare queat: In eundem hunc finem, verba ipsa marmoris integra hîc asscribam. Ea sic habent.

✠ IN NOMINE DOMINI. TEMPORE LEONIS IV. PAPAE IMPERANTE, CAROLO MAGNO IMPERATORE, eo tempore, cum beati Petri Basilica à Saracenis capta fuerat, tunc denique pro totius mundi capite turbato, totus mundus turbatus, omnis Gallia cum Rege Carulo ad tuendum illam venerunt, vnde contra

contra inimicos Domini bella Domini decertando quidam mortui sunt, & in cripta iuxta Neronis Palatium sepulti, eodemq; tempore à Leone Papa & Rege Carulo ad honorem Michaëlis Archangeli super illos facta est Ecclesia. His ita peractis, Rex Apuliam abijt, eamq; B. Petro & Romæ subiugauit. Per idem tempus exercitu Galliâ reuertente, tres illorum milites de Frisia, Ilderado de Groninga; & Leomot de Stauera, & Hiarò, & Colduiancilla Dei de Slinga. Hi beati Magni corpus in loco, qui dicitur Fundi, inuenerunt. Quo inuento, in eorum prouinciam portare & condire decreuerunt. Sed diuina gratia cooperante, postquam ad Sutrinas partes ventum est, amplius deferre non præualuerunt, quia bis & ter territi, & per somnium moniti Romam reuertẽtes, sanctum corpus secum tulerunt. Vnde factum est, quòd illorum deuotionis causâ partem brachij à se segregari ab illis permisit; partes autem cæteræ in cripta præfata remanserunt; super quam, sicut dictum est, Ecclesia iam fuerat facta. Deinde omni anno simul beneficium * optimum dare ibi decreuerunt, scilicet trecentas Marcas argentei pro * illorum & vbique requiescentium redemptione, & in perpetuum, seu diuites, siue pauperes, in eadem supra dicti ARCHANGELI Basilica, & Beati

Fortè optimum.

** Forte pro illorũ ibiq; requiescentiũ, vel pro illorũ & ibi requiescẽtiũ. Nota.*

præpostero studio assequuntur vt cum falsis vera quoq; in suspicionem trahant, atq; ita tantum veræ gloriæ eius, quem laudatum cupiunt, detrahant quantum adijcere eidem fuerant conati. SVFFRIDVM credo origine Frisium esse: id enim præ se fert. Idem de FVRMERIO existimo, me vtroq; parente verè Frisio, maioribus Frisijs hominibus honestis, honestâ in re orto natum esse, testari possum, qui mea domi norunt. Itaq; patriæ amor non minùs mihi quàm illis insitus. Sed amorem hunc plus valere apud me quàm veritatis studium nõ sino, nec eo me abripi in fabulas, & fabularum patrocinium cum damno veræ laudis patior. Sed longius progredior hîc, quàm statueram. Recipio me, vt delibem reliqua. De Frisiorum colonijs scripsisse se commentarios peculiares profiteretur Suffridus, & colonos in Apologiâ pag. 52. enumerat Iutas, Anglos veteres Iutis proximos, Eidorenses, Tekenburgios, Hessos, Heluetios, Vbios, Viltos, Hogelandos, VVaterlandos, Francos in Germaniâ, Abyssinos, Frislandos, Scotos, Anglos recentes, extra Germaniã. Qui commentarij si quãdo exituri in lucem sunt Furmerij studio, apparebit opinor in plerisq;, quantum sibi in fingendis narrationibus huiusmodi bonus hic autor permiserit. Nam si coniecturæ locus est, pleraq; commemorationes eiusdem generis erunt, cum ijs, quas de Vbijs & Abyssinis attingimus, obiter à Suffrido notatas: aut qualis ea, quam de Scotis integram vidimus, sed in pagellis manuscriptis. Quæ cum nobis esset ab amico viro amplissimo & clarissimo communicata

Coloniæ Frisiorum.

municata

municata iam antè triennium, hic in vrbe tum publicum munus gerente, perlectum illi remiſimus, cum epiſtolio hoc raptim effuſo, quod poteſt, neſcio quo caſu, ad manus noſtras rediјt.

CL. V. P. C. SALVTEM.

Legi, & quidem cum voluptate legi fabellam lepidam non illepido ſtilo nec ineleganter expoſitam ab autore, ac mecum riſi ſuauiter. Hoc verò imprimis miratus ſum, tam facilè autorum doctiſſimorum & grauiſſimorum ſcriptorum aliorum coniecturas & rationes eruditas reiјcere & contemnere: ſuæ autem narrationi nouæ atque hactenus inauditæ aſſenſuros eſſe lectores tam fidenter ſibi polliceri. Quâ enim autoritate firmat ea, quæ ſententiis omnium ſolus opponit? Ex archiuis, ait, patrijs ſe tranſſcripſiſſe. Quæ verò illa archiua? quibus autoribus confecta? quo ſcripta ſermone? apud quos, quibus locis hactenus condita & ſeruata? quis vidit? quis probauit? Nam de commentarijs Friſonis & liberorum ac nepotum eius, quis credet? quis de Hengiſti Bibliothecâ & palatio? Quàm multa in his, quæ indè in lucem iam producta ab autore, ridicula planè & abſurda, non temporibus, non locis, non hominibus, non cæteris circumſtantijs congrua? Ineptè etiam

in hoc schediasmate citata autoritas Saxonis: inane argumentum ex dicterio Coloniensium, profectò aliunde, & cum populis maritimis, Emdanis, Bremensibus, Hamburgensibus, communi, quibus cum carbonarijs illis antiquis certè nihil rei vnquam. Bonus scriptor fabellis se delectans hoc effectum dat, vt etiam bona & vera cùm scribit, fidem perdat, Vale.

Libri alij Historici Suffridi ab ipso iactati.

M. D. C. *Quæ si malè scripta à me putat Furmerius, qui & commentarium hunc cum cæteris in potestate suâ habet, age, proferat eos in lucem, vt aut confutet me ista scribentē, aut alijs quoq; ridendi materiam præbeat. At enim iactat etiam Suffridus, præter volumina mirifica, quæ in præfectione librorum de origine gentis nostræ, in quâ omnem Oeconomiam operis à se instituti depingit, lectoribus promittit, libros de libertate Frisiorum, item de Nobilitate, denique de Magno Fortemanno illo, quo duce Romam ait à Frisijs occupatam, se daturum. Quod sanè ego, ad me quod attinet, non prodituros esse ocyßimè, sed iam nunc prodijsse velim, maximè postremum. Esset enim, quod ex ipsa citatione eius & circumstantijs collegio, ἀχρειότης eius & vanitatis argumentū nouum, prioribus adiectum, forsan quoque sermonum suauium, & risus materia. Ostentat quoq; volumen suum de Scriptoribus Frisiæ iam editum, sæpiusq; ingerit, ac ait, eo ostendisse se, exposito Scriptorum nostratium* indice

Liber Suffridi de scriptoribus Frisiæ.

indice continuo à Frisone ad hæc tempora, (cuiusmodi hi sint, antè posui ob oculos, pleriq; in hoc orbe nati) non se memoratarum rerum veris & solidis probationibus destitui, sed historiæ rationẽ per annos ferè mille nongentos solidißimam sibi suppetere: & addit, quàm gratum id volumen eruditis fuerit, multorum literis & elogijs exhibitis docere se posse. Ineptum senem, & sua demirantem, sibiq; plausus fingentem! Quid enim opere isto ineptius ac vanius, si ea dempserit, quæ ad homines doctrinâ & virtute notos pertinẽt? in quo præter laruas illas veteres, partim notatas à me suprà, partim neglectas, cùm huius ætatis nostræ Scriptores Frisios recenset, velut egregios doctrinâ viros & illustrandæ patriæ natos, adeò id facit promiscuè & sine discrimine, vt etiam * Antonium *quendam* Folcardum, *insulsißimum hominem & monacho quouis indoctiorem, ob palpum sibi obtrusum, Scriptorum talium numero inseruerit. Qui quâ valuerit doctrinâ, ex chartis ipsius manu scriptis, quarum exempla hic in calce sunt, lector potest cognoscere, atq; hinc porrò, quo iudicio & prudentia Suffridus fuerit, æstimare. Quinimò qui verâ laude digni sunt, ac fama per se illustri, in his ipsis celebrandis adeò operosus est, vt ridiculus fiat, veræq; gloriæ eorũ, quos laudare vult, gratiã demat, lectoriq; nauseã creet. In alijs etiã tam prodigus enconiorũ est, gratiã viuentiũ venans, vt pueros nobis inducat vndenarios & duodenarios qui de qualibet proposita thesi seu viua voce, seu scripto, cũ admiratione magnorũ virorũ publicè potuerint declamare, & quos-*

* *De eruditione eius specimen luculentum in calce huius opusculi.*

mereri, eiusq; Historias reddere certiores & meliores magnificè gloriatur. Præterea de Lera mecum litigat, sede quondam meâ, & perperam me Leram pro Lira scripsisse contendit, nouiq; nominis me fabrum facit, ô lepidum senem! de Groninga quoq; pro Gruninga nuncupatâ me accusat, & huiusmodi alia. De Chaucis etiam, nescio quid: de Oliuerio item Scholastico delato fortè ad me: de Transamasano & Cisamasano nomine. Deniq; culpat me, quòd exemplo suo vetustissima illa gẽtis nostræ, quæ cõsulto vt fabulosa aut incerta reliqui, non sim persecutus, & hoc ignauiæ imperitiæq; imputat meæ. Postremò appetit, vellit, rodit, mordet omnia: facilè vt appareat, totâ bile commota fuisse senem, cùm scriberet ista, ita factum esse, vt pro Apologiâ, quàm erat professus, tuendæ sententiæ suæ, virulentam, acerbam, maledicam, inuectiuam in me effuderit. Satis de SVFFRIDO, & plus quoq; quàm satis. Nunc FVRMERIO Peroratori respondebo breuissimè. Et primùm quidem aio, duo eum in me pura & puta mendacia chartis his suis illeuisse, & protrusisse in lucem, id est, rem commisisse sene, viro bono, Historici nomen professo indignam: priùs in Epistolâ ad amplissimos Frisiæ Nouem-viros Delectos, alterum in Peroratione. In Epistloa scribit rotundis & expressis verbis, quod primam Historiæ meæ Decadem Nouen-virorum eorundem Collegio dedicare conatus, repulsam ab Ordinibus sim passus. Hoc verò totum falsum esse, & mendacium impudens, omnes testari possunt, per quos res

est

Suffridi λογομαχιαι inanes & putidæ, item criminationes vanæ & acerbæ.

Responsio ad latratus Furmerij, Duo mendacia.

Primum ψεῦδος Furmerij.

est gesta, qui viuunt adhuc, & viri sunt cùm graues. tum honesti & boni, ac tales omninò quos Furnierius testes recusare audet, & cum ipso habitant Leoẃardiæ, ad quos vos prouoco. Ipse quidem ego neminem ex Nouem-viris aut Ordinibus eo tempore, aut vnquam omninò ista de re conueni, nec coràm, nec per Epistolam. Res verò ita acta, vt est in initio responsionis huius à me expositum. Copiam scilicet pro Typographo quæsiui, cum edere prælo eius primam Decadem vellem, exemplar videndum & censendum Collegio Nouem-virum dedi, id, quod petij, impetraui: prima Decas anno 1595. & initio 1596. excusa est à Typographo Ordinum Frisiæ, sciente & volente Collegio, & biennio post, altera. Quæ certè facta non fuissent, si sic aut Nouem-viri, aut alij doctrinâ ac autoritate præstantes in eâ Frisiæ parte sensissent de labore hoc meo, quemadmodum Furmerius sentit, & alios sensisse vult videri. Ad hæc Epistolâ ad generosum Comitem Dn. Ennonem præfixâ Decadi primæ Furmerium satis superq; confundit, debuitq; eum ab hoc mendacio dicendo retrahere. Nam anno 1592. cùm de Radæo Typographo ne cogitarem quidem, scripta est, & cui dedicationem eam iam tum destinarim, & in toto opere quid habuerim consilij, ostendit. Ab hoc verò constituto, eo mihi minùs tum recedere fas fuit, quòd antè scriptam hanc Epistolam idem Comes Enno exemplar à me petitum per amplissimum virum, affinem meum, Onnonem Tiabbern, Consulem Embdanam, vidisset, habuisset, euoluisset, deniq; sibi haud ingratam,

ingratam, imo gratißimam fore dedicationem, de quâ cogitare me intelligerat, per eundem affinem meum mihi ostendisset. Itaq; ex perrexi in eo, vt debui, & nullam me pecuniæ spem aut cupidinem in eo secutū, (quod caput scriptitationum hæmastiges mea habēt, haud obscurè,) testem habeo non solum conscientiam meam, sed Comitis quoq; huius ipsius, & quem prouocare non vereor. In Peroratione idem scribit, *cum in colloquio familiari amicus ex me forte quæsisset, quid impulisset me, vt insectarer tantoperè Suffridum, qui tam commodè & doctè Frisiorum origine & antiquitate disseruisset, præmioq; & laude propterea videretur dignus, me obsilescentem paululum: tandem respondisse: Nollem ipsum scripsisse: atq; ibi conscientiam appellat meam, se non mentiri.* At ego quoniam tibi verbis his præire libuit Furmeri, Deum & conscientiam testor, te in eo mentiri apertè: dicoq;, si quis sic ista ad te detulit amicus, eum esse calumniatum. Nam scio satis, nec ista, nec in eam sententiam similia me dixisse cuiquam, imò ne cogitasse quidem. Existimo potiùs cerebri tui id commentum esse, aut aliud cum audieris, in hanc calumniam id à te esse versum. Si negas, excita amicum illum, qui contra me pro te testatur. Quid speres ab Historico hoc lector, qui tantam sibi falsi licentiam facit, frenumq; totum laxat affectibus? * Præterea scholam obijcit mihi in epistolâ, homo scilicet magnificus, sed sui ipse oblitus, oblitus quoque Suffridi, quem memorat ipse, & quidem ibidem memorat,

Alterum ψεῦδος eiusdem.

Hæc verba Furmerij sunt in Peroratione. Pag. 120.

**Furmerius Sannio Recturam scholæ velut probrum obijcit sui immemor qui inferiores in schola partes ipse sustinuit.*

pueros

Caroli dicere possis. Item Reginonem, Aimonum, Sigisbertum, Albertum Stadensem, his fabularum patronis libet dicere, & frontem perfricare, vt fidem verborum in diplomate supposititio tueatur, faciant sanè more suo, & veritati apertæ, ac lucis diuturnæ instar oculis irradianti, obstrepant, id est, impudentiam pertinaciamq́ suam in theatrum producant. Quā verò hinc existimationem apud bonos & literatos relaturi sunt, eam ego illis non inuidebo. Nec verò sanius quicquam aut veriùs in ijs, quæ de expeditione Italicâ, & Româ captâ in insulsissima hac pagina sunt scripta. Nec enim quicquam notius certiusue est his, qui Hist. legunt, quàm Carol. post initum anno Christi 800. imperium, non solùm non in vrbem Romam, sed ne quidem in Italiam redijsse, nec à Romanis redeūdi causam habuisse, sua quiete contentis. Quod si negare audent aduersarij, vt sunt in hoc genere plus satis intrepidi, ad omnes, qui de rebus Caroli scripserunt, Gallos, Germanos, Italos autores prouoco, profiteorq́, si quid ex his secùs demonstrari queat, non manus solùm hic daturum me, sed totâ quoq́ causâ cessurum, & culpam agniturum. Sin nec illud audent, nec hoc facere possunt, qui reliquum ipsis est, nisi vt agnoscāt errorem & vanitatem suam, aut omni se pudore carere fateantur. Pugnant enim inter se, ac simul stare non possunt, post acceptum imperium in Italiam Carolum non redisse, nec Romæ fuisse, nec veniendi causas à Romanis habuisse, & eundem imperium iam gerentem Romanorum inobedientiâ commotum Ro-

mam

mam cum exercitu contendisse, ac virtute Frisiorum voluntariorũ urbem cepisse, ibiq; in vrbe virtutis ergò Frisios priuilegijs ornasse, tabulasq; signatas ijsdem, huius rei testes, in palatio Laterano dedisse. Talia verò pariter tueri, improborum & amentium & conscientiâ carentium est: poscere autem, vt insulsi & fictitij scripti gratiâ, tot scriptoribus bonis & veracibus fidem demamus, impudentium, & ipsâ ineptiâ ineptiorum est. Nec est quod in has angustias compulsi, ad tabulam Romæ extantem se recipiant, cuius verba à Furmerio recitata sunt, & argumentum à me in Historiâ expressum: cõfugium multò infirmius, quàm vt sustinendis tot rationibus contrarijs, tam illustri cõsensui autorum omnium poßit esse. Quod, cùm ad Furmerium erit ventum, fiet manifestum. Quid quod in formulâ Carolus dicit à Gregorio Pontifice se impetrasse robur indulto per sacrum interdictum in omnes contra delinquentes: *cùm indubitatum sit, nullum Gregorium cum Carolo Imperatore, imò cum eodem quoq; Rege, Pontificem vixisse? Quippè tertius eius nominis anni Christi 741. mortuus est, antecessor Zachariæ, qui Pipinum Caroli patrem ad regnum euexit; Quartus verò Gregorius anno demum 707. sedere cœpit: Et Carolus patri Pipino in regno succeßit anno 768. Imperator salutatus est 800. aut initio sequentis, obijt 814. Leone eodem adhuc superstite, qui eum imperatorem salutauerat. Postremò testes adscripti sunt diplomati velut in re præsentes, Principes, qui multis demũ sæculis post Ca-*

 rolum

volum mortuum sunt nati. VVenceslaus enim primus Bohemiæ rex à Friderico Barbarossa Imperatore Regiâ dignitate donatus est, cùm eousq; sub Ducibus Bohemi vixissent, Regem nullum adhibuissent. Nec aliter de Bernardo Bauaro, Lupuldo Morauo, Henrico Austrio, Ottone Sueuo Ducibus, cæterisq; res habet. Quæ res tam nota est omnibus, vt demonstrationem non requirat, diplomatis autem patronos meritò confundat. Itaque dignum hoc tali patellâ operculum, ab imperito concinnatore indulto subiunctum, quo responderent vltima primis. Et ne quid desit, tempus tam variè ascriptum in calce est in exemplaribus vetustis, & quæ summam habere autoritatem videntur, in membranis maiusculis exarata literis, vt facile vel hinc, quàm nihil veri ac certi in re totâ sit, poßis intelligere. Nam exemplaria huiusmodi habui vetustate penè venerandâ, quæ ducentos ferè annos subscripto tempore natalem Caroli antè verterent, quod est NOTA. *nimis exorbitantis ignorantiæ. Quæ cum ita sint tamen Suffridus vt antè dixi, audacter scribere est ausus, pro veris se tabulas has habere, & me contumeliæ in patriam reum esse, adeoq; cum hostibus eius conspirasse, qui eas in dubitum vocare non sim veritus: & simul sine fronte affirmat, vt fabulam fulciat, Carolum Magnum iam tum constituisse septem Principes Electores, eosq; ijs nominibus patrijs ac dignitatib. fuisse, quibus in hac Bullâ sint designati. Quod tam notoriæ falsitatis rursum est, vt quid pudere eum potuerit, quem huius non puduerit, nesciam. Reclamat*

annalium

annalium omnium fides, reclamat tenor testamenti Carolini, reclamant actorum publicorum tabulæ multæ, reclamant res gestæ, denique; quem credere id delectat, is volupe sibi esse, à manifestâ certâq; veritate dissentire demonstrat. Quo minus molestè ferendum mihi, inscitæ me propterea à Suffrido hoc quoque loco damnari, quòd hanc eius fabulam de 7. viris ignorem, aut veram esse non credam. Finem facio examinis huius & lectores moneo, vt ex parte hac totum eius syntagma historicum æstiment, hoc est, tantum veri inesse ei putent, quantum verarum narrationum hoc, quod circumfertur, indulti exemplar habere deprehendunt. Quem cum scribo, testor rursus, non detrahendi quicquam studio de gloriâ ac honore gentis nostræ, & nostrorum maiorum ista me scribere. Absit animus huiusmodi à me & ingratus & impius. Hoc quippè solùm specto & sector, vt falsâ à veris secernam, ac ab historiâ nostrate, quantum in me est, submoueam. Castam enim Historiam esse decet, ceu „ virginem ingenuam natiuo colore & comâ, id est, „ veritate contentam, à fuco & fabulis abhorrentem. „ Quinimo hoc sentio & dico, plus me solidæ laudis „ hoc modo patriæ adijcere, & honorem eius augere, „ quam istos ipsos, qui ineptes, & sese prodentibus „ fabulis ornare eam conantur: præsertim cum „ tanta nobis copia veræ laudis suppetat, vt falsis „ & adscititijs opus non habemus: Quod est à me in „ Historiâ demonstratum. Etenim qui hoc agunt, quod „ agere hos meos aduersarios nugiuendos ostendi: id „

Hactenus examen diplomatis.

Falsæ laudes veras contaminant, & suspectas faciunt.

præpostero studio assequuntur vt cum falsis vera quoq; in suspicionem trahant, atq; ita tantùm veræ gloriæ eius, quem laudatum cupiunt, detrahant quantum adijcere eidem fuerant conati. SVFFRIDVM credo origine Frisium esse: id enim præ se fert. Idem de FVRMERIO existimo, me vtroq; parente verè Frisio, maioribus Frisijs hominibus honestis, honestâ in re orto natum esse, testari possum, qui mea domi norunt. Itaq; patriæ amor non minùs mihi quàm illis insitus. Sed amorem hunc plus valere apud me quàm veritatis studium nō sino, nec eo me abripi in fabulas, & fabularum patrocinium cum damno veræ laudis patior. Sed longius progredior hîc, quàm statueram. Recipio me, vt delibem reliqua. De Frisiorum colonijs scripsisse se commentarios peculiares profiteretur Suffridus, & colonos in Apologiâ pag. 52. enumerat Iutas, Anglos veteres Iutis proximos, Eidorenses, Tekenburgios, Hessos, Heluetios, Vbios, Viltos, Hogelandos, VVaterlandos, Francos in Germaniâ, Abyssinos, Frislandos, Scotos, Anglos recentes, extra Germaniā. Qui commentarij si quādo exituri in lucem sunt Furmerij studio, apparebit opinor in plerisq;, quantum sibi in fingendis narrationibus huiusmodi bonus hic autor permiserit. Nam si coniecturæ locus est, pleræq; commemorationes eiusdem generis erunt, cum ijs, quas de Vbijs & Abyssinis attingimus, obiter à Suffrido notatas: aut qualis ea, quam de Scotis integram vidimus, sed in pagellis manuscriptis. Quæ cum nobis esset ab amico viro amplissimo & clarissimo communicata

Coloniæ Frisiorum.

municata iam antè triennium, hic in vrbe tum publicum munus gerente, perlectum illi remiſimus, cum epiſtolio hoc raptim effuſo, quod poteſt, neſcio quo caſu, ad manus noſtras rediјt.

CL. V. P. C. SALVTEM.

Legi, & quidem cum voluptate legi fabellam lepidam non illepido ſtilo nec ineleganter expoſitam ab autore, ac mecum riſi ſuauiter. Hoc verò imprimis miratus ſum, tam facilè autorum doctiſſimorum & grauiſſimorum ſcriptorum aliorum coniecturas & rationes eruditas reiјcere & contemnere: ſuæ autem narrationi nouæ atque hactenus inauditæ aſſenſuros eſſe lectores tam fidenter ſibi polliceri. Quâ enim autoritate firmat ea, quæ ſententiis omnium ſolus opponit? Ex archiuis, ait, patrijs ſe tranſſcripſiſſe. Quæ verò illa archiua? quibus autoribus confecta? quo ſcripta ſermone? apud quos, quibus locis hactenus condita & ſeruata? quis vidit? quis probauit? Nam de commentarijs Friſonis & liberorum ac nepotum eius, quis credet? quis de Hengiſti Bibliothecâ & palatio? Quàm multa in his, quæ indè in lucem iam producta ab autore, ridicula planè & abſurda, non temporibus, non locis, non hominibus, non cæteris circumſtantijs congrua? Ineptè etiam

in hoc schediasmate citata autoritas Saxonis: inane argumentum ex dicterio Coloniensium, profectò aliunde, & cum populis maritimis, Emdanis, Bremensibus, Hamburgensibus, communi, quibus cum carbonarijs illis antiquis certè nihil rei vnquam. Bonus scriptor fabellis se delectans hoc effectum dat, vt etiam bona & vera cùm scribit, fidem perdat, Vale.

M. D. C. *Quæ si malè scripta à me putat Furmerius, qui & commentarium hunc cum cæteris in potestate suâ habet, age, proferat eos in lucem, vt aut confutet me ista scribentē, aut alijs quoq; ridendi materiam præbeat. At enim iactat etiam Suffridus, præter volumina mirifica, quæ in præfectione librorum de origine gentis nostræ, in quâ omnem Oeconomiam operis à se instituti depingit, lectoribus promittit, libros de libertate Frisiorum, item de Nobilitate, denique de Magno Fortemanno illo, quo duce Romam ait à Frisijs occupatam, se daturum. Quod sanè ego, ad me quod attinet, non prodituros esse ocyßimè, sed iam nunc prodijsse velim; maximè postremum. Esset enim, quod ex ipsa citatione eius & circumstantijs collegio, ἀχρισίας eius & vanitatis argumentū nouum, prioribus adiectum, forsan quoque sermonum suauium, & risus materia. Ostentat quoq; volumen suum de Scriptoribus Frisiæ iam editum, sæpiusq; ingerit, ac ait, eo ostendisse se, exposito Scriptorum nostratium indice*

Libri alij Historici Suffridi ab ipso iactati.

Liber Suffridi de scriptoribus Frisiæ.

indice continuo à Frisone ad hæc tempora, (cuiusmodi hi sint, antè posui ob oculos, pleriq; in hoc orbe nati) non se memoratarum rerum veris & solidis probationibus destitui; sed historiæ ratione per annos ferè mille nongentos solidissimam sibi suppetere: & addit, quàm gratum id volumen eruditis fuerit, multorum literis & elogijs exhibitis docere se posse. Ineptum senem, & sua demirantem, sibiq; plausus fingentem! Quid enim opere isto ineptius ac vanius, si ea dempserit, quæ ad homines doctrinâ & virtute notos pertinẽt? in quo præter laruas illas veteres, partim notatas à me suprà, partim neglectas, cùm huius ætatis nostræ Scriptores Frisios recenset, velut egregios doctrinâ viros & illustrandæ patriæ natos, adeò id facit promiscuè & sine discrimine, vt etiam * Antonium *quendam* Folcardum, *insulsissimum hominem & monacho quouis indoctiorem, ob palpum sibi obtrusum, Scriptorum talium numero inseruerit. Qui quâ valuerit doctrinâ, ex chartis ipsius manu scriptis, quarum exempla hic in calce sunt, lector potest cognoscere, atq; hinc porrò, quo iudicio & prudentia Suffridus fuerit, æstimare. Quinimò qui verâ laude digni sunt, ac fama per se illustri, in his ipsis celebrandis adeò operosus est, vt ridiculus fiat, veræq; gloriæ eorũ, quos laudare vult, gratiã demat, lectoriq; nauseã creet. In alijs etiã tam prodigus encomiorũ est, gratiã viuentiũ venans, vt pueros nobis inducat vndenarios & duodenarios qui de qualibet proposita thesi seu viua voce, seu scripto, cũ admiratione magnorũ virorũ publicè potuerint declamare, & quos-*

* De eruditione eius specimen luculentum in calce huius opusculi.

mereri, eiusq; Historias reddere certiores & meliores magnificè gloriatur. Prætereà de Lera *mecum litigat, sede quondam meâ, & perperam me* Leram *pro* Lira *scripsisse contendit, nouiq; nominis me fabrum facit, ô lepidum senem! de* Groninga *quoq; pro* Gruninga *nuncupatâ me accusat, & huiusmodi alia. De* Chaucis *etiam, nescio quid: de Oliuerio item Scholastico delato fortè ad me: de Transamasano & Cisamasano nomine. Deniq; culpat me, quòd exemplo suo vetustissima illa gẽtis nostræ, quæ cõsulto vt fabulosa aut incerta reliqui, non sim persecutus, & hoc ignauiæ imperitiæq; imputat meæ. Postremò appetit, vellit, rodit, mordet omnia: facilè vt appareat, totâ bile commota fuisse senem, cùm scriberet ista, ita factum esse, vt pro Apologiâ, quàm erat professus, tuendæ sententiæ suæ, virulentam, acerbam, maledicam, inuectiuam in me effuderit. Satis de SVFFRIDO, & plus quoq; quàm satis. Nunc FVRMERIO Peroratori respondebo breuissimè. Et primùm quidem aio, duo eum in me pura & puta mendacia chartis his suis illeuisse, & protrusisse in lucem, id est, rem commisisse sene, viro bono, Historici nomen professo indignam: priùs in Epostolâ ad amplissimos Frisiæ Nouem-viros Delectos, alterum in Peroratione. In Epistloa scribit rotundis & expreßis verbis, quod primam Historiæ meæ Decadem Nouen-virorum eorundem Collegio dedicare conatus, repulsam ab Ordinibus sim passus. Hoc verò totum falsum esse, & mendacium impudens, omnes testari possunt; per quos res*

Suffridi λογομαχίαι inanes & putidæ, item criminationes vanæ & acerbæ.

Responsio ad latratus Furmerij, Duo mendacia.

Primum ψεῦδος Furmerij.

*ingratam, imo gratißimam fore dedicationem, de quâ cogitare me intelligerat, per eundem affinem meum mihi ostendisset. Itaq; ex perrexi in eo, vt debui, & nullam me pecuniæ spem aut cupidinem in eo secutũ, (quod caput scriptitationum hæ mastiges meæ habẽt, haud obscurè,) testem habeo non solum conscientiam meam, sed Comitis quoq; huius ipsius, & quem prouocare non vereor. In Peroratione idem scribit, cum in colloquio familiari amicus ex me forte quæsisset, quid impulisset me, vt insectarer tantoperè Suffridum, qui tam commodè & doctè Frisiorum origine & antiquitate disseruisset, præmioq; & laude propterea videretur dignus, me obsilescentem paululum, tandem respondisse: Nollem ipsum scripsisse: atq; ibi conscientiam appellat meam, se non mentiri. At ego quoniam tibi verbis his præire libuit Furmeri, Deum & conscientiam testor, te in eo mentiri apertè: dicoq; , si quis sic ista ad te detulit amicus, eum esse calumniatum. Nam scio satis, nec ista, nec in eam sententiam similia me dixisse cuiquam, imò ne cogitasse quidem. Existimo potius cerebri tui id commentum esse, aut aliud cum audieris, in hanc calumniam id à te esse versum. Si negas, excita amicum illum, qui contra me pro te testatur. Quid speres ab Historico hoc lector, qui tantam sibi falsi licentiam facit, frenumq; totum laxat affectibus? * Præterea scholam obijcit mihi in epistolâ, homo scilicet magnificus, sed sui ipse oblitus, oblitus quoque Suffridi, quem memorat ipse, & quidem ibidem memorat,* pueros

Alterum ψεῦδος eiusdem.

Hæc verba Furmerij sunt in Peroratione. Pag. 120.

**Furmerius Sannio Recturam scholæ velut probrum obijcit sui immemor qui inferiores in schola partes ipse sustinuit.*

pueros quondam Leouardiæ, apertâ istic scholâ, docuisse quæstus gratiâ, eósq; biennij opera ad classem quartam scholæ Groninganæ fecisse idoneos, id est, in imis pulueribus scholasticis iacuisse. Sannas quoq; interijcit, & pro emblemate historialem intertexit ipso se dignam, de homine famelico ex eo genere, quibus liber sub alâ esse solet pro pallio & scuto contra patibulum, quærente tegimentum. Quam quidem si in me directam vult, quâ scabiæ animi laboret, facit manifestum? sin minùs, ostendit, quàm ieiunus sit, qui huiusmodi digressionibus superuacaneis, & ad rem nihil pertinentibus, etiam cum scribenda epistola breuis est, pagellas cogatur implere. At in Peroratione illâ nobili vim & certitudinem probationum Suffridi, secutus cantilenam eius, iactat vehementer, vocat argumenta eius contra me indubitata, ipso penè Suffrido ineptior mihi ignauiam, imperitiam, inuidentiam rursus obiectat: me in eo totum esse, ait, vt veros Frisios, quos nostrates nuncupat, deijciam ad ima: meam autem Chaucorum sobolem Cisamasanicam (sic loquitur ineptulus, disertum se putans) extollam rursumq; Suffridi laudes ἐγκωμιάζει, & vehit in immensum, me in imas deijcit tenebras: deniq; longâ me contentione cum Suffrido committit, vt chartas impleat, ne nihil scripsisse & sine operâ stipendium capere videatur. Atq; interim dum fabulatorem à me vno loco Suffridum appellatum quæritur, & in eo stomachatur vehementius, Satyricum me nuncupat, eaq; occasione comparationem prolixam & operosam Sa-

Furmerius Suffridi simius.

tyra

tyræ & Historiæ ex alia διαζευχῇ transscriptam, atque huc translatam nobis inducit, ac me (quod faustum & felix sit) de multis officij partibus in scribendâ historiâ, velut grauis Aristarchus, docet. Ab his ad talia dilabitur minuta pleraq; & responsione non digna: in vno puluerem excitat magnum, & strepitat vehementius, de inscriptione tabulæ marmoreæ, quæ in vrbe Roma est, de quâ facta paulò ante mentio: quàm ego ex Raphaële Volaterrano, optimo alioqui Pontificiarũ rerum autore citaueram in Historiâ, sed perperam ab eo ad Caroli Calui tempora, vnius fortè apicis errore in nomine Leonis Pōtificis abrepto, trahi monueram, ostenderamq́; optimis rationibus, iudicio meo, ad Caroli Magni tempus pertinere. Ille de tempore mecum consentiens, sed coniecturam meam impugnans, Deus bone! quos strepitus ciet, quantum verborum totis folijs sex, id est, paginis duodecim perdit? quibus omnibus hoc solùm agit, vt Leonem, qui tertius ab vniuersâ natione scriptorum imprimis à Platinâ, Panuino, Balæo, Sigoneo Leandro, Volaterrano, Sabellico nominatur, quem contra æmulos Carolus Magnus restituit in integrum, non 3. sed 4. fuisse conuincat, fretus maximè, vt ait, Chronico vetusto manuscripto à Martino quodam Polono congesto, sibi à reuerendissimo in Christo patre ac Principe D. Henrico Dodenio VVerdæ Imperialis ad Ruram Abbate donato, & chartis quibusdam similibus obscuris aut ignotis. Atq; hoc mysterium dum peruestigat, præ se fert, omnia se sursum & deorsum peruolutasse, perinde ac si aut tanti

De tabula marmoreâ quæ Romæ est, inanis contentio.

Hæc verba Furmerij sunt in Peroratione. pag. 133.

momenti quæstio ea sit, aut ad Frisios quod attinet, ipsius à me, vt istic explicata mens mea est, vel minimum dissideat. Nam vt ad Carolum Magnum & Leonem eum, qui restitutus à Carolo est, ipse marmoris scripturam refert, sic à me quoq; eo loco est relata. Sed enim cùm post, editâ iam Decade meâ prima, textum marmoris integrum legissem eâdem formâ, quâ nunc ab æmulo hoc meo est vulgatus, quem priùs truncatum apud Volaterranum legeram, verbaq; omnia expendissem attentiùs; atque inter se contulissem ac simul ad Historiam & statum eius sæculi, quo marmor hoc creditur positum, diligentiùs respexissem, cœpi, fateor, de marmore ipso hærere: statuiq; non in re recenti, sed à multis demùm annis obsolescente iam, & obliuionis tenebris obscuratâ rei memoriâ à posteris esse collocatum. Quod cur acciderit mihi, exponam paucis, vt benene an malè illud acciderit, lector iudicare queat: In eundem hunc finem, verba ipsa marmoris integra hîc asscribam. Ea sic habent.

✝IN NOMINE DOMINI. TEMPORE LEONIS IV. PAPAE IMPERANTE, CAROLO MAGNO IMPERATORE, eo tempore, cum beati Petri Basilica à Saracenis capta fuerat, tunc denique pro totius mundi capite turbato, totus mundus turbatus, omnis Gallia cum Rege Carulo ad tuendum illam venerunt, vnde

contra

contra inimicos Domini bella Domini decertando quidam mortui sunt, & in cripta iuxta Neronis Palatium sepulti, eodemq; tempore à Leone Papa & Rege Carulo ad honorem Michaëlis Archangeli super illos facta est Ecclesia. His ita peractis, Rex Apuliam abijt, eamq; B. Petro & Romæ subiugauit. Per idem tempus exercitu Galliâ reuertente, tres illorum milites de Frisia, Ilderado de Groninga; & Leomot de Stauera,& Hiaro, & Coldui ancilla Dei de Slinga. Hi beati Magni corpus in loco, qui dicitur Fundi, inuenerunt. Quo inuento, in eorum prouinciam portare & condire decreuerunt. Sed diuina gratia cooperante, postquam ad Sutrinas partes ventum est, amplius deferre non præualuerunt, quia bis & ter territi, & per somnium moniti Romam reuertẽtes, sanctum corpus secum tulerunt. Vnde factum est, quòd illorum deuotionis causa partem brachij à se segregari ab illis permisit; partes autem cæteræ in cripta præfata remanserunt; super quam, sicut dictum est, Ecclesia iam fuerat facta. Deinde omni anno simul beneficium * optimum dare ibi decreuerunt, scilicet trecentas Marcas argentei pro * illorum & vbique requiescentium redemptione, & in perpetuum, seu diuites, siue pauperes, in eadem supra dicti ARCHANGELI Basilica, & Beati

Fortè optimum.

** Forte pro illorũ ibiq; requiescentiũ, vel pro illorũ & ibi requiescẽtiũ. Nota.*

Magni Ecclesiæ iuxta eam ab ijsdem constructa hospitalia, quando à suis partibus venirent, agerent. Idcircò nostrorum aliorumque omnibus pateat, si ipsi vel quinque hoc decretum rumpere tentauerint, sciant se perpetuò damnatos & maledictos, & prædicti Pontificis anathematis vinculis in inferno, nisi resipuerint, cum Diabolo conligatos, in hac autem vita miseros, pauperes, & dispersos, & iterum de libro vitæ cælestis deletos, & de regno Christi deiectos. Confirmatoribus fautoribus huius decreti econtra sit benedictio Christi, & fruantur vtriusque vitæ gaudijs, Amen.

Hactenus marmoris verba. In his primùm formam dictionis, & modum loquendi deprehendi non satis cum eâ formâ modoq́ꝫ, cuius vsus temporibus Caroli fuit, congruere. Deinde & anathematis verba sub finem posita, alieniora à modestiâ & sobrietate istius sæculi, sæculum posterius redolere sunt visa. Tum suspectum, quod Pontificis nomen in publico monumento, quod præsente & sciente imperatore erectum dicitur, Imperatoris nomine est propositum: quódq́ꝫ item Carolus simpliciter Imperator, *non etiam* serenissimus Augustus, *qui tum mos erat, istic nuncupatus: quod sic scriptum,* imperante Carolo Magno Imperatore: *est enim hoc perineptum. At magis etiam suspecta hac, quod* pro totius mundi capite turbato,

turbato, turbatus *esse* totus mundus, Galliaque omnis cum rege Carolo in Italiam venisse *dicitur: maximè verò ista, quod* beati Petri Basilica, (*quæ templum Vaticanum est*) eo tempore asseratur à Saracenis esse capta: *quodq; commisso cum Saracenis prælio, cæsorumq; corporibus inscripta iuxta palatium Neronis tumulatis, Ecclesia Michaelis Archangeli super his à Leone Pontifice, & Carolo Rege perhibeatur structa: deniq; quod his omnibus peractis, tum demum* Carolus *feratur* in Apuliã perrexisse, & eam B. Petro & Romæ subiugasse. *Sic quippè habere hæc animaduertit, vt alia verò non congrua, alia sese euertentia, alia à statu eius sæculi discrepantia, pleraq; etiam cum consensu scriptorum bonorum, quos habemus, manifestè pugnantia viderentur. Nam vt priora & minora omittam, quis inter historiæ veteris studiosos tam oscitans ac supinus est, vt Carolo post acceptam Imp. Romani dignitatem vix in Galliæ, Germaniæ. Italiæ negotijs, nedum in rebus vrbis Romæ, adeoq; in ipsâ eâ vrbe, ex quâ imperij nomẽ gerebat, absolutè, sicut hic fit,* Reges *nomen esse tributum, idq; in posteris quoq; eius per proxima vsurpatum sæcula, non obseruarit? Deinde quis bonorum historicorum tam rudis est aut socors, vt ignoret* Galliæ *nomen eo tempore, in titulis regum actisq; huiusmodi, in vsu non fuisse, & quæ Galliæ olim, eam tum maximâ sui parte Franciam vulgò esse nuncupatam, & Carolum maioresq; eius* non Gallorum, sed Francorum Reges *dictos, Francorum verò regnum*

ad Transrhenanos haud minùs, quàm ad Cisrhenanos pertinuisse? quiq; nesciat, regnante demùm Caluo, cui in sortem ista Franciæ pars, quæ ad occidentem Rheni est, ex diuisa hæreditate obuenerat, Galliæ *vocabulum sensim in scenam reuocatum? Quibus positis consideratisq; preßiùs, haud obscurè elucescit, tabulam hanc tam clarè & latè cum vsu eius temporis pugnantem eo tempore non esse exaratam, in qua scriptum*, Galliam omnem cum Carolo Rege in Italiam venisse, exercitumque eius confecto bello in Galliam reuertisse. *Nam si eo esset tempore scalpta, & huiusmodi res, quales hæc ipsa habet, tum accidissent, haud dubium est, quin pro more tunc vsitato sic quoque scriptura tabulæ esset habitura:* Carolo sereniſſimo Augusto Imperium Romanum tenente, Francorum & Longobardorum Rege, tempore Leonis III. Papæ, captâ à Saracenis beati Petri Basilicâ, turbatoq; totius mundi capite, totum mundum turbatum fuisse, & omnem Franciam (*quæ Galliæ Germaniæq; partes complectebatur*) cum Corolo Imperatore ad defensionem eius accurrisse, exercitumque confectâ expeditione in Franciam trans Alpes esse reuersum. *Et quis nescit, cùm iam Imperij dignitate auctus esset Carolus, Saxonibus debellatis, Henetis fractis, Bauaris subactis, Hungaris longè lateq; repreßis, non minus virium è Germaniæ regionibus, quàm ex vetere Galliâ ad expeditionem huiusmodi adfuturum ei fuisse? Iam quàm absurdum, Carolum cũ tanto exercitui Romæ sedisse,*

quoad templi structura super corporibus cæsarum esset absoluta! Hoc enim nō abscurè tabulæ textus habet: de quo iudicium lectorum bonorum appello. Mitto nunc, quòd annus rei gestæ, vt in actis monumentisq; in more tunc fuit, non sit additus: Mitto alia his similia, quæ verborum pleraq; sunt, & momenti minoris censeri possunt. Maiora, & res ipsas videamus. Ait tabula, imperante Imperatore Carolo Magno Basilicam beati Petri à Saracenis esse captam: *ait eadem*, propter totius mundi caput turbatum, toto turbato mundo, Carolum cum omni Galliâ subsidio venisse: *deniq; ait*, peractis cæteris, *id est, deiectis Roma vicinaq; regione Saracenis*, cæsis ritè tumulatis, Ecclesia Michaëlis super tumulo extructâ, Carolum eundem in Apuliam profectum, eam beato Petro & Romæ subiugasse. *Hæc verò eiusmodi sunt, vt si vera sint, socordes, imperitos, falsi reos, imposteris haberi necesse sit omnes, quotquot Caroli res & totius eius sæculi posterorū memoriæ autores prodiderūt. Rege quippe Carolo nulla in ijs Saracenor. Italiæ infestorū mentio: At Imperat. eodē tradunt, insulas quidem Italiæ vicinas ab his appetitas identidē, & malè mulctatas, orā quoq; ipsam Italiæ vexatā aliquoties, Centūcellas oppid. Romæ vicinū etiā subitâ vi occupatū, direptūq;: at Rom. Romanave suburbio esse attētata, adeq; vaticanā, toto orbe celeberrimā, & ditissimā, captā non docent, adeoq; ne minimā quidē eius suspicādi occasionē lectoribus præbent. Et quid rationis fuerit scriptores hos minima quaq; huius generis memorasse,*

rem tam magnam, tam memorabilem: quæ turbando totius mundi capiti, totiq; adeò mundo erat, vt ipsa hæc loquitur tabula, cuius causas tantus monarcha cum omni Galliâ se commouerit, in Italiam accurrerit, prælia inierit, silentio omnes obruere ac præterire? Nam si negligentia, socordiave id factum dices; flagitium penè dices, aut potiùs rem impoßibilem: Sin consultò; quid hoc aliud fuerit, quàm cnouentionis improbæ, imò coniurationis in veritatem de illustri & magna re reos facere autores optimos quosq;, aut potiùs totam scriptorum bonorum istius sæculi nationē; hoc est, crimen grauißimum mendacij viris egregijs, veritatem rerum tradere profeßis, impingere? Quod si cui facere lubet, vt tuatur tabulam hanc, faciat sanè, vt lubet, obsequaturq; genio suo. Ego id committere, *& colaphum nomini virorum talium, benè de posteritate bonisq; literis meritorum, infringere nec audeo nec volo: maloq; de tabula suspicari id, quod ostendi antè, quàm istuc me præcipitem dare. Quid dicam, quod consensus autorum eorundem constans, nec vspiam varians, doceat, nos cùm Imperator Romæ salutatus Carolus est, non eum Saracenorum repellendorum, sed restituendi Leonis Pontificis gratiâ, cum nulla Saraceni exercitus suspicio esset, in Italiam venisse, nec vltra Romam cum copijs esse progressum, Beneuentanos modo per filium Pipinum coërcuisse, ipsum per Alpes in Franciam statim rediisse, nec ab eo tempore Italiam repetisse vnquam? Quæ si vera esse censemus ob tantorum testium fidem, ea quæ in tabula*

sunt,

sunt, si ad Carolum hunc eundem referantur, vt illic sunt, simul pro veris recipere non possumus. Nam negant ista, aiunt hæc idem. Et quis erit omnium tam impudens, qui dicere non erubescat, haud consequi rectè, quia id scriptum non sit, idcircò ne factum quidem: multa enim fieri, quæ ab autoribus non annotentur? Tum Furmerij pro fronte tuâ? At nosse te oportet, quæ literis in hoc genere prodita ab autoribus non sunt, ea aut minora esse, aut ignorata ipsis autoribus, aut per inertiam incuriamve neglecta, aut deniq; præterita consultò: quorum nulli hîc locus. Præsertim cùm non vnus sit, non duo, non tres, qui hac de re verbum nullum, sed omnes omninò, quotquot hæc Carolina tractarunt, & Itali, & Germani, & Galli, quorum nonnulli non tantùm coæui fuêre Carolo, sed familiares, gnari rerum eius omnium. Et quomodo quæso fieri potuisse dices, vt qui precum votiuæ causa Carolum Romam euntem comitatu modico memorarunt, ijdem tantæ rei gratiâ tanto cum exercitu, turbato toto mundo, Romam petentem tam alto obruerint silentio? Cæcine fuêre, aut stupidi in re tantâ, & tam illustri, qui minima viderunt? aut scientes volentesq; omnes præuaricati sunt, atq; in oppreßionem rei eiusdem, & veritatis iugulationem conspirarunt?

——credat cui credere mens est
Quilibet, atque omnem semel eiurare pudorem.

Ad hæc, cur autores eidem hi, qui hæc tacuêre, tam naui & diligentes fuere in exponendis, quæ generis eiusdem sunt, secutis paulò post. Qualia sunt hæc: Ludouico imperante, qui Carolo successit, Italiæ oras infestißimis incursionibus lacertas à Saracenis, miserūq; in modum afflictas, suburbia ipsa Romana ab ijsdem, imperante Lothario, fœdè vastata, Basilicas Petri & Pauli ad libitum direptis, Vaticanam argenteis valuis nudatam, cuncta ornamenta ablata; prædones opibus onustos, protritis obuijs, viâ Appiâ in Campaniam profectos, Italiam omnem metu consternatam: hinc Saracenos nauali prælio ingenti, non procul littoribus latij, victos ab Italis, suburbiaq; Romana à Pontifice mœnibus circundata, vrbem nouam Leoninam à Leone IV. dictam, & Corsis colonis impletam. Hæc, inquam, cur recitarunt, qui tacuêre priora? an nō, quia hæc verè gesta sunt, illa non sunt? Haud dubium. De Apuliâ verò quid respondebis Furmerij? quomodo te explicabis? in quas te recipies latebras? in quæ confugies diuerticula? Nam in tabulâ illâ Romana est, Carolum Saracenis fugatis, cæterisq; in vrbe confectis, Apuliam petijsse, eamq; beato Petro, id est, Pontifici Romano & Romæ subiugasse. Nunquid sic? nega si potes. Ad id verum non esse, non iam silentio solùm autorum eorundem docemur constanti & vnanimi, sed etiam verbis & asseueratione expreßâ. Nam vti nusquam memorant, Carolum post annum Christi 801. auctum iam dignitate & titulo Imperij, in Italiā reuertisse, multò minùs cum exercitu iuisse in Apuliam, ibiq; bellum geßisse, eam Pontifici & vrbi Romæ subegisse,

egisse; ita desertis verbis tradunt, Apuliam & Calabriam eum non attigisse, sed vt fuerant hactenus à Iustiniani temporibus vsq; , totoq; regno Longobardorũ stante, in potestate Imperatorum orientis, sic in potestate eorundem easdem reliquisse, fœdusq; cum Imperatoribus hisdem habuisse. Ad hac series historiæ continua, & progressus perpetuò sibi constans ac cohærens demonstrat, regiones has eodem in statu mansisse, id est, in Byzantiorum obsequio stetisse, nec bello Occidentalium vexatas esse vsque ad Ottonem I. ab hoc totius Italiæ in potestate habendæ cupido appetitas armis, & Græcis extortas, redactasq; in fidem ipsius, non in Pontificis Romani, vrbisue Romæ, sed à Basilio Constantinoq; Impp. Byzantinis ope Saracenorum Ottoni II. rursus ereptas, & imperio Orientis denuò coniunctas: deniq; post annos multos, cùm diu durissimo Græcorum iugo sub Catapanis, Imperatorũ præfectis, pressæ, simulq; Saracenorum armis vexatæ fuissent, Henrico III. Germanis imperante, à Normannis subactas: postremò ab horum Principibus Richardo & Robberto firmandi sui causâ ius earum supremum Romano Pontifici ad annum Christi 1059. submissum: eum paulatim longius tendentem in iure illo Rogerium Normannum arctiùs sibi deuinctum, Regem creasse, & vasallum fecisse suum, tandemq; extinctis Normannis, & oppresse Friderici Barbarossæ sobole, Andegauenses Gallos, velut Dominum superiorem in possessionem harum prouinciarum induxisse, omnesq; ex ordine Reges Siciliæ & Neapolis ad

hunc

hunc vsque diem in vasallis aut hominibus ligijs, prouincias pro feudis beneficijsve suis habuisse. Quæ si fabula non sunt, necesse est fabulosum esse, quod tabula hæc, de quâ quæstio nobis est, de Apuliâ subiugatâ à Carolo Magno, & Pontifici Romæque subiectâ affirmat. Et hæc si hac in parte tam euidenter à veritate recedit, & hallucinantur tam enormiter, si alia quoque ab Hostoriâ & perpetuo autorum bonorum consensu aberrantia continet, si absurda complectitur, quid est necesse, nos eam venerari tantoperè, & in verba eius atque apices iurare? eius autoritati velut sacræ legis atque in es incisæ nosmet adstringere? denique, cur mihi fas non sit hoc sentire de eâ, quod dixi nimirum, non eodem mox sæculo: quo res gesta est, sed multò post, obscuratâ iam rei memoriâ, & corruptè ad posteros perlatâ, eam fuisse pietate posterorum, in remedium totalis obliuionis collocatam. In quo si qui errare me putent, erroremque commonstrare, & argumenta hæc mea firmis rationibus dissoluere queant, lubens id feram, factoque ipso declarabo, quàm procul absim à pertinaciâ. Sed non poterunt, sat scio, cum indubitata in his, quæ in tabulâ sunt, & in ijs, quæ in historiâ, sit contradictio: contradictoria autem pariter vera esse nullo modo possint. Eidem verò historiæ à tot autoribus proditæ, tot rationibus & firmamentis, tanto partium omnium cõsensu atque harmoniâ nixæ derogare, eamque tam obscuræ & incertæ scripturæ postponere, cuius quæso erit iudicij? aut potius cuius erit dimentiæ? Præsertim cùm historiæ fidem, literarum quoque tabulæ indubitata

dubitatæ firmient. Nam vanißima quidem charta donationis Ludouici Pij Imperatoris, ad ambitionem Pontificum ab assentatoribus & mercenarijs eorum conficta, quanquam in dilatando Pontificio imperio ac iure contra veri modum perimpudens, tamen eò impudentiæ progressa non est in accuratâ enumeratione donatorum locorum, vt Apuliam *quoque ausa sit recensere: quo quod argumentum contra vanitatem hanc potest haberi certius? Quamobrem ne Itali quidem, & Pontificum ministri, scriptores recentiores, Blondus, Sabellicus, Sigonius aliíque verit sunt ab eâdem vanitate hac ob veritatis euidentiam dissentire, qui Italiæ partem illam in distributione Imperij Byzantinis asscripsêre. Præterea, ne quid dubij vsquam resideat, Otto I. Imperator anno Christi 968. die 15. Calend. Febr. ex agro Campano in hæc verba scripsit ad Saxoniæ Principes, vt apud VVitichindum est, qui verbotenus epistolam recitat.*

Otto diuino nutu Imperator Augustus Herimanno & Thiederico Ducibus, cæterisque publicæ rei nostræ præfectis, omnia amabilia.

DEo volente, salus omniaque prospera planè succedunt. Cæterum nuncij Constantinopolitani Regis, dignitati satis insignes, nos adeunt; pacem, vt intelleximus, admodum quæren-

quærentes: Quoquo modo tamen res agatur, bello, Deo volente, nullo modo nos tentare audebunt. *Apuliam & Calabriam PROVINCIAS, quas hactenus tenuere, nisi conueniamus dabunt.* Si verò voluntati nostræ peruenerint, vt præsenti æstate coniugem cum æquiuoco nostro in Franciam dirigentes per Fraxinetum ad destruendos Saracenos, Deo comite, iter arripiemus, & sic ad vos disponemus, &c.

Sed superuacanea in re planâ & certâ probatio prolixior. Reliqua, quæ hîc mordet Furmerius, inania sunt, & responso non digna. Exemplar integrum tabulæ huius non inserui Historiæ meæ, quia non habui eo tempore. Volaterraneum, quoad sensum, expreßi probè & cum fide, ad syllabis eius me alligare nolui, vsq; hic eâ libertate fui, quam optimi quiq; scriptores in re huiusmodi vsurpant sibi, qui syllabas non annumerant, sensum reddunt. Nomina trium militum Ilderadi, Leomoti, Hiari *cum patrijs suis non inuidiâ omisi, vt falsò ait Furmerius, hic mihi potßiimùm insultans, & in me calumnias iacens, sed merâ ignoratione. Totam enim partem hanc Volaterranus non habet, quo tum autore sum vsus. Vnde ingenium videas hominis huius, qui quò calumniam haberet aptam in me, quâ conficeret me, contra veritatem scribere non est veritus, apud Volaterranum ijsdem penè* Pag. 157. *verbis hæc extare, quibus à se sint in his maledicis chartis exhibita. Lectores quibus inspicere Volaterranum*

cuum lubet, id iudicanto. In consectarijs verißimus, vt ipse ait, quæ ex his de Leone narratis deducit, id est, in inanibus nugis bellum hominem & suauem delicia- ri, & sibi placere ac plaudere, vt mos pueris est. sino, & si ita vult plausum quoq; cum risu lubens iuuo. De clarißimo verò & nobilißimo IANO DOVSA, Domino in Nordtwyck, quod addit ibidem, allatrans magnitudinem eius, de eo non deerunt qui respondeant. Sunt enim Philodusi multi, homines ingenio & doctrinâ insignes, qui vel tacente Dousâ, & latratus huiusmodi temnente, taciturinon sunt. Aut si ipsius se mouere Dousa volet, sentiet bonus vir, quid sit

Impetitus ab eodem IANVS DOVSA V. N. pag. ead. & 139. Philodusi.

Magnanimũ in sese temerè irritasse leonem,

Sentietq; Poëtaster poëta quid intersit, & carmine Salico suo quam meruerit gloriam. Quis contra me prætereà disputatiunculas mouet, quibus aut rodit aliquid, aut suspicionibus indulget, his respondendum non puto, ne temporis iacturam faciam, & chartæ: Verùm quoniam coronidis loco epistolis clarorum virorum ad Suffridum scriptis obturbandum me putauit, & in his Chytræum verè πολυΐστορα, & nostri sæculi in literis non vltimum decus, his ei placuit inducere, non patuit facere, quin huius eiusdem ex multis duas saltem ad me diuersis annis scriptas hic quoq; in calce subijcerem, ostenderemq; me quoq; huiusmodi armis pugnare posse, si id decorum esse arbitrarer.

S. D.

S. D.

De iudicijs amicorum per epistolas

CLarißime & optime vir, amice colende, accepi tandem diu desideratam rerum Frisicarum Historiam tuam, singulari & exquisito iudicio, & prudenti rerum delectu, & illustri orationis diserta ac perspicua copiâ elaboratam, & Chorographiâ totius Frisia accuratâ eruditißimè ornatam. Vnâ in re, spem atq; exspectationem meam fefellit, quod cùm auidißimè eam euoluerem, ad tempora nobis propiora festinans, tandem in Friderici II. & VVilhelmi Imperatoris annis te subsistere, nec vlteriùs progressum esse vidi, cùm recentißimam huius & superioris sæculi historiam, cupidißimè expeterem.

Τὴν γὰρ ἀοιδὴν μᾶλλον ἐπικλείουσ' ἄνθρωποι,
Ἥ τις ἀκουόντεσσι νεωτάτη ἀμφιπέληται.

Sed pro munere quod dedisti, reuerenter tibi gratiam habeo, & posteris, qui hæc recentiora legent, gratulor. Quæ ego quoq; cognoscere, non tam meæ voluptatis causâ, quàm vt in meo Chronico, Frisiaca illa meliora & auctiora efficere poßem, optaui. Suffridum, priusquàm absolutis tot παρέργοις, veram historiam ordiatur, vnà mecum viuendi finem facturum vereor. *Tibi pro exemplari etiam manu tuâ emendata gratias ago, & δόσιν ὀλίγην τε φίλην τε, filiolo tuo, grati animi testimonium mitto, ac Deum, vt vires animi & corporis tibi, ad prætexendam sequentem Historiæ partem luculentiorem, & omnibus lectu gratiorem futuram, confirmet, oro.*

Nota Iudicium Chytræi de Suffrido.

Nos

Nos scriptionibus nostris, benemerendo de posteritate, Deo & hominibus seruiamus: etiamsi nulla spes vtilitatis vel gratiæ inde ad nos reditura affulgeat. Sicut Christum toti generi humano ingrato fideliter καὶ φιλοστόργως seruisse videmus, vt primæ editioni Chronici Saxoniæ mei olim præscripsi,

Τὴν σαυτοῦ φρένα τέρπε, δυσηλεγέων δὲ πολιτῶν,
Ἄλλος τίς σε κακῶς, ἄλλος ἄμεινον ἐρεῖ.

Quæ ex Poloniâ & Vngariâ recens ad nos allata sunt, & alias pagellas, lectu non ingratas nec insuaues adiunxi, quæ prolixiores epistolæ loco mihi apud te futura sunt. Benè & feliciter vale. Die Mariæ Magdalenæ, Anno 1596.

David Chytræus.

S. D.

Magnificè & clarissimè Domine Rector, amice colende. Δέχομαι φίλον γε δῶρον ἐκ φίλης χερὸς, *& literas tuas, pristinæ erga me beneuolentiæ ac fidei tui plenas: & Historiæ Frisiacæ Decadem tertiam, vsque ad clarissimi Comitis Ezardi initia deductam, quam vtinam pertexere tibi vsque ad Nepotis Ezardi, proximis Calendis Martij defuncti obitum liceat. Ego quidem publico literarum & Reipublicæ nomine, gratias tibi officiosè ago, quod hunc laborem, non patriæ solum tuæ, & toti viciniæ, ac tibi ipsi honorificum ac salutarem, sed omnibus etiam bonis & doctis in cunctis gentibus gratissimum, suscepisti, &*

constanter vrges: & Deum, vt vires animi & corporis, ad eâ quæ instituisti, perficienda, tibi tribuat, ardentibus votis precor. Pro historiâ tuâ Frisiacâ, omnibus elegantiæ numeris perfectâ remitto rudem & nudam rerum proximo sexennio in hoc Arctoo orbe actarum annotationem, quàm boni consules, & Belgicarum huius anni rerum commemoratione augebis. In Sueciâ, Dux Carolus, Regis Sigismundi patruus, suo arbitrio regnum totum administrat. Rex fugitiuum regnum consequens, κεῖται, κ̀ οὐ κεῖται, &c. Bene & feliciter vale, & prima occasione per Bremam rescribe. Rostochij, pridie Pentecostes, 26. Maij, Anno 1599.

David Chytræus.

Sed, vt dixi antè, erubesco laudibus hisce potiùs, quàm mihi placeo, aut ex ijs de me iudicium facio, aliterq; eas, quàm Suffridus fecisse videtur, interpretor. Interim Furmerium moneo, vt, quàm edidit ipse, Chytræi *Epistolam inspiciat, videatq; an non idem, quod ego considerare me in Suffrido, & opere eius, in pagellâ ad lectorem, ostendi, ob quam tantoperè in me Suffridus est stomachatus, ab eodem sit desideratum. Sic enim verba eius istic habent:* Vtinam verò annales Frisiorum in lucẽ tibi proferre ante cætera velut parerga de nobilitate, libertate, &c. libeat: hos enim auidissimè expectamus. Scriptores etiam illos veteres, Marcellinum, Ludgerum, Radbodum, Cappidum, Staurienſem & ſim-

& similes, magno desiderio multi expetimus. *Cuius viri autoritas si mouet ipsum, age consilium eius & monitum sequatur, & quod omnes qui non inanium huiusmodi speculationum & fabularum, sed verarum historiarum, & rerum gestarum cognoscendarum sunt auidi, iamdudum ab eo expectant, missis parergis & diuertigijs consultò quæsitis, ab ipso τὰ ἔργα, Historiæ propria, exponenda sine morâ tandē aliquando accedat: id, inquam, seriò tādem occipiat, inque eo potiùs, quàm in iurgijs inutilibus, si patriæ prodesse vult, mecum certet, ob quod stipendio liberali, ab eâdem patriâ, se sit ornatum. Sed finem poscit nimis iā progressa prolixitas. Rogo lectorem, vt, quæ à me pro tuendâ veritate, & asserendo contra calumnias nomine meo, dicta & disputata hic sunt, candidè benigneq; interpretetur: imprimis, quod Suffrido mortuo respondere coactus sim, (nec enim viuo potui) id non mihi, qui hac carere molestiâ malueram, & studijs alijs tempus impendere, sed Furmerio, qui eius manes ab inferis cōtra me resuscitauit, & hanc mihi Camarinam sine causâ mouit imputet. Furmer. etiam oro, si offēsum me existimet, si se pungi ægritudine sentiat, si fabulis laruā per me detractam, & fidē, si quàm habebant, ademptā doleat, si quid spei suæ aut commodo decessurum hac defensione meâ metuat, vt hoc nō voluntati meæ, sed imprudentiæ & libidini suæ, quæ me inuitum huc protraxit, adscribat. Omnes verò gentiles meos, Frisios cis vltraq; Amasum, atq; eos potissimum, ad quos Apologiam hanc suam Suffr. direxit,* Peroratio.

rem tam magnam, tam memorabilem: quæ turbando totius mundi capiti, totiq́ adeò mundo erat, vt ipsa hæc loquitur tabula, cuius causas tantus monarcha cum omni Galliâ se commouerit, in Italiam accurrerit, prælia inierit, silentio omnes obruere ac præterire? Nam si negligentiæ, socordiave id factum dices; flagitium penè dices, aut potiùs rem impoßibilem: Sin consultò; quid hoc aliud fuerit, quàm cnouentionis improba, imò coniurationis in veritatem de illustri & magna re reos facere autores optimos quosq́, aut potiùs totam scriptorum bonorum istius sæculi nationē; hoc est, crimen grauißimum mendacij viris egregijs, veritatem rerum tradere profeßis, impingere? Quod si cui facere lubet, vt tuatur tabulam hanc, faciat sanè, vt lubet, obsequaturq́ genio suo. Ego id committere, & colaphum nomini virorum talium, benè de posteritate bonisq́ literis meritorum, infringere nec audeo nec volo: maloq́ de tabula suspicari id, quod ostendi antè, quàm istuc me præcipitem dare. Quid dicam, quod consensus autorum eorundem constans, nec vspiam varians, doceat, nos cùm Imperator Romæ salutatus Carolus est, non eum Saracenorum repellendorum, sed restituendi Leonis Pontificis gratiâ, cum nulla Saraceni exercitus suspicio esset, in Italiam venisse, nec vltra Romam cum copijs esse progressum, Beneuentanos modo per filium Pipinum coërcuisse, ipsum per Alpes in Franciam statim rediisse, nec ab eo tempore Italiam repetisse vnquam? Quæ si vera esse censemus ob tantorum testium fidem, ea quæ in tabula sunt,

sunt, si ad Carolum hunc eundem referantur, vt illic sunt, simul pro veris recipere non possumus. Nam negant ista, aiunt hæc idem. Et quis erit omnium tam impudens, qui dicere non erubescat, haud consequi rectè, quia id scriptum non sit, idcircò ne factum quidem: multa enim fieri, quæ ab autoribus non annotentur? Tum Furmerij pro fronte tuâ? At nosse te oportet, quæ literis in hoc genere prodita ab autoribus non sunt, ea aut minora esse, aut ignorata ipsis autoribus, aut per inertiam incuriamve neglecta, aut deniq; præterita consultò: quorum nulli hîc locus. Præsertim cùm non vnus sit, non duo, non tres, qui hac de re verbum nullum, sed omnes omninò, quotquot hæc Carolina tractarunt, & Itali, & Germani, & Galli, quorum nonnulli non tantùm coæui fuêre Carolo, sed familiares, gnari rerum eius omnium. Et quomodo quæso fieri potuisse dices, vt qui precum votivæ causa Carolum Romam euntem comitatu modico memorarunt, ijdem tanta rei gratiâ tanto cum exercitu, turbato toto mundo, Romam petentem tam alto obruerint silentio? Cæcine fuêre, aut stupidi in re tantâ, & tam illustri, qui minima viderunt? aut scientes volentesq; omnes præuaricati sunt, atq; in oppressionem rei eiusdem, & veritatis iugulationem conspirarunt?

——credat cui credere mens est
Quilibet, atque omnem semel eiurare pudorem.

Ad hæc, cur autores eidem hi, qui hæc tacuêre, tam naui & diligentes fuere in exponendis, quæ generis eiusdem sunt, secutis paulò post. Qualia sunt hæc: Ludouico imperante, qui Carolo successit, Italiæ oras infestißimis incursionibus lacertas à Saracenis, miserũq; in modum afflictas, suburbia ipsa Romana ab ijsdem, imperante Lothario, fœdè vastata, Basilicas Petri & Pauli ad libitum direptis, Vaticanam argenteis valuis nudatam, cuncta ornamenta ablata; prædones opibus onustos, protritis obuijs, viâ Appiâ in Campaniam profectos, Italiam omnem metu consternatam: hinc Saracenos nauali prælio ingenti, non procul littoribus latij, victos ab Italis, suburbiaq; Romana à Pontifice mœnibus circundata, vrbem nouam Leoninam à Leone IV. dictam, & Corsis colonis impletam. Hæc, inquam, cur recitarunt, qui tacuêre priora? an nõ, quia hæc verè gesta sunt, illa non sunt? Haud dubium. De Apuliâ verò quid respondebis Furmerij? quomodo te explicabis? in quas te recipies latebras? in quæ confugies diuerticula? Nam in tabulâ illâ Romana est, Carolum Saracenis fugatis, cæterisq; in vrbe confectis, Apuliam petijsse, eamq; beato Petro, id est, Pontifici Romano & Romæ subiugasse. Nunquid sic? nega si potes. Ad id verum non esse, non iam silentio solùm autorum eorundem docemur constanti & vnanimi, sed etiam verbis & asseueratione expreßâ. Nam vti nusquam memorant, Carolum post annum Christi 801. auctum iam dignitate & titulo Imperij, in Italiã reuertisse, multò minùs cum exercitu iuisse in Apuliam, ibiq; bellum geßisse, eam Pontifici & vrbi Romæ subegisse,

egisse; ita desertis verbis tradunt, Apuliam & Calabriam eum non attigisse, sed vt fuerant hactenus à Iustiniani temporibus vsque, totoque regno Longobardorũ stante, in potestate Imperatorum orientis, sic in potestate eorundem easdem reliquisse, fœdusque cum Imperatoribus hisdem habuisse. Ad hæc series historiæ continua, & progressus perpetuò sibi constans ac cohærens demonstrat, regiones has eodem in statu mansisse, id est, in Byzantiorum obsequio stetisse, nec bello Occidentalium vexatas esse vsque ad Ottonem I. ab hoc totius Italiæ in potestate habendæ cupido appetitas armis, & Græcis extortas, redactasque in fidem ipsius, non in Pontificis Romani, vrbisue Romæ, sed à Basilio Constantinoque Impp. Byzantinis ope Saracenorum Ottoni II. rursus ereptas, & imperio Orientis denuò coniunctas: denique post annos multos, cùm diu durissimo Græcorum iugo sub Catapanis, Imperatorũ præfectis, pressæ, simulque Saracenorum armis vexatæ fuissent, Henrico III. Germanis imperante, à Normannis subactas: postremò ab horum Principibus Richardo & Robberto firmandi sui causâ ius earum supremum Romano Pontifici ad annum Christi 1059. submissum: cum paulatim longius tendentem in iure illo Rogerium Normannum arctiùs sibi deuinctum, Regem creasse, & vasallum fecisse suum, tandemque extinctis Normannis, & oppresse Friderici Barbarossæ sobole, Andegauenses Gallos, velut Dominum superiorem in possessionem harum prouinciarum induxisse, omnesque ex ordine Reges Siciliæ & Neapolis ad

hunc

dubitata firment. Nam vanissima quidem charta donationis Ludouici Pij Imperatoris, ad ambitionem Pontificum ab assentatoribus & mercenarijs eorum conficta, quanquam in dilatando Pontificio imperio ac iure contra veri modum perimpudens, tamen eò impudentiæ progressa non est in accuratâ enumeratione donatorum locorum, vt Apuliam *quoque ausa sit recensere: quo quod argumentum contra vanitatem hanc potest haberi certius? Quamobrem ne Itali quidem, & Pontificum ministri, scriptores recentiores, Blondus, Sabellicus, Sigonius aliique verit sunt ab eâdem vanitate hac ob veritatis euidentiam dissentire, qui Italiæ partem illam in distributione Imperij Byzantinis asscripsêre. Præterea, ne quid dubij vsquam resideat, Otto I. Imperator anno Christi 968. die 15. Calend. Febr. ex agro Campano in hæc verba scripsit ad Saxoniæ Principes, vt apud VVitichindum est, qui verbotenus epistolam recitat.*

Otto diuino nutu Imperator Augustus Herimanno & Thiederico Ducibus, cæterisque publicæ rei nostræ præfectis, omnia amabilia.

DEo volente, salus omniaque prospera planè succedunt. Cæterum nuncij Constantinopolitani Regis, dignitati satis insignes, nos adeunt; pacem, vt intelleximus, admodum quæren-

quærentes. Quoquo modo tamen res agatur, bello, Deo volente, nullo modo nos tentare audebunt. *Apuliam & Calabriam PROVINCIAS, quas hactenus tenuere, nisi conueniamus dabunt.* Si verò voluntati nostræ peruenerint, vt præsenti æstate coniugem cum æquiuoco nostro in Franciam dirigentes per Fraxinetum ad destruendos Saracenos, Deo comite, iter arripiemus, & sic ad vos disponemus, &c.

Sed superuacanea in re planâ & certâ probatio prolixior. Reliqua, quæ hîc mordet Furmerius, inania sunt, & responso non digna. Exemplar integrum tabulæ huius non inserui Historiæ meæ, quia non habui eo tempore. Volaterraneum, quoad sensum, expreßi probè & cum fide, ad syllabis eius me alligare nolui, vsq; hic eâ libertate fui, quam optimi quiq; scriptores in re huiusmodi vsurpant sibi, qui syllabas non annumerant, sensum reddunt. Nomina trium militum Ilderadi, Leomoti, Hiari *cum patrijs suis non inuidiâ omisi, vt falsò ait Furmerius, hic mihi potßiimùm insultans, & in me calumnias iacens, sed merâ ignoratione. Totam enim partem hanc Volaterranus non habet, quo tum autore sum vsus. Vnde ingenium videas hominis huius, qui quò calumniam haberet aptam in me, quâ conficeret me, contra veritatem scribere non est veritus, apud Volaterranum ijsdem penè verbis hæc extare, quibus à se sint in his maledicis chartis exhibita. Lectores quibus inspicere Volaterra-*

Pag. 157.

num

eum labet, id iudicante. In consectarijs verißimus, vt ipse ait, quæ ex his de Leone narratis deducit, id est, in inanibus nugis bellum hominem & suauem deliciari, & sibi placere ac plaudere, vt mos pueris est. sino, & si ita vult plausum quoq; cum risu lubens iuuo. De clarißimo verò & nobilißimo IANO DOVSA, Domino in Nordwyck. quod addit ibidem, allatrans magnitudinem eius, de eo non deerunt qui respondeant. Sunt enim Philodusi multi, homines ingenio & doctrinâ insignes, qui vel tacente Dousâ, & latratus huiusmodi temnente, tacituri non sunt: Aut si ipsius se mouere Dousa volet, sentiet bonus vir, quid sit

Impetitus ab eodem IANVS DOVSA V. N. pag. 136 & 139. Philodusi.

Magnanimũ in sese temerè irritasse leonem,

Sentietq; Poëtaster poëta quid intersit, & carmine Salico suo quam meruerit gloriam. Quis contra me prætereà disputatiunculas mouet, quibus aut rodit aliquid, aut suspicionibus indulget, his respondendum non puto, ne temporis iacturam faciam, & chartæ: Verùm quoniam coronidis loco epistolis clarorum virorum ad Suffridum scriptis obturbandum me putauit, & in his Chytræum *verè* πολυΐστορα, *& nostri sæculi in literis non vltimum decus, bis ei placuit inducere, non potuit facere, quin huius eiusdem ex multis duas saltem ad me diuersis annis scriptas hic quoq; in calce subijcerem, ostenderemq; me quoq; huiusmodi armis pugnare posse, si id decorum esse arbitrarer.*

S. D.

S. D.

De iudicijs amicorum per epistolas

CLarißime & optime vir, amice colende, accepi tandem diu desideratam rerum Frisicarum Historiam tuam, singulari & exquisito iudicio, & prudenti rerum delectu, & illustri orationis disertæ ac perspicuæ copiâ elaboratam, & Chorographiâ totius Frisiæ accuratâ eruditißimè ornatam. Vnâ in re, spem atque exspectationem meam fefellit, quod cùm auidißimè eam euoluerem, ad tempora nobis propiora festinans, tandem in Friderici II. & VVilhelmi Imperatoris annis te subsistere, nec vlteriùs progressum esse vidi, cùm recentißimam huius & superioris sæculi historiam, cupidißimè expeterem.

Τὴν γὰρ ἀοιδὴν μᾶλλον ἐπικλείουσ' ἄνθρωποι,
Ἥ τις ἀκουόντεσσι νεωτάτη ἀμφιπέληται.

Sed pro munere quod dedisti, reuerenter tibi gratiam habeo, & posteris, qui hæc recentiora legent, gratulor. Quæ ego quoque cognoscere, non tam meæ voluptatis causâ, quàm vt in meo Chronico, Frisiaca illa meliora & auctiora efficere possem, optaui. Suffridum, priusquàm absolutis tot παρέργοις, veram historiam ordiatur, vnà mecum viuendi finem facturum vereor. *Tibi pro exemplari etiam manu tuâ emendata gratias ago, &* δόσιν ὀλίγην τε φίλην τε, *filiolo tuo, grati animi testimonium mitto, ac Deum, vt vires animi & corporis tibi, ad prætexendam sequentem Historiæ partem luculentiorem, & omnibus lectu gratiorem futuram, confirmet, oro.*

Nota iudicium Chytræi de Suffrido.

Nos

Nos scriptionibus nostris, benemerendo de posteritate, Deo & hominibus seruiamus: etiamsi nulla spes vtilitatis vel gratiæ inde ad nos reditura affulgeat. Sicut Christum toti generi humano ingrato fideliter καὶ φιλοστόργως *seruisse videmus, vt primæ editioni Chronici Saxoniæ mei olim præscripsi,*

Τὴν σαυτοῦ φρένα τέρπε, δυσηλεγέων δὲ πολιτῶν,
Ἄλλος τίς σε κακῶς, ἄλλος ἄμεινον ἐρεῖ.

Quæ ex Poloniâ & Vngariâ recens ad nos allata sunt, & alias pagellas, lectu non ingratas nec insuaues adiunxi, quæ prolixiores epistolæ loco mihi apud te futura sunt. Benè & feliciter vale. Die Mariæ Magdalenæ, Anno 1596.

David Chytræus.

S. D.

M*Agnificè & clarißimè Domine Rector, amice colende.* Δέχομαι φίλον γε δῶρον ἐκ φίλης χερός, *& literas tuas, pristinæ erga me beneuolentiæ ac fidei tui plenas: & Historiæ Frisiacæ Decadem tertiam, vsq; ad clarißimi Comitis Ezardi initia deductam, quam vtinam pertexere tibi vsq; ad Nepotis Ezardi, proximis Calendis Martij defuncti obitum liceat. Ego quidem publico literarum & Reipublicæ nomine, gratias tibi officiosè ago, quod hunc laborem, non patriæ solum tuæ, & toti viciniæ, ac tibi ipsi honorificum ac salutarem, sed omnibus etiam bonis & doctis in cunctis gentibus gratißimum, suscepisti, &*

constanter vrges: & Deum, vt vires animi & corporis, ad eâ quæ instituisti, perficienda, tibi tribuat, ardentibus votis precor. Pro historiâ tuâ Frisiacâ, omnibus elegantiæ numeris perfectâ remitto rudem & nudam rerum proximo sexennio in hoc Arctoo orbe actarum annotationem, quàm boni consules, & Belgicarum huius anni rerum commemoratione augebis. In Sueciâ, Dux Carolus, Regis Sigismundi patruus, suo arbitrio regnum totum administrat. Rex fugitiuum regnum consequens, κεῖται, κ̀ οὐ κεῖται, &c. Bene & feliciter vale, & prima occasione per Bremam rescribe. Rostochij, pridie Pentecostes, 26. Maij, Anno 1599.

David Chytræus.

Sed, vt dixi antè, erubesco laudibus hisce potiùs, quàm mihi placeo, aut ex ijs de me iudicium facio, aliterq; eas, quàm Suffridus fecisse videtur, interpretor. Interim Furmerium moneo, vt, quàm edidit ipse, Chytræi *Epistolam inspiciat, videatq; an non idem, quod ego considerare me in Suffrido, & opere eius, in pagellâ ad lectorem, ostendi, ob quam tantoperè in me Suffridus est stomachatus, ab eodem sit desideratum. Sic enim verba eius istic habent:* Vtinam verò annales Frisiorum in lucē tibi proferre ante cætera velut parerga de nobilitate, libertate, &c. libeat: hos enim auidissimè expectamus. Scriptores etiam illos veteres, Marcellinum, Ludgerum, Radbodum, Cappidum, Staurienfem & sim-

& similes, magno desiderio multi expetimus. *Cuius viri autoritas si mouet ipsum, age consilium eius & monitum sequatur, & quod omnes qui non inanium huiusmodi speculationum & fabularum, sed verarum historiarum, & rerum gestarum cognoscendarum sunt auidi, iamdudum ab eo expectant, missis parergis & diuertigijs consultò quæsitis, ab ipso τὰ ἔργα, Historiæ propria, exponenda sine morâ tandē aliquando accedat: id, inquam, seriò tādem occipiat, inq; eo potiùs, quàm in iurgijs inutilibus, si patriæ prodesse vult, mecum certet, ob quod stipendio liberali, ab eâdem patriâ, se sit ornatum. Sed finem poscit nimis iā progressa prolixitas. Rogo lectorem, vt, quæ à me pro tuendâ veritate, & asserendo contra calumnias nomine meo, dicta & disputata hic sunt, candidè benigneq; interpretetur: imprimis, quod Suffrido mortuo respondere coactus sim, (nec enim viuo potui) id non mihi, qui hac carere molestiâ malueram, & studijs alijs tempus impendere, sed Furmerio, qui eius manes ab inferis cōtra me resuscitauit, & hanc mihi Camarinam sine causâ mouit imputet. Furmer. etiam oro, si offēsum me existimet, si se pungi ægritudine sentiat, si fabulis laruā per me detractam, & fidē, si quàm habebant, ademptā doleat, si quid spei suæ aut commodo decessurum hac defensione meâ metuat, vt hoc nō voluntati meæ, sed imprudentiæ & libidini suæ, quæ me inuitum huc protraxit, adscribat. Omnes verò gentiles meos, Frisios cis vltraq; Amasum, atq; eos potissimum, ad quos Apologiam hanc suam Suffr. direxit,*

Peroratio.

Amplißimos scilicet, & Illustres Frisiæ intra Lauicam & Fleuum Ordines, obsecro & obtestor, sic de me statuere velint, nil me vel Suffrido vel Furmerio in amore patriæ communis, ac vniuersæ nostræ gentis cedere: sed in hoc ab ijs me dißidere, quod sat diuitē verarū laudum Frisiam esse, commentisq; vanis non opus habere, plusq; nocere quàm prodesse gloriæ eius quæsita figmenta sentiam; illi autem subsidia huiusmodi famæ à fabulis petita non negligenda arbitrentur: ego item Historiam mihi scribendam, erutam ex tenebris, atq; ita bona malaq; exponenda, deniq; ea tradenda, quorum in literis extet memoria, vetustiora, aut irreparabili obliuione sepulta, posthabenda putem: ac illi velut panegyricum Encomium sibi conficiendum, & de quibus nulla restet, aut in rebus hominum supersit certa memoria, nulla reliqua sint documenta fidelia, ea tamen sarcienda, & cùm aliundè nequeant, ex fabulis inanibus supplenda, censuisse & censere videantur. Postremò, ego gloriam constare genti aut familiæ posse rear, etiamsi à Græcorum temporibus illis priscis antiquitas & origo eius non sit repetita: illi nisi ab Indiæ principe tam veteri, & serie regnum tam longâ, adeoq; ab ipso Semo & Noha prosapiam deducant, haud satis laudatam esse gentem, persuasum sibi habere demonstrent.

In quo Vbbo Emmius à Suffrido & Furmerio dissentiat.

HOC VOLVERVNT.

PARA-

PARALIPOMENA ARGVMENTI EIVSDEM.

NON *erat mihi præsens liber Suffridi, quem de Scriptoribus Frisiæ edidit, cùm responsum hoc texerem, quamquam legissem antè diligenter. Post, cùm eius copiam essem nactus, eundemq; lectione rursus percurrissem, animaduerti, nonnulla ad rem pertinentiam emoriam meam effugisse. Itaq; res me cogere visa fuit, vt ea ad calcem hic adijcerem. Et vt à Præfatione prolixâ ordiar, in eâ perineptè & sine ratione Taciti locum de secretis literarum à veteribus germanis tam viris quàm fœminis ignoratis conatus est peruertere, & secreta literarum de literis arcanis ad sacra & sacerdotes solos pertinentibus, quales erãt hieroglyphica in Aegypto & Druydum in Galliâ & Gymno Sophistarum in Aethiopia interpretari. Quo nihil alienius à sensu Taciti esse, prudens lector per se potest intelligere. In eadem præfatione, de Druydibus à* Frisone *religioni præfectis, scholaq; eorum* Leovvardiæ, *tum* aulæ Dei *nomine nota, instituta, deq; eorundem scriptis cum rerum veterum memoriâ in Frisia conseruatis, similiter de eorum characterum vsu, Frisijs ab eodem Frisone tra-*

dito, de commercijs Frisiorum frequentibus cum Siculis & Aegyptijs cognatis suis, de literarū magistris ad publica Gymnasia ex Graciâ petitis, nugatur suauiter: & cum scriptores suos fictitios recenset ac citat, ait se demonstrare, à trecentis ac tredecim annis perpetuam in Frisiâ Remp. & bonas literas viguisse, hoc est, ac si dicat, solem in occidente oriri, ergò motum cœli esse peruersum. Cætera Præfationis rerum taliū plena missâ facio. Ad Decades ipsas venio. In his non scribendos, sed iam scriptos & absolutos à se libros memorat sæpè, de Ducibus, Comitibus, Equitibus & Nobilibus Frisijs, qui vniuersam Rempublicam patriam non gubernarunt, idem Annales de Principibus, Ducibus, Regibus Frisiæ totius gubernatoribus: & ad eosdem hos relegat lectorem identidem. Quos cùm sine dubio cum chartis alijs Suffridi Furmerius retulerit in patriam, & in potestate habeat suâ, mirari satis non possunt homines eruditi & vetustatis cognoscendæ cupidi, cur hos ipsos, velut in omni opere historico Suffridæo sine controuersia præcipuos, cum cæteris, quos in Præfatione, Originum libris præfixâ, & in his contra me inuectiuis chartis autor idem iactat, nō edat in publicum, & tamdiu desiderium commune omnium literatorum & patriæ amantium eludat? Et cur non eos quos sub manibus habuisse se, cùm Decades scriberet, Suffridus idem frequens ostendit, si & hos fortè perficit, in lucem simul emittat. Id enim proprium officij eius, qui successor datus Suffrido, & Historici Frisiæ titulo à patriæ proceribus ornatus est.

Ad

Ad hæc plures in his Decadibus suis scriptores historiæ Frisiæ veteres Suffridus recenset, quàm à me hic memorati sunt: quos ego, ne fraudem facere velle videatur, aut in risu lectoribus deesse, hoc loco attexendos mihi puto. Et primùm Adelem, *ait filium* Frisonis *Adel.*
archegi, *præter ea quæ ostendi iam literis ab eo mandata, conuiuiorum quoq; leges tulisse, & alias in honestorum lusuū exercitijs à subditis seruandas; plerasq; ex Siciliâ translatas, & in hodiernum vsq; diem in vsu apud Frisonis: hunc ipsum, patriâ per annos totos 94. à morte parentis adminidrata, fato functum anno ante Christum natum 159. ex eiusq; nomine per vniuersam Germaniam Nobiles omnes appellatos esse, & etiam nunc vulgò appullar* Adelingos *&* vom Adel.

Imperium longæuum.

Ride lector.

Auditum admissi risum teneatis amici.

At Vithonem *alterum* Frisonis *filium tradit scripsisse de Frisiorum coloniâ in Iuthiam ductâ, deq; bellis suis aduersus Danos, & de Principis institutione: Et ex his eius libris non pauca scriptores veteres Danos, Sueones, Gothos, Saxones esse mutuatos. Similiter* Hettonem *Vithonis & Adelis fratrem scripsisse asserit, de origine & successu earum gentium, quæ Germaniam eâ tempestate incolebant:* Et de earundem *gentium legibus ad paternas collatis commentarium confecisse:* Haionem *quoque, &* Scoltonem *&* Gallionem & Aesgonem, *eiusdem Frisonis filios, priorum fratres, libros condidisse, illum de Dijs patrijs, id est, indicis, de Dijs*

Vitho scriptor. Frisonis fil.

Hetto item Frisonis F. scriptor.

Cæteri quoq; Frisonis filii scriptores.

Germanorum. & Deorum sacrificijs in Frisiâ faciendis, de templis, delubris & altaribus constituendis: secundum, de re militari, de exercitijs Gymnasiorum, de conditionibus salui conducti, de coërcendis maleficijs, de tuendâ viâ regiâ, de Frisorum coloniâ in Scotiam *ductâ; ad exemplum fratris Vithonis, quem similiter de Frisiorum coloniâ in Iuthiam ductâ scripsisse fabulatur: videlicet ita tum abundabat noua gens, vt coloniâ ductâ fuerit opus; tertium de reficiendis aggeribus, de nonnullis alijs ad arcendas inundationes maris; quartum de legibus politicis, de origine iudiciorum, de gradibus dignitatum politicarum, de officio iudicis. Et horum omnium testes, ne quis de his dubitet, velut fidei certos dat, nominatim & præ cæteris auum suum* Suffridum Sterckenbergium, *& nescio quos alios farinæ eiusdem. Sic enim ait hic illic:* vt nostri alligant, vt à nostris memoratur, vt perhibetur. *Ad solius verò* Vbbonis, *qui nepos ex Adele fuit Frisonis, scripta adijcit, allegari ea à* Cappido & Sulcone Fortemanno. *Et quis omnium tam seuerus est, atq; ἀγέλαστος, qui cùm ista legit, non dissoluatur in risum? Præterea* Frisonem iuniorem *refert, Gruni filium, de quo dixi suprà, Frisonis primi pronepotem, in literas misisse expeditiones suas sub Principibus diuersis, & coloniam ad se trans Fleuum ductam,* Frisiam nouam *vocatam, Asingam etiam Asconem Frisiæ Principem Vbbonis filium similiter literis mandasse fœdus inter se & Augustum Cæsarem initum, eiusq; fœderis mentionem fieri*

Friso iunior Gruni fil.

Asinga Ascon.

fieri in multis Imperatorum Romanorum bullis ac diplomatis, quibus genti nostræ priuilegia vetera renouantur & confirmantur: itemq; expeditiones suas in Sicambros & Batauos. O caput lepidum! De Verrito & Tabbone, *horumq; scriptis dixi. Titum verò Boiocalum, ait idem Suffridus, tertium Frisiorum Ducem scripsisse apologiam pro sese ad Romanos de cæde ab se Romæ patratâ, item excusationem Antonini Philosophi pro se ad fratrem suum Adelboldum Frisiæ Ducem, & rursus expeditiones fratris & suas pro Duce Brabantiæ contra Romanos, item contra Vandalos, & Antonini Philosophi ac suā cōtra eosdē Vandalos: Haronem Ducem Frisiæ quintum commentarios congeßisse de controuersiâ inter se & de fœdere eo nomine inito, in quod de prærogatiua regiæ Maiestatis inter Frisiam Occidentalem & Orientalem: Odilbaldum huius filium item librum confecisse de legatione suâ, quam Diocletiani Imperatoris nomine obiuerit in Aegyptum, in quoq; sit defunctus: Popponem quoq; Hardmannum ex nobili Hardmannorum familia, Sterkenbergio auo Suffridi teste, scripsisse libros diuersos, de ordine equestri, de Comitibus, de Ducibus, de Regibus, de priuilegijs, & prærogatiuâ singulorum, mortuumq; anno Christi 350. Ad hos, ait Suffridus, Vdolphum Haronem vltimum Frisiæ Ducem commentarium cōposuisse de coloniâ ab se in Angliam veterem, quæ in Luthia est, præfectis filijs suis Engisto & Horso deductâ: Iglonem armorum eiusce præfectum, & Angriæ ac VVestphaliæ præsidem, de*

Titus Boiocalus scriptor.

Haro scriptor.

Odibaldus scriptor.

Poppo Hardmannus scriptor.

Vdolphus Haron scriptor.

Iglo scriptor.

expeditionibus suis contra VVestphalos ac Sicambros scripsisse, de præsidijs in Angriâ & VVestphaliâ collocatis, de matrimonio Vdolphi Haronis & filiæ Vetgisti Saxonis, de origine Vetgisti & cognatione eiusdem cum Odilbaldo Frisiorumm Duce, de institutione Hengisti & Horsi, de decessu eorundem in Angliam veterem, de Ducibus & Comitibus qui classi Hengistianæ in ducendâ coloniâ præfuêre, denique de adoptione Hengisti & fratris, à Vegisto facta auo eorum materno: Hollium inter proceres in Classe Hengistana itidem scripsisse de coloniâ eâdem Angelicanâ, de qualitate Angliæ, de piraticâ Frisiorum ex Angliá in mari Britannico, & quædam alia: O felicem Frisiam tam felice prouentu bonorum & magnorum scriptorum, qui & res gessêre ipsi, & eas ad posterorum memoriam mandarunt literis: quâ felicitate sanè & Græciam vicit & Romanos: Aut, ô fœcundum monachi, aut alterius fabulatoris cerebrum, in quo tot somnia aut commenta inania potuerunt generari. Sed nondum finis. *Richoldus Vffo (inquit idem) primus Frisiæ Rex, multis libris actisq; Bibliothecam publicam locupletauit, scripsitq; ipse genealogias Principum ac Ducum omnium Frisiæ ante se, atq; insuper eos Stauera in atrio suo ad viuũ, quoad fieri potuit, ordine curauit depingi. Tum Hercon capitaneus Richoldi expeditiones suas sub Impp. Romano & Constantinopolitano misit in literas: Et Haio Fortemannus scripsit de vocatione Hengisti ex Angliâ vetere in Britanniam, de pactis inter Hengistum & Vortigernum, de prælijs Hengisti & Horsi*

Hollius scriptor.

Richoldus Vffo.

Hercō.
Haio Fortēmannus.

contra

contra Pictos & Scotos, de causis, ob quas Hengistus Britannus ex defensore hostis sit factus, de Ducibus classium Hengisti in Britanniā, denique de copijs quas Hengistus ab initio vsque ad obitum suum in Britanniam aduexit: Taco quoque Hermana inter praefectos classis Hengisti exposuit expedtiionem Britannicam, idemque scripsit de coloniâ Frisiorum nouâ ab se in insulâ maris Britannici Frislandiâ constitutâ, deque situ & qualitate eius insulae cum quibusdam alijs, & obijt in insulâ illâ anno Christi 536. Quid rides, Lector? Sic allegant nostri, ait Suffridus: bone Deus, quàm magni & clari viri? assentiendum scilicet illis. Quis enim Andreae Cornelio, quis Suffrido Sterckenbergio, Andreae Gryphio, Martino Ilstano, etiam Aluino & Vlieterpio cōtradixerit? Sed audi plura. Willibrordus, inquit Suffridus primus Vltraiecti Episcopus, Aluino teste, sui saeculi res gestas, & vitam suam diligenter conscripsit, isque liber Romae diu asseruatus in templo, cura Rudolphi I. Imperatoris rursum descriptus & magnifico ornatu decoratus, propterea quòd Imperator ipse per matrem origine Frisius esset, & istinc tandem Epternacum translatus est. Dovvo Fortemannus quoque de sui saeculi calamitatibus sub Radbodo I. Rege scripsit, eiusque agnatus & paulò inferior Sulco ille fuit, de quo prolixè est suprà dictum: Et hoc adhuc paulò posterior, coaeuus Ludouici Pij Imperatoris, ex eadem domo Hanco Fortemannus composuit expeditionum suarum memorias sub Imperatore Graeco, Rege Scotiae & Angliae, Carolo Magno, testante rursus Andrea Cornelio,

Taco Hermana.

VVillibrordus scriptor.

Dovvo Fortemannus scriptor.

Hanco Fortemannus scriptor.

De-

Ioannes Presbyter scriptor.

Deniq; Ioannes Presbyter *Aldegilli II. regis filius ait Suffridus noster, ob incomparabilem vitæ sanctimoniam eo cognomento ornatus, cùm Otgero Danorum Rege sub Carolo Magno in terram sanctam expeditione factá. Caroloq; captis Hierosolimis Germaniā repetente, (rursus ride, Lector: quando enim Carolus Magnus cum exercitu ijt in Palæstinam? cui autori hoc narratum?) cum eodem Otgero in Indiam profectus occupatá ibi terrâ vastißimâ, regnum condidit, quod ab eo est appellatum* Presbyteri Ioannis, *à posteris Abyßinorum noncupatum. Serione hoc? seriò: nam & ab Helinando & Vincentio Beluacensi traditum quoq; est, & ipse hic* Presbyter Ioannes, *vt asserit noster, ad Gondebaldum fratrem scripsit de expeditione hac Caroli Magni in terram sanctam, deq; expeditione suâ in Indiam, de terra Indianæ qualitate, de gentium in eâ diuersitate: Et expeditionis eius comes, interq; proceres, qui in Indiâ cum eo sedes ceperunt, facilè primus & potentißimus, regiâ stirpe domi genitus,* Adel Adelingius, *ex quo portus in regione Abyßinâ,* Adel *etiam hodie non ignotus nomen inuenit, pari diligentiâ de monstris Indiæ, de moribus Indorum, de religione eorundem commentarios confecit. Quod si dicas, vnde constet hæc ab ijsce scripta esse (nam ne iota quidem horum nobis, aut doctorum cuiquam visum, nec ipsis Suffrideis, si verum velint dicere) testari id Cappidum Stauerensem, & ex eo auum suum Sterkenbergium, ait Suffridus. Præclarum argumentum facienda certæ fidei, vt huic*

Adel Adelingius scriptor.

Vanitas fidei in his.

qui

qui assentiri non possit, eum nihil sapere, ac Thomâ, vt in Christianorum prouerbio est, magis esse incredulum, necessum sit. Haud dissimiliter sanè, ac si quis conditum purgatorium in Thule narret, & statum eius, œconomiam, ordinem, partes exponat, & fidei causâ dicat, ab ipso Patritio, ac socio commentarios de his accuratè scriptos, & ad superos homines ipsis notos missos esse, idq́; nugonem aliquem nuperum testari, sic à monacho quondam vano & ignoto in literas iam olim esse missum. Nam Cappidus certè teste ipse opus habet meliore, quàm quos Suffridus affert, vt credamus, eum vixisse, magis verò talia scripsisse, maximè ex visis lectisq́; Ioannis Presbyteri, & Adelis Adelingij veris & genuinis libris vera hæc eadem scripsisse. Quid Cappidum dico? laborat omnium fides, quæ huc afferuntur, vt Ioannem huiusmodi in Frisijs vnquam fuisse, Adelem ex homine esse natum persuadeamur. Nā inania sunt, & vix cassâ nuce digna, quæ à Suffr. & Suffridæis adducuntur in mediū, quorū fundamentū maximū, imò vnicum autoritas aui Suffridi, aut fides Suffridi ipsius. Quis enim aui eius chartas illas laceras, vt ait, vidit aut legit præter ipsum? Deniq; quid potest vanitate eâ, quæ fabulâ hac de Ioanne Presbytero continetur, esse vanius? quàm qui pro veritate habere potest, is certè Dijs illis veteribus Aegyptijs, bubus, felibus, canibus, auibus, serpentibus, alijs, & porrò veram diuinitatem potest adscribere. Carolusne bicorpor fuit, vt simul in Europa, simul in Palæstinâ esse, & quidem cum exercitu esse,

&

Vanitas fabulæ de expeditione Caroli Magni in Palestinam.

& bellum maximum gerere potuerit? aut copias potuit tantas, tantùm apparatum conficere, id est, totam penè Europam mouere, tam occultè & sine strepitu, vt ad Italos, Francosve, imò ad ipsos familiares sensus eius ac notitia non peruenerit? tam procul patriâ, procul omni Europâ exercitus duxit, bellum gessit, vrbem validissimam cepit, victoriam confecit, prouinciam composuit, quod non mensis, non anni vnius est, vt tamen ipsi sui abesse eum nescierint? Nam extant annales eius ipsius ætate confecti ab his, qui res eius optimè norant, in quibus expositum est, ab regni initio ad finem, quæ bella Carolus gesserit: & quibus annis gesserit, quibus locis, quoq; anno, adeoq; quaq; anni parte fuerit, quid quoq; tempore publicè priuatimve egerit, nec tamen vsquam istius expeditionis tā illustris & memorabilis in ijs vlla mentio, aut indicium omninò vllum. Quinimò, cùm omnibus regni annis & eorum partibus eum aliquid gerentem, aut festa celebrantem in aliquâ Europæ regione expressè ponā, nec tempus vllum ad expeditionem illam in Iudæam relinquant, nullum apparatum, nullum exercitum istuc pertinentem memorent, sine dubio, & velut expressis verbis totam hanc rem commentitiam esse, nec quicquam veri habere nobis affirmant. Et quid? dissimulasset rem tantam scriptor Italus, non sine Italiæ ope, ac subsidio præcipuo gestam? Quæ enim regio Italiæ ad eam aptior. siue portus spectes, siue situm, siue rerum maritimarum vsum, siue commeatuum & reliquorum necessariorum subuectionem, siue transpor-

tatio-

tationem exercitus? præsertim Sarmatis & Hunnis inimicis, ab vijs terrestribus per eos obsessis? Aut tacuisset eam Francus, gloriæ gentis suæ vbiq; prædicator, tam diligens & penè nimius? Ignorassent ne Græci & silentio præteriissent, qui omnia huius generis quæ post à Germanis suscepta factaq; sunt, in annales suos retulere? Non memorassent tantas copias à Germanorum rege in Asiam vel mari vectas, vel terrâ ductas? Saracenos victos? Hierosolymam captam? Christianos in Palæstina restitutos? Regem Carolum, principem tam illustrem, tam celebrem, tam potentem in regressu cum Imperatore Orientis Byzantij congressum, multisq; & magnis ab eo honoribus affectum? Hæc enim habent, qui in fabulâ hac Suffrido suffragantur. Itali, Germani, Galli, eadem ea siluissent, qui legatos vtrimq; commeantes, & minora alia in Historiâ Carolinâ non prætereiere? Iam de Otgero quid respondebunt fabulæ huius patroni? cur ille tantæ famæ & potentiæ princeps aut rex à Saxone Grammatico, Danicarum rerum scriptore proprio, & laudum præcone auido, non est memoratus? cur ne verbulo quidem signatus? An inglorium genti erat, Danum admirabili virtute & gratiâ diuinâ fretum latissimas Asiæ terras occupasse? regiones omnes transmarinas ab Hierosolymâ ad arbores vsque Solis obtinuisse? amplissimum imperium totam complexum Indiam condidisse? Nugæ meræ, quæ aut natæ nondum fuêre scribente Grammatico, aut ad eius aures non prælatæ, aut visæ illi tales, vt eum, aliaqui in Historiâ vetere non castum, tamen ob nimiam

& ni-

& nimis euidentem vanitatem obnoxiam reprehensioni, harum puduerit. Et Græci scriptores tantam rem, tam illustrem & magnam Imperij mutationem præterijssent muti? Alia mitto plurima, somnium hoc, aut potiùs mendacium, pudefacientia: atq; ita concludo, quàm vera sunt ista de Hierosolymâ à Carolo Magno captâ, de Oriente ab Otgero occupato, de Abißino vastißimo Aethiopiæ regno à Ioanne Frisio condito & constituto, de libris ab eo scriptis, tantùm veritatis quoq; alia habere omnia, quæ ex penu eorundem scriptorum, Cappidorum, Sulconum, Scarlensium, Sterkenburgiorum, Andrearum, Suffridus nobis producit. Nam par fidei fundamentum: Et vani in his, quomodo fidi in cæteris haberi mereantur?

Et hi scriptores vetusti in Rep. versati apud Suffridum, à me in Defensione hac præteriti. Sunt verò apud eundem & alij, quos Druydas & Sapientes appellat, Leovardiæ in aulâ Dei, vt loquitur idem, doctrinæ & religioni operati. Ex his primis Synna sapiens scholæ Druydum præfectus (ait) ad Asconium primùm Frisiæ Ducem scripsit libros de colendis Dijs patrijs, de exterminandis Christianis, de antecessoribus suis in aulâ Dei Druydum præfectis: Alter Harco sapiens, idem munus gerens de immortalitate animæ humanæ, deq; animâ brutali libros exarauit, vitâ defunctus anno Christi 310. Post hunc Vitho, sapiens, de restaurandis delubris Deorum, de Bibliothecâ publicâ locupletandâ Staueræ, de publicis actis diligenter ad

Druydes Frisiæ scriptores.
Synna sapiens.
Harco sapiens.

ad memoriam posteritatis conseruandis, de Gymnasijs reformandis commentarios dedit, mortuus anno Christi 132. Poppo *quoq; sapiens eidem Druydum scholæ eodem loco præfectus, & Stauonis simul sacerdos acerrimus Christianorum persecutor, de quo nos (ait Suffridus) multa in libro de idolatriâ Frisiorum, in Ethnicorum literis omnibus doctißimis, de cultu Deorum, de officijs sacerdotum, de ritu sacrificiorum scripsit: item de vnione Frisiæ Occidentalis cum Orientali sub Beroaldo Rege; deq; oppreßione eiusdem factâ per Francos, rege eodem, de rebus gestis nobilißimi viri Siuardi* Hopperi, *(en calamum venalem!) obijtq; circiter annum 678. Tum ex longo interuallo rursum sequens* Siuardus *sapiens composuit ad æmulationem Sulconis Fortemanni historiam Principum, Ducum & Regum Frisiæ, deq; prohibendâ Christianorum doctrinâ, & quædem alia, ait Suffridus, idemq; damnauit & publicè exußit libros Ciceronis de naturâ Deorum, velut continentes insinceram doctrinam de Dijs gentium: Ride lector, ride. Postremò* Occo *sapiens, scripsit de doctrinâ Druydum, de succeßione professorum eiusdem doctrinæ in aulâ Dei; de sacrificijs Deorum, & ad Radbodum Regem de vindicando Deorum contemptu aduersus Christianos.*

Vitho sapiens.

Poppo sapiens.

Siuardus sapiens.

Occo sapiens.

En indicem præclarum nō entium, quæ vt non sunt nunc, ita non fuere vnquam, nec in substantiarum, nec in accidentium numero. Quem cùm nobis Suffridus confecit, & extrusit in lucem, magni aliquid se præstitisse, & rem literariam historiamq; patriam pluri-

mem iuuisse, videri cupit. Suauem & iucundum senem, qui censet, quidlibet se cuilibet persuadere posse. Quem si interroges, quo argumento speret efficere se posse, vt nos qui in eodem cum ipso adyto non somniauimus, Sapientes hos, Druydum in Frisiâ præfectos, vixisse vnquam, aut hæc ingenij monumenta condidisse credamus, collectanea Huberti cuiusdam Schoti citabit, & eorum se tuebitur autoritate. Quis verò iste Hubertus Schotus, cui credere nos sine teste loquenti de rebus talibus debeamus? amiculus scilicet Suffridi, Pater Prior Regularium in busco Isaac in Brabantiâ, quem Suffridus cum Laurentio Surio, fabularum consarcinatore apud Colonienses, monacho Carthusiano, coniungit: & se ab vtroque nunquam antè visum congressu in primo nominatim salutatum & humanissimè exceptum dicit. Immotum & venerabili fidei fundamentum, quo reperto, nil inquirendum ampliùs, ne excordes esse, aut modum in scripto quærere videamur. Quid facies Historico huic? Qui quantum tribuerit farragini huic sua, ipsius cùm alibi, tùm in præfatione farraginis ostendit. Sic enim scribit:

Vid. Decad. Suffr. pag. 223.

Visis his ipsis scriptorib. quos nunc afferrimus, candidus lector euidentiora & solidiora documenta capiet de antiquitate & origine Frisiorum quàm dudum: cùm hi vel eos autores citent, quibus extra controuersiam debetur fides, vel rationem antiquitetis reddant, quæ indubitatâ veritate nititur. Res paucis exemplis illustranda est: Originem gentis Frisoni-

cæ ad Patriarcharum Semum Noæ filium alibi reduximus, vsi ijs autoribus, quos in opere de origine Frisiorum allegauimus: his igitur fidem augent allegati Indicarum rerum scriptores PATROCLAS ac MEGASTENES, qui Ragaui originem à Semo, & eiusdem posteritatem ad Frisonem deducunt, vt in Aluino Snecano videri est, quem Lector hoc opere habet Dec. 8. cap. 3. Cornelius Tacitus Annalium primo refert à Romanis militibus euersum esse celeberrimum illud tẽplum in Marsis, quod TANFANE vocabant. Cuius templi historiam nemo eorum hactenus est assecutus, qui Tacitum explicuerunt: Eam Aluinus suprà dictus ibidem ita deducit, vt, qui legerit, nullo modo dubitare possit, ea, quæ nos de origine, patriâ, & aduentu Frisonis disseruimus, esse verissima. *Quæ verba monent me & mouent (vt cætera his attexta omittam, æquè friuola & ridicula) quæ de Aluino scripsit in hac farragine, ea quoq; hic recitem verbotenus, & lectorum iudicio subijciam, & risûs materiam præbeam. Ait igitur Suffrid. de eo sic Dec. 8. cap. 3.*

Maluinus, Scholæ Snecane aliquamdiu Rector, & deinde eiusdem Reipubl. Secretarius, scripsit tractatum siue compendium Historiæ Frisonicæ ab exordio gentis vsq; ad Carolum Magnum: in quo Frisiorum Ethnarchum ab *Vbbo Emmij. Nota.*

Audacter sanè ac sine fronte.

Indis, Indos ipsos à Ragau siue Rau, ipsumq; Ragau deducit à Sem filio Noë, porroque refert, quo modo Ragau à Sem acceperit pro se ac posteris suis regnum in quadam Indiæ prouinciâ, quæ ex consecratione Semi nomen obtinuerit Benedictæ Frisiæ. Tum etiam quod idem Sem Ragauo posterisque eius in perpetuum authoramentum Regiæ Maiestatis contulerit Coronam Chalibeam & Vexillum Rubeum incomparabili virtute præditum: Quorum symbolo admoneri deberent, sibi commissam esse curam libertatis, & fortitudinis, vt & ipsi se præstarent inuictos, & alijs etiam ad victoriam præirent. Commemorat deinde matrimonium Ragaui, & posteritatem & successum huius in Benedictâ Frisiâ: addit & Frisonis decessum ex illâ, & aduentum in hanc terram. Tradit deinde quo modo Frisij præsidio huius coronæ atque vexillæ (quæ Frisio istinc huc secum aduexerit) semper nixi in tuto fuerint: Donec Rex Danorum coronã tandẽ incautis extorsisset, vexillo interim ad quingẽtos ferè annos ob metum Danorum in terrâ defosso, quo demùm per S. Villibrordum, Angelo monstrante, refosso, Magnus Fortemannus primus Comes in Benthem, Frisiorum Dux Romam à Saracenis liberauit, eamq; Carolo Magno tradidit, eoque nomine libertatem Frisijs ab Imperatore impetrauit: Ha-

Quid non sibi permittit fingendi libido?

nugæ, nugæ,

Suffridus ostendit, sanã mentem se cũ non sanâ mutasse.

ctenus

ctenus Aluinus. Cuius tamen exemplaria, quæ diuersa vidi, in paucis quibusdam discrepant: Vniuersa tamen hæc historiâ mihi olim mera fabula visa est, vt & alijs fortè videatur: sed quo meliore loco eam habere cœperim, duobus potissimum argumentis motus sum: Primùm, quòd Aluinus hic se Rhytmos Frisicos Rhytmis Belgicis interpretatum scribit, nam Rythmicè tractatum suum composuit: Deinde quòd citentur in his Aluini Rythmis historiæ testes non futiles, sed fidė dignissimi, & omni exceptione maiores, Moyses scilicet, Iosephus & Megasthenes & Patrocles, quibus nititur vsque ad Frisonis decessum, ex Benedictâ Frisiâ: Nemo autem dubitat plurimum autoritatis fuisse in quaque gente Rythmis huiusmodi patrijs antiquis, vtpote quæ fuerint veterum cantilenæ, de laudibus Principum, Ducum ac Regum, quæ quòd sinceræ & sine fuco essent, dignæ sunt habitæ quæ in cœtu publico laudarentur, ad memoriam eorum, quibus vel originem suam, vel defensionem, vel quoduis aliud beneficium populus deberet: Harum autem cantionum vsum apud maiores nostros extitisse, earum deniq; in primis peritum fuisse Berulefum quendam hominem cæcum, cùm aliunde, tùm etiam ex historiâ vitæ sancti Ludgeri discimus, quæ testatur sanctum Ludgerum huic cæco in pago

Egregium firmamentũ fidei, rythmus poetæ stri insulsi.

su eius ex patriâ, & cæteris quæ in recenti adhuc memoriâ tunc erant, scripserit, quæ & ignorare nõ potuit, & ob viri splẽdorem silentio inuoluere nõ voluit. Scripsisse autem illum diligenter res patrias, complures autores testati sunt: & Clemens Alexandrinus citat eius librum 3. rerum Indicarum: sic vt etiam ad manus maiorum nostrorum eius monumẽta peruenire potuerint, vnde testimonium Historiæ suæ peterent. De *Patrocle* alibi diximus, quem non in Aluini tantùm tractatu, sed etiam in gestis Frisorum allegatum videmus. Est autem Aluini exemplar paulò castigatius, quod suppeditauit mihi D. *Hubertus Schotus*, quam quod extat in Thabortio codice. Hæc igitur certitudo me extimulauit, vt maiori diligentiâ scrutarer etiam alios antiquitatum similium scriptores, & excussis quibus potui omnibus, comperi ea quæ de origine & patriâ Frisonis hic asseruntur, esse verissima, sicuti in libro tertio. De Antiquitate & Origine Frisiorum pleniùs deduximus. De consecratione Fresiæ, de coronâ, de vexillo quæ dicuntur, pari veritate cum cæteris niti arbitramur, tum propter autoritatem Megasthenus ac Patroclis, qui hisce testimonium præbuerunt, tum etiam propter constantem tot sæculis apud nostrates harum rerum memoriam, tum denique propter memorabilem euẽtum quem his

Quomodo allegatus Patrocles? verbisne eius citatis?

Qui vero illi alij antiquitatum similium scriptores? Quibus in verbis autoritas illa Megasthenis & Patroclis Romani attribuunt, scilicet?

fulmina, & quasuis alias tempestates: Secunda erat, remedium aduersus striges, lemures, incubos & succubos, & quosuis alios nocturnos ac diurnos Cacodæmones: Tertia erat, vis ad expellendos immundos spiritus ex obsessis hominum corporibus: Quarta erat efficacia certæ victoriæ in prælijs aduersus hostē. Harum igitur virtutum nomine hoc vexillum quasi præcipuum Dei tutelaris instrumētum templo celeberrimo nomen dedit, vt Tanfane diceretur. Nam ex hoc templo velut ex communi & publico totius prouinciæ armario vexillum hoc per Sacerdotes petebatur, quoties necessitas præsenti calamitati auxilium flagitaret. Templo per Romanos euerso, Sacerdotes vexillum, quod commodum alio necessitate tum flagitante deuexerant, magna solicitudine absconderunt, ne in hostium manus incideret, & vulgo persuaserunt in terrâ esse defossum. Et Romanis tandem Germaniâ excussis inuidia periculi huius in Daniâ deriuata est, qui Frisiorum hostes continui remanserunt. Quæ persuasio vulgò durauit vsque ad tempora sancti Vilibrordi, qui vexillum hoc in lucem reduxisse scribitur, vnde & Magno Fortemanno datum fuit primo Comiti in Benthem, qui illius præsidio sub Carolo Magno Romam cæpit, & captam Carolo tradidit: & eo nomine Frisijs libertatem ab

Magnus Fortemannus primus Comes in Benthem.

Imperatore obtinuit, vnde & vexillum hoc porrò Magnus fane / hoc est, Magni vexillum à nostratibus appellatum fuit: Eundem etiam Magnum Româ reuersum asserunt, nō modò diploma libertatis Frisonicæ, quod ab Imperatore & Pontifice obtinuerat, Almeni, quæ nunc Harlinga dicitur, in templo deposuisse, quod pater ipsius Gustauus Fortemannus condiderat, sed etiam vexillum hoc ibidem abscondisse, ne qua in Ethnicorum manus amplius incideret, & idolatriæ seruiret. Nulli sanè mortalium hactenus visum est: vnde multi putant non illic sed alibi esse reconditum in loco magis tuto, cùm templum illud eâ tempestate parietes tantùm ex ligneis asseribus, tectum ex arundinibus habuerit. Quâ de re multa vir primæ nobilitatis, & non infimæ autoritatis Iencko à Douma in testamento suo disputat. Persuasum est enim nostratibus ex vaticinio quodam, fore aliquando conflictum in terrâ Stanicâ, quod est amplissimum pratum in Frisiâ ad Lauicam fluuium prope pontem Gerconium, & ibi creatum iri de libertate patriæ, & victores eos esse futuros, penes quos copia huius vexilli fuerit. Sed hæc, quæ Aluini occasione paucis hîc perstrinximus, alibi prolixiùs explicabimus: De Aluino autem ipso, nihil amplius reperire potuimus, nisi quod floruerit circa annum Christi 1400.

Quomodo videri potuit, quod nunquam fuit?

Vincent ergo nulli, quia nulli unquam hoc vexillum sunt habituri.

Viden'

Viden', Lector, quàm laboret Suffridus, & se fatiget, vt fabulis absurdis ac friuolis faciat fidem? Quod dum facit, ineptos & absurdos fortè delectat, qui fabulis gaudent, sani verò iudicij hominibus deridendum sese propinat. Furmerius autem hyperaspistes Suffridi his tuendis se impendens quid agit, quæso? verbo dicam: HIRCVM MVLGENTI SVPPONIT CRIBRVM. Fino, & cætera cogitanda, Lector, tibi relinquo.

HOC VOLVERVNT.



Specimen eruditionis Antonij Folkardi Bonbergij, ob quam meruit inter scriptores Frisiæ (patriam illustrantes) à Suffrido memorari. Sic enim iste, cum esset regens in ædibus fratrum Groningæ, absentiam discipulorum Chirographo suo apud Præceptores in schola excusaturus.

Hic mea licentia matri obsequium fecit. Oro igitur, vt habeatur excusatus de illa absentia.

N. N.

Item.

Infrà scripti abfuerunt de mea scientia, alter mihi sacrum facienti ministrauit, alter matri obsequio fuit.

N. N.

Item.

Hi infrà scripti abfuerunt de mea licentia, alter matri mobilia in nouam habitationem deportare iuuarit, alter nobis negotium curauit. Sint quæso excusati.

N. N.

Item.

Item.

Hic infrà scriptus patrem iuuauit, vt vnà cum equo sua & alijs necessarijs nauigio domum se reciperet.

N. N.

Et rursum.

Hi non sine ratione absfuerunt: alter matri obsecundauit, alter mihi sacrum facienti bis ministrauit.

N. N.

Et similia his alia adhuc turpiora.

VERITAS VICTRIX.

